



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1631**

Pars Hyemalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

DOMINICA PRIM<sup>a</sup>  
 MA ADVENTVS, EPISTOLA  
 BEATI PAULI APOSTOLI, AD  
 ROMANOS XIII.

**S**CIENTES quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox precessit, dies autem appropinquavit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicijs, non in contentione & amulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**Q**UAM nulli non tempore hæc Pauli congruat exhortatio, qua (quandoquidem vitæ nostræ tempus ut hora tam breue est) nos excitat ut à somno peccati, à somno ignorantie, à somno denique euigilemus incuriæ & negligentie: tamen huic maximè conuenit tempore hæc lectio, quando Domini celebramus aduentum. Siue enim Domini meditemur aduentum in carnem, siue in mentem, siue ad iudicium adhuc futurum (triplex enim huius est hic aduentus) summa nobis cura agendum est, ut à somno euigilemus peccandi. Nam quomodo celebrare possumus Domini aduentum in carnem, nisi gratias eidem pro tanta charitate, qua ad nos venit, acturi? Quomodo autem gratias agemus, non intellectu beneficio?

Est igitur aduertenda dominici aduentus ratio, ut sciamus eum propterea venisse, quo liberos nos faciat ab omni peccato. Sed quomodo ob dominicum hunc gaudebimus aduentum, quomodo exultabimus ob eius aduentum, qui à peccatis nos redemit, nihilo minus in peccatis perseverantes? Hora igitur est, quandoquidem qui ad redimendos nos venit, prope est, à somno & obdormitione nos surgere, ne eius charitati videamur velle illudere, qui ad liberandos à peccato nos venit. Quod si aduentum Domini in mentem suspiramus, quomodo hora non est nos à peccatis cessare? Frustra enim in peccatis perseverantes hunc expectamus aduentum, siquidem in *ma-* *leuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Postremo, si vltimum recolimus aduentum, quo iam à Domino iudicandi, & iuxta operum nostrorum conditionem sumus accepturi, haudquaquam nos oportet moras agere, quin à peccatis ante euigilemus. Hora igitur nunc est nos à somno surgere, morari diutius dedecet. Propior enim nunc ex aduentu Saluatoris nostri est nobis nostra salus (quare incumbit quoque nobis*

A mini-

A quadruplici somno surgendum.

Aduentus Christi triplex.

I. Aduentus primi Domini aduentus. Roma. 6. Roma. 13.

II.

Sapient. 1.

III.

minimè in torpore vetustatis obdormire) quam eo fuit tempore cum legis umbra relicta, credere cepimus. Nox & umbra veteris legis transijt, in qua omnia in obscuro & in figura agebantur, dies autem & tempus euangelicæ legis appropinquauit, in quo ad salutem nostram diligentius nos vigilare & operari decet. Abijcienda igitur nobis sunt opera tenebrarum.

**1. Cor. 10.** Opera tenebrarum quæ. Opera tenebrarum peccata sunt & actus vitiosi, quia turpitudinem, verendum & ignominiam hæc habent, & ad principem pertinent tenebrarum. Abijciamus igitur opera tenebrarum, damnemus plangamusq; peccata præterita, futura autem caueamus, iuxta consilium Sapientis, qui dicit: *Fili peccasti, ne adicias iterum, sed de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur.* Induamur quoque arma lucis, quæ sunt dona Spiritus sancti, quibus contra mundum, contra carnem, contraque hostis nequitias munimur, & ad vincendas iniquas inimici suggestiones confortamur. Sunt quoque virtutes arma lucis, seu munimina gratiarum: quibus à Domino vestimur & exornamur. Indui autem iubemur, non quod in facultate sit nostra ornari munisque donis & virtutibus diuinis. Siquidem ut quidam dicit, *Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento iustitiæ, seu (ut alia habet lectio) lætitiæ circumdedit me,* & quasi sponsam decorauit me corona: sed quod hæc indumenta debeamus suspirare, anniti, eadem optare, pro his Dominum orare, & nullum obicem impedimentumve diuinæ operationi obijcere. Induamur itaque arma lucis, sic ut in die gratiæ, qui per Christi nobis illuxit aduentum, honestè ambulemus. Honestè ambulamus, cum innocenter viuimus, dumque diuinæ legi subiecti, virtuosè ac reuerenter coram Deo ambulantes, proximos nostros bono edificamus exemplo. Ad quod Christus nos hortatur, dicens: *Sic luceat lux vestra (vides quia inquit lux vestra luceat, non tenebræ obscurent) coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Ambulemus, inquit, sicut in die, ne in tenebris offendentes quempiam scandalizemus.

Non autem ambulemus in comessationibus vitiosis, gulæ & luxui delectis, aut ad inanem gloriam, aut ad superfluitatem paratis. Quia tamen si honesta conuiuia decenter & religiosè obseruata non reprehendantur, & hospitalitas vbique in sacra scriptura laudata sit, illa tamen sunt euangelica conuiuia, de quibus Christus loquitur, docens nos, cum prandium facimus, non inuitare diuites, aut amicos & vicinos, qui habent vnde nobis retribuant, aut qui iterum nos inuitent, seu nobis beneficium refundant aut honorem. Hæc enim querere, non est Christum querere, sed esurientes & inopes voca ad prandium, nam & illos multo minoribus impensis reficies, quam optimates & diuites. In illis etiam Christo places, Christum recipis, Christum pascis, qui pro illis tibi retribuet in retributione iustorum: quandoquidem illi non habent vnde tibi retribuant. Propter Christum igitur solum, & ex commiseratione illis solis solatium beneficiumque impendas. Caterum alijs comessationibus epulationibusq; abstinendum est. Admonet enim nos Saluator noster, dicens: *Videte ne grauentur corda vestra crapula aut ebrietate.* Ambulemus itaque non in comessationibus, non in cubilibus & impudicitijs. Lasciuam carnis & luxuriam, libidinemq; verat impudicam, quæ in matrimonio quoque haud raro excedit, in osculis, tactibus, & hu-

iuscemodi alijs prouocatiuis, quæ luxuriam in coniugio constitutis nullo licet respectu coniugij, commouent. Sunt enim hæc bestialia vitia, gula, ebrietas, & impudicitia, efficiunturque vt bestia ac bruta animalia, hi qui vitij huiusmodi seruiunt. Propterea dicit Spiritus sanctus: *Fornicatio & ebrietas auferunt cor.* Nec solum carnalibus est vitij abstinendum, sed ambulandum quoque nobis est non in contentione & æmulatione, hoc est, in ira & liuore. *Vbi enim (sicut Iacobus in epistola dicit) Zelus & contentio, ibi in contentione & omne opus prauum.* Optimum igitur viro est consilium, quod Timotheo Paulus scribit: *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem credentium.*

Postremo vbi monuit nos quid nobis sit vitandum Paulus, non tacet quid sit etiam amplectendum, dicens: Sed induimini Iesum Christum. Iesum Christum induere quid. Suauissimum hoc est verbum. Non dicit, tegite aut operite vos Christo, sed induimini Iesum Christum. Qui vestem induit, omnem nuditatem suam celat atque inuoluit: Ideo qui Christum iubetur indui, plena perfectaque iustitia & ex omni parte absoluta iubetur operiri, vt nulla pars actionis maneat à sinceritate aut à iustitia nuda. Qui enim in quibusdam actionibus est iustus, in alijs item iniustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudauit. Indui igitur iubemur Dominum Iesum Christum, hoc est, figuram totius vitæ ipsius in nos transformare, imitari, atque in nobis exprimere. Sic enim à Paulo monemur, vt quomodo portauimus imaginem terrestris Adæ, ita portemus & cælestis figuram, eius virtutes & opera in nos transformando. Ad hæc autem hodiernum nos quoque inuitat Euangelium, quod hodiè, vt sequitur, legitur.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM DOMINICAE I. ADVENTUS, *Matthæi XXI.*

**A**duentum Domini celebrantes, hoc tempus significamus, quo patres nostri desiderijs feruentissimis, clamoribusque importunis Dei Filij incarnationem, sui que, hoc est, humani generis redemptionem postularunt. Nos autem de Domini aduentu aliquid dicturi, primum de quo (cum multiplex posset intelligi aduentus Domini) dicere statuamus, vobis significari necesse est. Est enim aduentus Domini in carnem. Aduentus in carnem. Ioan. 1. Aduentus iudicij. Hic iam aduentus præterijt. Deus enim homo factus est, non iterum hoc modo in mundum venturus. Est aduentus alius Domini ad iudicium, quem expectamus quidem omnes, licet non pari fiducia & conditione. Veniet enim in fine mundi Dominus Iesus iudex ad generalem mortalium cunctorum resurrectionem, discussionem & retributionem, daturus omnibus, vt scriptura habet, mercedem iuxta eorum opera. Apocal. 22. Quibusdam enim daturus est vitam felicitatemque æternam, glorificaturusque corpora eorum, quæ pro suo hic honore esurierunt, alserunt, sudauerunt, persecutiones, itemque odia sustinuerunt mundi, quam obrem eadem coronabit tunc inenarrabili felicitate, & gloria multiplici. Porro alijs ediuerso ob eorum superbiam, lasciuiam, voluptatem, aliaque ipsorum peccata reddet, vt meruerunt. Huius aduentus hodiè iuxta Euangelium præsens, quod multis in ecclesijs legitur, nulla sit memoria, quæ ex litera colligi possit. Est tertius aduentus spiritalis, in-

Aduentus  
mysticus.

lis, inuisibilis secretusque Dei in mentem hominis, qui nullo non tempore fit, imò quotidie omni que momento. Hic tamen omni tempore cogitari, optari, expectari debet, tamen in hoc Euangelio non præcipua illius seruatur memoria. Cuius igitur, inquis, seruatur memoria? Primi aduentus in carnem. Cuius idè nunc recolimus, quod infinitam suam misericordiam super nos magnificari Deo, eruens nos ab omnibus malis, & implens omnibus bonis. Euangelium itaque quod hodie legitur, dominicæ quæ Palmarum vocatur, conformis est, hodie tamen nihilominus legitur, propter prophetiam Zachariæ de venturo Messia loquentis, quæ hoc in Euangelio enarratur. Cuius certè aduentus signum seu indicium certum posuit ipse Propheta, quo Christus & Messias venturus agnosceretur. Quod indicium cum illa die, quam nos Palmarum dominicam vocamus, Dominus exhiberet, factum est vt propterea illa quoque dominica idem legatur Euangelium, hic quidem propter prophetiam & signum Zachariæ, dicentis: *Dixit filia Sion, quia Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Quasi diceret: In hoc signo cognosces Christum Messiamque tuum venisse, cum videris illum sedentem super asinam pauperem & mansuetum aduenire. Quod cum in vltima dominica antequam moreretur, impleteretur, statutum est ab Ecclesia, vt tunc quoque idem Euangelium legeretur. Huius Euangelij expositionem pro illo tempore congruam inuenies infra in eadem dominica. Quod verò hodie legitur, non fit propter historiam, sed propter prophetiam, qua nobis signum datur manifestum, quo verum agnoscere debeamus Messiam. Itaque nunc quidem pro aduentu Domini, pro signo indiciove, quo Christus agnoscat, legitur, vt dixi. Circa Domini verò passionem die, qua gestum est, iteratur, quia rei tunc gestæ historia describitur. Audiamus igitur Euangelium.

Zachar. 9.

Ibidem.

Cum appropinquasset IESVS Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos, dicens eis.

Ex monte nobis Dominus propinquat Oliueti (Hierosolymite enim iuxta mysticum sensum sumus omnes) quia de magna eius misericordia venit, vt nostram susciperet naturam, nostram infirmitatem & miseriam. Ipse enim tunc nobis appropinquabat, quando nostra suscepit, & sua nobis tribuit. Nam incarnatus diuinorum nos munerum suorum fecit participes, nostræ infirmitatis ediuerso ipse participes factus. Itaque cum propè esset vt veniret Dominus, mundum suum aduentum non omninò latere voluit, sed vt in se crederet mundus venturum, quasi duos discipulos præmittens, mundum id docere voluit, vt in se credentes venturum per fidem salui efficerentur, quemadmodum & nos qui modo illum credimus venisse. Qui, inquis, autem duo hi fuere discipuli? Si iuxta literam & historiam fuerit respondendum, vt aliqui putant, Petrus fuit & Philippus (quamuis alijs aliud videatur) qui Domino asinam & pullum adduxerunt. Porro si de aduentu Domini Euangelium hoc intelligamus, non incongruè dici potest hos duos fuisse status ante Christi aduentum celebres, patriarcharum scilicet & prophetarum. Hi enim ab initio aut verbis, aut rebus & prodigijs venturum Messiam

Discipuli  
de o mystice  
quid.

Messiam qui mundum liberaret, prænunderunt. Nunquam enim ætas aliqua fuit mundi, cui defuerunt viri iusti, vel ex patribus, vel ex prophetis, qui clarius & supra alios tam diuina reuelatione, quam rerum figurarumq; significatione illuminati, plebem de ventura sibi redemptione vel in obscuro docuerunt, eandemque in fide continuerunt redemptionis futuræ. Nihil enim faciet Dominus, vt propheta habet, super terram quod non prius reuelat seruis suis prophetis. Quomodo ergo illos hoc saluti nostræ tam necessarium celaret? Quis enim dubitet Abraham in hac promissione intellexisse Messiam Christum, quia audientem in semine suo benedicerentur omnes gentes? Aut quis eum in filio suo, quem duxit iustus ad immolandum Domino, portante supplicium suum quo erat offerendus, neget intellexisse figurari venturum Messiam? Deinde Melchisedec nonne Christum, Christi que sacerdotium & sacrificium palam omnibus signauit? Iacob quoque in benedictione filiorum suorum duodecim patriarcharum, quam non raro sub velamine verborum Christi meminit? Manifestius autem vbi Iudæ dicit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est* (pro quibus Chaldaicam aiunt translationem habere, donec veniat Messias) & *ipse erit expectatio gentium*. Moses quoque non ignorauit, de quo loqueretur, cum diceret: *Mitte Domine quem missurus es*. Nec Dominum non intellexit cum audiret: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui*. Aut cum illud ad populum referret, dicens: *Prophetam de gente tua; & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*. Deinde vix Psalmus occurrit, quo Dauid de Christo non tantum futuro, redemptionis nostræ modum, hoc est, Christi passionem, non aliter quam historiam recensens. Propheta denique omnes, & inter hos præcipue Esaias, de aduentu Domini prophetant. Esaias namque de Christo tam lucide suam prophetiam, perinde ac si euangelicam scriberet narrationem, profert. Quam perspicue enim de Christi loquitur aduentu, vbi dicit: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, &c.* Item: *Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Postremo, cum omnes enumerare prophetias nimis foret longum, Ioannes quoque propheta & plus quam propheta, non solum prædicit, sed digito etiam suo nobis Christum monstrat, & causam simul illius aduentus indicat dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Venit enim Dominus Iesus quærere & saluum facere, quod perierat. Duos itaque Dominus discipulos præmisit, quia duo sunt (vt dixi) ordines patriarcharum & prophetarum, qui Christum mundo venturum prænunderunt, aut lex & propheta: lex enim in Mose significatur, qui circumcisionem præmonuit de Christo futuro. Esaias verò præcipue inter prophetas Christum eiusdemque ortum, prædicationem, passionem, gloriam, & gentium vocationem narrat.

Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: Soluite & adducite mihi.

Vt paulo ante dixi, per discipulos duos à Domino missos significari legem & prophetam.

A 3; gem

ia & pul-  
myſtice  
quid.

Castellum  
quid.  
Lucz. 10.

Lucz. 1.

gem & prophetas, ita per afinam & pullum nemo non intelligit circuncisionem & præputium, hoc est, iudæam seu populum iudæorum, & gentium. Quem vtrunque populum Dominus Iesus sibi voluit adduci, quia vtriusque voluit populi mentibus infidere, vtrunque à peccatis liberare. Adducitur autem asina & pullus, dum iudæa primum, deinde gentium quoque natio Christi docenda, frænanda, gubernanda, ac possidenda præparatur. Quod per legis & prophetarum eruditionem factum non dubitatur, quibus mundus ad Christi susceptionem ad Christi quæ fidem, & ad eius euangelicam prædicationem suscipiendam est præparatus. Itaque mittens illos dicit: Ite in castellum quod contra vos est. Non iniuria mundum castellum vocat, quomodo alio quoque loco scriptum est: *Ingressus est Iesus in quoddam castellum.* &c. Mundus enim castellum est, quo fortis armatus multo tempore posuit atrium suum, euangelica expugnatione nunc Christi expugnandum. Hoc erat castellum contra Apostolos, quandoquidem & contra magistrum, id est, contra Dominum Iesum erat, cuius iugum Euangelicæ scilicet legis quamuis suauæ, recipere ac ferre recusabat. Erat quoque contra quoscunque Dei seruos, amicos & prophetas, quos pariter omnes persecutus est & oppressit. Quis enim fuit prophetarum quem mundus non est persecutus? Alium lapidauit, alium interemit, alium serra lignea diuisit, alium capite truncauit. Propterea enim quod dominico voluerunt parere mandato, & adducere afinam ad Christum, à mundo & mundi principe persecutionem passi sunt, licet mundus impedire non potuerit, quin adderetur.

Et si quis aliquid dixerit vobis, dicite: Quia Dominus hoc opus habet, & confestim dimittet eos.

Apost. 3.

Quantas passi sunt contradictiones prophetæ & prædicatores sancti, qui afinam adducere curarunt ad Christum? Nemo tamen persequentium prouidentiam & consilium impedire valuit Christi. Nam & cum iudæi nolent Apostolorum prædicationem suscipere, nec super se mortem sinerent Christi induci, vt videlicet illis imputaretur Christi crucifixio, ceu his qui Christi mortem fuissent iniuste machinati, & ideo persequerentur Apostolos, monuit eos Gamaliel legis doctor, vt persequi desinerent Apostolos docentes, nec eorundem prædicationi obsterent, nedum se illis opponerent, Omnipotenti Deo repugnasse inuenirentur. Hoc modo Christus dicit: Confestim dimittet eos. Quantum enim ad sensum allegoricum pertinet, nemo principum huius seculi quantislibet etiam machinationibus se opponeret, Apostolorum impedire valuit prædicationem. Eorum autem contradictio innuitur ex altero Euangelistarum, qui scribit Apostolis obiectum ac dictum: Vt quid soluitis pullum? Verum vbi his responsum est Dominum hoc opus habere, & vbi signis & virtutibus atque prodigijs ostenderunt Apostoli Domini voluntatem esse, videntes tyranni, quia impedire non poterant, dimiserunt eos.

Zach. 9.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus*

tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & super pul-  
lum filium subiugalis.

Non leuis nec vulgaris opinio apud Iudæos de Messia venturo fuit, cre-  
dentes illum venturum, & suo aduentu & temporali potestate Iudæis reg-  
num restitutum, & omnia illius ditioni temporali esse subijcienda. Ino-  
leuerat autem hic error multo iam tempore, vt aliud nescirēt Iudæi de Mes-  
sia, nec qui hodiē dispersi sunt, aliud credunt, quam vt Messias temporalis  
sit rex futurus, potens & gloriosus, cui subijciantur omnia. Hæc autem opi-  
nio adeo mansit in cordibus Iudæorum fixa ac vulgata, vt mater quoque fi-  
liorum Zebedæi Dominum Iesum verum credens regem, seu Christum & Matth. 20.  
Messiam, pro filiis suis eundem rogauerit, dicens: Da mihi, vt sedeant hi duo  
filij mei tecum in regno tuo, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram. Putabat enim  
ilico eum post resurrectionem regnaturum, & quod in secundo promissum  
est aduentu, in primo esse complendum. Nec Apostoli etiam post resurre-  
ctionem aliud suspicati videntur, dum Christum paulo post ad cælos ascen-  
surum interrogarunt: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Causam  
erroris non minimam præbuit scriptura perperam ab illis intellecta, quo-  
modo & cunctis hæresibus præbuit, & præbebit causam à veritate hallucinandi.  
Legerant enim: *Erut in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in* Esaiæ 2.  
*vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt*  
*populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob,*  
*& docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Et in Ieremia: *In tempore* Ierem. 5.  
*illo vocabunt Hierusalem solum Domini, & conegregabuntur ad eum omnes gentes in*  
*nomine Domini in Hierusalem.* Legerant etiam in Psalms de Christo: *Et ado-* Psal. 71.  
*rabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Quia liberabit pauperem à pot-*  
*ente. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Et dominabitur à*  
*maris usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Hæc aliaque id  
genus multa legerant, audierantve Iudæi de Messia Christo scripta, quæ nõ  
intelligentes spiritualiter implenda, credebant temporali maiestate Mes-  
siam omnibus imperaturum. Hinc illorum errorem Zacharias elidere vo-  
lens Propheta: Dicite, inquit, filia Sion, hoc est genti Iudæorum, dicite sy-  
nagogæ Iudæorum: Ecce Rex tuus Christus, seu Messias veniet tibi, non vt tu  
putas, gloriosus ac imperiosus vt dominator terrenus, sed mansuetus &  
pauper, sedens super asinam, pacis amicam, laboris patientem, & sim-  
plicem, non superbo vectus equo, qui procul odoretur bellum. Quasi dice-  
ret: Hoc habebis signum filia Sion aduentus tui Messia, vt dum illum vide-  
ris pauperem, mansuetum, & super asinam sedentem ad te venire, ipsum ag-  
nosces & benedicens, dicas: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Christus  
igitur vt se probaret esse Christum, se quoque illum testaretur esse, de quo  
Zacharias prophetarat, fecit sibi adduci asinam & eius pulum, cui insideret  
introiturus Hierusalem ad patiendum. Idèd hic dicitur: Vt impleretur quod  
dictum erat per Prophetam. Non solum tamen propterea tantum Christus  
hoc fecisse credendus est, vt propheta impleretur, sed potius quia futurum  
erat, à propheta prædicabatur.

Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Ie-

5  
 sus, & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

Ante iam dixi per asinam & pullum significari gentes duas, Iudaeorum scilicet & gentium. Per asinam namque non obscure significatur synagoga, quae oneribus assueta legis domita fuit. Porro pullus quia lasciuus erat & effrenis, gentes significat, nullo iugo, nullis adhuc legibus subiectas. Apostoli itaque utrunque ad Christum adduxerunt. Quod si de tempore quod Christi praecessit aduentum, intelligatur, lex & prophetae de utroque populo multos praeparauit Christo adducendos. Nam circa Christi natiuitatem & praedicationem multi reperiuntur ex gentibus conuersi ad Iudaismum, indeque ad Christum. Quoniam Hierosolymis ad diem festum Paschae multi sociabantur ex gentibus, qui gratularentur Iudaeis, & eorum communicarent festiuitati. Horum Ioannes Euangelista quoque meminit dicens, quod gentiles aliquot erant ex his qui ascenderant Hierosolymam, ut adorarent in die festo. Hic ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus inquit, & dicit Andrea. Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu. Quo liquet non tantum in Iudaea notum cepisse fieri Deum siue Christum, sed etiam ad gentes & Samaritanos nomen eius diffusum. Quod autem asinae siue pullo Apostoli imposuerunt, quo mollius sederet Iesus, sua vestimenta, est intelligendum quod praedicatores atque nuntij Christi, tam hi qui ante, quam qui post eius aduentum adducere curarunt animas ad Christum, non solum Christi aut legis praecipua docuerunt, sed etiam humanis vti sunt persuasionibus, eruditionibusque, de suo ingenio aut industria non nihil adijcientes, quicquid huic subiectioni & obedientiae fidei nosset accommodum aut vtile. Quod scite sapientissimeque nouit Paulus, ut illius epistolae & Apostolorum acta testantur. Haec erant vestimenta hominum quae Christo, quo mollius sederet, hoc est, quo suauius animabus illaberetur, reciperetur, & feruentius, quietiusque insideret, supposuerunt.

Ioan. 2.

Vestimenta Apostolorum mystice quid.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem caedebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

Ad literam hoc, quando Dominus sedens super asinam Hierosolymam paulo ante passionem suam intrauit, impletum est, ut hic scribitur. Significatur autem eorum deuotio qui Christi receperunt aut recipere volunt aduentum, quo debeant desiderio, quo gaudio, quo denique honore occurrere Saluatori. Portent ramos arborum siue palmarum, hoc est, celebrent victorias de hostibus suis, id est, de peccatis ac vitijs suis, easque Domino offerant atque substernant, nihil sibi, sed gratiae & mirificentiae illius victoriam seu profectum suum ascribentes, & eum propterea honoribus & laudibus afficientes. Exuant praeterea vestimenta sua, quae veteris sunt hominis oportet, & quando iam non in veteri vita, sed in nouitate est ambulandum, Christo eadem substernant, contemnendo prioris vitae opera, & in anteriora se extendendo. Qui enim priorem vitam suam damnans atque despiciens, Christo eandem ad meliora reformandam subijcit, hic vesti-

Ramos palmarum mystice portare.

Vestimenta exuere Christo quae substernant, etc. quid.

menta

DOMINICAE I. ADVENTVS.

menta sua Christo substernit. Ramos de arboribus caesos Christo subijcit, quisquis virtutes & exempla perfectorum virorum, qui vt arbores florent in ecclesia, tanquam frondes inde caesos imitatur & exercet, vt in his non suam, sed Christi gloriam quaerat.

Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosihahna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Totum hoc quod factum est, nihil aliud significat quam quod tam iuste, quam dignè laudem regi vero, Christo vero, Messia vero, tribuerunt omnes pii quotquot Christum confessi sunt, à nobisque laudes tribuendæ sunt, quoniam fecit nobiscum secundum misericordiam suam. Venit enim Omnipotens ad imbecilles, medicus ad infirmos, liberator ad captiuos, ad ignaros doctor, ad eos qui in tenebris sunt, lux: & vt tandem simul dicam omnia, ad eos qui ad mortem erant sempiternam condemnati, qui exclusi erant à regno Dei, redemptor & Saluator aduenit. Iustissime igitur clamauerunt, filio Dauid Hosihahna, hoc est, rectè & dignè Christo Domino & Messia verò, quem nouerant filium descendere ex propagine Dauid, acclamauerunt Hosihahna, id est, saluum me fac obsecro. Est enim sensus, ac si dicatur: Iustè dicitur Deo, aut clamatur illi: Miserere mei, quia illi competit misereri, & non ab alio quam ab eo maximè nobis necessaria est petenda misericordia. Hoc modo ab Euangelista quoque dicitur, quod Christo clamauerunt turbæ, Hosihahna, id est saluum me fac obsecro, asserere volens quod turba illum habuerit vt Saluatorem. Nos autem filij, qui non minorem quam vulgus hoc vndeunque collectum fidem ad Christum habemus, vt potè qui verè & indubitato Christum Messiam, Saluatoremque nostrum, & Dei Filium credimus Dominum Iesum, intelligamus quoque necesse est, quis venerit ad nos, aut (si de adhuc venturo aduentu aliquo loqui volumus) quis sit ille, qui venturus ad nos siue iudex siue inhabitator est, cuiusque aduentus sit celebrandus. Certè Deus Deorum. Certè ipse est qui solus est Deus. Hic quum propter inobedientiam nostram præuicatorum essemus, & æternæ damnationis rei) propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, venit ad liberandos nos. Nemo enim nos alius ab æternæ mortis potuisset cruciatu liberare, nisi ipse solus. Debuit enim esse homo qui pro nobis satisfaceret, quia in ea natura, quæ peccauerat, oportebat solutionem aut satisfactionem fieri: sed hominum nullus potuit infinitæ virtutis opus aliquod facere, quo solueret peccatum, quo infinitæ bonitatis Deus erat offensus. Nullus etiam hominum erat mundus à peccato, idè neque pro se neque pro alijs potuit satisfacere. Quis igitur alius potuit? Deus. At non debuit Deus (neque enim ipse peccauerat) sed hominem esse oportebat, vt in natura quæ peccauerat, peccatum puniretur. Inuenit igitur summa bonitas, infinita sapientia, immensaque charitas, consilium, quo nobis parceretur, & nihilo minus iustitiæ satisfaceret diuinæ pro peccato. Nam Deus ipse Dei Filius propter nos factus est homo, vt haberet ex natura humana qui deberet satisfacere, & ex diuina qui posset. Posuit igitur Pater super eum iniquitates omnium nostrum, & in eo puniuit. Itaque ipse pro nobis sa-

Tobiaz 4.

Psal. 50.

Exhortatio.

Psal. 49.

Ephes. 2.

Tobiaz 14.

Esa. 53.

B bis sa-

1. Pet. 1.

Rom. 4.

Esaia. 53.

bis satisfecit qui nihil deliquit, Christus Saluator noster Deus & homo. Ipse vulneratus est propter delicta nostra ipse attritus est propter scelera nostra: nostri miseratus est, nobis peccata donauit, quia ut donaret, pro nobis sanguinem suum fudit. Ipse pro nobis doluit, cuius liuore sanati sumus. Vide itaque quis & quantus est qui nobis aduenit, & cuius aduentum celebramus. Nempe Deus & homo, vnus Emanuel. Huius itaque aduentus, hoc est, tantæ misericordiæ memoriæ facturi, quæ nobis per Christum aduenit, statuamus Domino Omnipotenti gratias agere, ipsum adorare, laudare & benedicere, pro charitate sua immensa, qua nos miseros benignè respexit, misericorditer propter nos homo factus est, nobis viam ad regnum celorum aperuit, ostendit, docuit, & in se præmonstrauit. Huic charitati O filij gratias agite, illum benedicite, illum ut amatorem vestrum misericordissimum ac fidelissimum diligite: quoniam propter solam suam bonitatem saluos nos fecit Dominus Deus noster qui in secula seculorum est benedictus, AMEN.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Quomodo ad nos venerit Christus, quomodo etiam nos illi debeamus occurrere.*

Zachar. 9.

Esaia 45.

Esaia 64.

Psalm. 99.

Psalm. 84.

**D**icite filie Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, Matthæi XXI. Ecclesia hodiè incipit celebrare aduentum Domini, non quod iterum expectet in carne Dominum venturum, nobis in specie commemoraturum humana: sed assumit personam veteris ecclesiæ, quæ ante Christi fuit natiuitatem, quæ magno seruire Christi desiderauit aduentum, illiusque dilatione grauabatur. Inde sunt prophetarum ac patrum oracula clamantium ad Dominum, & illius præsentiam postulantium, quæ his quoque diebus leguntur. Verbi gratia: *Rorate caeli desuper & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Vtinam, inquit, distrumperes celos, & descenderes.* Item, *Ostende nobis faciem tuam & saluauerimus.* Item, *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Quæ verba quid quæso significant, nisi desiderium deuotum, ac feruens Christum videndi? Sicut ergo in die natiuitatis Domini recolimus eiusdem natiuitatem, natiuitatisque & gaudium & fructum, ita nunc recolimus eiusdem incarnationem, & pro illa desiderium patrum suspirantium. Hæc autem recolendo, meritò erubescimus teporem nostrum, qui ab illo patrum feruore nimis distamus: quia quum sciamus nos aduentus Domini fructum posse vberiore celerioreque obtinere quam illos, posse intra nos Christum suscipere, & eius aduentum in nobis sentire: non tamen pro illo clamamus, nec rogando ingemiscimus. Planxit sui æui tepiditatem olim diuus Bernardus. At quam rectissime nostra plangeret tempora, si hodiè quis viueret Bernardus. Ita enim super cantica dicit: Desiderium sanctorum patrum suspirantium in carne præsentiam Christi frequentissime cogitans, confundor & compungor in memetipso: & nunc vix contineo lachrymas, ita me pudet & tædet teporis temporis huius. Admoneo itaque vos filij per celebrationem Domini aduentus, reminisci misericordiæ immense diuinæ, qui se propter vos exinanauit, formam serui accipiens, ut haberet in quo

Philip. 1.

vos posset redimere, in quo posset vos reconciliare Patri, in quo posset pro  
 vobis pati & mori, in quo denique vos posset docere vobis posset viam vi-  
 ta, viam ad regnum caelorum, & virtutum exempla ostendere. Absque ra-  
 tione enim non est quare nobis nunciatur mansuetus, pauper & sedens su-  
 per asinam aduenire. Pensate quo illud attineat, quod is de quo Propheta  
 tam multa magnifica atque sublimia scripsere, nullam tamen dicitur, aut  
 potestatem, aut gloriam ostentare: nec praenuntiatur in maiestate aliqua  
 venire, sed pauper, mansuetus, & sedens super asinam: nisi quod in hoc sig-  
 no vult eum Propheta agnosci, in quo ipse vult se imitari? Vide igitur quo-  
 modo ille ad te venit, vt pari modo tu quoque ad illum accedere satagas.  
 Ideo enim humilis, pauper, mansuetus ad te venit, vt eius discas formam  
 humilitatis, mansuetudinis, paupertatis, aliarumque virtutum imitari.  
 Nam quod rex hic vocatur, quamuis verè sit rex, (is nempe est in cuius ve-  
 stimento & foemore scriptum erat: Rex regum & Dominus dominantium,) Apoc. 19.  
 nihil tamen hic exhibuit in mundo regium, aut quod potestatis esset terre-  
 na. Nam matri & fabro Ioseph subditus fuit, in deserto inter animalia ieu-  
 nauit, pedes de ciuitate in ciuitatem ambulauit, à ludæis sputa & conuitia  
 pertulit: Inter hæc Pilato regem quidem se non abnuens, *Regnum meum*  
 inquit, *non est de hoc mundo*. Est tamen reuera rex noster nos pascens, nos  
 regens, nos defendens, nos liberans. Beatus qui se illi regendum com-  
 mittit, beatus qui se illi regendum præbet, qui eius obtemperat mandatis,  
 qui eius sequitur ducatum, qui sese illi conformare, qui illum satagit imi-  
 tari. Dicite igitur filia Sion: Ecce rex tuus quem tantoperè desiderabas, ve-  
 nit. Hic ingreditur ante te, & præliabitur bella tua, accepturus hostem  
 tuum fortem illum armatum captiuum, armaque eius tollet ab eo, & spo-  
 lia distribuet. Huius militiam discite, quæ est paupertatem & contemptum  
 amare, seruare humilitatem, exhibere mansuetudinem, concupiscentias  
 & desideria carnis & omnem amorem sui ipsius mortificare. Attende filia  
 Sion, quia rex tuus vocari vult, quo intelligas & tibi & propter te solam ip-  
 sum aduenire. Animaduerte quoque quia tibi se prænuntiari vult adueni-  
 entem, desiderium tuum in hoc excitans, exhilaransque spiritum tuum vt  
 sibi occurras. Occurrere autem ei dignius non potes, nisi amore feruens,  
 quomodo ipse feruens amore vrgetur ad te venire. Exurge igitur, occur-  
 re, & amans illum tui amantissimum excipe. Agnosce regem tuum, & ad  
 obediendum illi te para. Adorna thalamum tuum quo dignè illum reci-  
 pias hospitio. Quod, inquis, hospitium? Cor tuum. Sic enim iubemur, scri-  
 ptura dicente: *Præparate corda vestra Domino*. Siquidem & ille nihil adeo desi-  
 derat quam cor tuum, dicens: *Præbe mihi fili cor tuum*. Delicia enim eius sunt  
 esse cum filijs hominum. Aduerte autem hic primo quod cor tuum non sibi  
 vult accommodari duntaxat, sed dari: quia vult non solum ad tempus, nec  
 admissus tantum, sed verus ac perpetuus esse Dominus, habitator ac posses-  
 sor cordis tui. Vult igitur cor tuum solus, & hoc ipsum totum possidere, vt  
 quicquid illi obsequij, quicquid laudis, honoris & gratiarum actionis ob-  
 tuleris, id ex corde proveniat. Cor enim nostrum scaturigo omnis est boni,  
 maligni. Quamobrem qui cor tuum desiderat, te ipsum totum desiderat. Sed  
 quid mirum vt te ipsum totum repetat, qui se ipsum totum prior dedit? Qui  
 B. 2 igitur

Zachar. 9.

Quomodo  
ad nos ven-  
it Christus.

Apoc. 19.

Luce 7.

Marci 1.

Math. 4.

Ioan. 19.

Zachar. 9.

Zachar. 14.

Luce 11.

Militia Chri-  
stiana que.Occurren-  
dum quomodo  
fit Chri-  
sto.

1. Reg. 7.

Prou. 1.

Prou. 3.

Accommo-  
dare cor suu  
Deo quid sit.

igitur cor suum Deo tradit, seipsum totum tradit. Porro ille accommodat & non præbet, qui quandoque & ad tempus illud Domino quando placet, offert, & sibi ubi voluerit, resumit. Secundo, non vult sibi cor tuum locari. Locat qui pro mercede illud Domino tradit, hoc est, qui pro mercede Domino seruit. Qui huiusmodi sunt, audient: Receperunt mercedem suam. Nam si pro temporalibus bonis, si pro sanitate, si propter gloriam opinionemque hominum Deo seruis, cor tuum locasti Domino, atque pro mercede exposuisti. Tertio quoque cor tuum sibi non vult vendi. Vendunt qui Deo pro præmio cælesti seruiunt. Et quamuis præmium cæleste sit ipse Deus, impurus tamen ille est amor ac præmij appetitus, quo tibi præcipue benè optas, vt tibi benè sit, æstimans æternam beatitudinem esse vitam, quæ nihil habeat tristitiæ aut mœroris, cui nihil desit gaudij, cui omnia abundant bona, & nihil sit tibi tædij. Hanc igitur vitam si sic amas, si sic optas, & pro illa tibi benè volens, Deo seruias, quo tibi benè sit, vendis cor tuum Deo, puta non seruiturus alioqui illi, nisi æterna tibi seruiendo comparare posses gaudia. Hic amor adhuc nimis querit seipsum. Idco vult Dominus vt cor tuum illi dones, præbasque totum, vt si possibile foret, etiam gratis ei optares seruire: non præcipue propter te, sed propter ipsum, vt ille ex te honorem habeat & laudem quamuis in se ille perfectus sit, nec honore & laude tua egeat. Voluntas tamen tua bona illi placet. Quam quo minus de mercede cogitas, copiosius gloriosiusque coronabit. Quod sapienter differt B. Chrylost. dicens: Merces tibi maior augetur, quando non spe mercedis operaris, sed studio placendi. Vt igitur cor tuum totum Deo tuo offeras, præbeas, ac plenè resignes, obseruanda sunt septem exercitia, quorum scriptura sancta nos commonefacit. Primum est cor præparare, tanquam domum Domino ad habitandum. Quia scriptum est: *Præparate corda vestra Domino.* Quod maximè de aduentu Domini intelligitur, cui est locus in se dignus præparandus. Quia verò scriptum est etiam: *Domum tuam Domine delectatio sanctitudo:* nec ipse habitare consentit in corpore subdito peccatis, necessè est, vt omnem spurcitiam, omnem dolum & simulationem, omnemque impuritatem à corde tuo eicias. Alioqui non delectabit illum habitare in medio tui. Adorna igitur thalamum tuum Sion, para Domino locum in te, non solum mundum & sanctum, sed etiam quietum. In pace enim cum sit ei factus locus, designatur impacatam habere domum. Esto igitur simplex, humilis, mitis, castus & pudicus, timens Deum, & recedens ab omni malo. & dubium non erit, quin eligat tecum Dominus habitare. O si audire etiam merearis Dominum tibi dicentem: *Lauda & letare sicut Sion, quia ecce ego venio, & inhabitabo in medio tui,* hoc est, in corde tuo. Beatus qui habet te habitatorem Domine Iesu. Beatus cui tu rex mansuetus adueniens, insides: Secundum cordis exercitium est custodire. Ad quod sapiens nos hortatur dicens: *Omni custodia serua cor tuum quoniam ex ipso vita procedit.* Alia debemus, quæ ad peccandum nos vel trahunt, vel alliciunt, vel inuitant, profcindere, vt sunt peccata peccandi que occasiones, tam in hominibus, quam in locis, alijsque quibuscumque noxijs euitandis. At verò cor nostrum commune debemus bona ac firmata voluntate, debemus custodire vigili cura & prudentia, debemus denique præsidium diuinæ custodiæ orando nobis adiu-

care.

Ces suū Deo  
locare quid  
sit.

Math. 6.

Vendere Deo  
cor suū quid  
sit.

Donare cor  
suū Deo  
quid sit.

Ioannes  
Chrylost.

Exercitia  
cordis se-  
ptem.

Cor præpara-  
te.

1. Reg. 7.  
Malim. 22.

Ioel. 2.

Psalm. 73.

Tobix 4.

Zacha. 3.

Cor custo-  
dire.

Prover. 4.

care. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Tertium exercitium legimus cordis in scriptura, quod est aperire. Videndum tamen cui aperias cor. Neque enim omnibus aperiendum. Alioqui haudquaquam adhibenda præciperetur nobis custodia cordis. Deo igitur soli eiusque nuntijs ab eo venientibus, hoc est, inspirationibus sanctis, admonitionibusq; diuinis aperiendum est cor. Aperiendum est & patefaciendum, & consentiendum ad recipienda monita & consilia diuina. Ideo scriptum est: *Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis.* &c. Adaperiat, inquit, hoc est, vos consentire, placereque faciat vobis legem suam. De hac aperi-tione in Apocalypsi Dominus loquitur: *Ecce sto ad ostium & pulso. Si quis mihi aperuerit ianuam, introibo ad illum cenaboque cum illo.* Nihil enim magis desiderat, quam aperiri sibi cor nostrum, quod ingrediatur. Propterea in Canticis rogat: *Aperi, inquit, mihi soror mea, amica mea,* &c. Quartum est cordis exercitium stabilire illud. *Optimum est,* inquit Apostolus, *gratia stabilire cor.* Cor stabilire est in proposito proficiendi, atque ad meliora semper progrediendi perseverare, ne hodie Domino seruire dum decreuimus, cras ab hoc in aliud, quod magis placeat, recidamus. Est quoque stabilire cor in hoc vnum, quod solum est necessarium, illud figere, nec ab illo propter vana, leuia otiosaq; recedere. Quia verò filij indefinenter infidiatur nobis communis hostis noster, tentans quomodo à bono statu, quomodove à bono proposito nos aut retrahat, aut impediat per media quacun- que potest, est idcirco necesse vt domus nostra fundata non sit super arenam tantum, sed super petram firmi immutabilisque boni propositi, quo nulli cedamus tentationi. Tentat enim, & auertere nos molitur diabolus à bono proposito aut per vitia, quæ diligere consueuimus, aut sub colore specieque alterius boni melioris faciendi. Quod tamen solum proponit nobis, vt abducatur nos ab vtili bono, quo vnum deserentes aliud non obtrineamus, aut vt saltem importunitate tædiosisq; suggestionibus eius toties reiiciendi, viti- sti deficiamus. Quapropter contra omnes eius astus stabiliamus corda nostra, nec hæsitemus circa ea, ad quæ vocati sumus, maximè si his testimonium adferat superiorum nostrorum catholicorum assertio, si sacræ accesserit scripturæ auctoritas, si denique ea nostra probauerit conscientia, & a- liorum quoque bonorum virorum Deum timentium id roborauerit con- silium. Itaque cum nunquam non infestet nos serpentis astutia, quo à diu- nis nos præceptis, & à felici aut proposito aut statu, aut loco nos abducatur, si- mus memores sententiæ Ecclesiastici: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta* (hoc est, stabilis perseverans) *in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentatio- nem.* Et iterum: *Esto firmus in via Dei.* Quintum cordis exercitium est, dare alicui cor suum. Nemini iustius, nemini honestius, nemini castius, nemini felicius cor nostrum dare possumus, quam Deo, vtpote cui totum debemus quod sumus. Et hoc solum cor nostrum desiderat. Quod vbi habuerit, satis est illi. De hac donatione seu oblatione cordis nostri Deo facienda paulo ante supra dixi. Sextum exercitium cordis in scripturis indicatum, est illud leuare. Propterea Paulus nos admonet, quæ sursum sunt, querite, & in Threnis iubemur leuare corda nostra cum manibus. Esaias quoque nos admonens: *Eleuare,* inquit, *eleuare, consurge Hierusalem.* Bis cor nostrum ele- uandum.

Psalm. 126.  
Cor aperire.  
Deut. 4.  
Cor quibus  
solum aperi-  
endum sit.  
1. Mach. 1.  
Apoc. 3.  
Cant. 5.  
Hebr. 12.  
stabilire cor.  
quid sit.  
Luca. 10.  
Math. 7.  
Eccle. 2.  
Eccle. 5.  
Cor dare.  
Cor leuare.  
Coloss. 3.  
Thren. 3.  
Isaia 51.

- uandum dicit, quia & intellectu & affectu in superiorum meditatione & appetitione decet nos semper versari. Septimum legimus cordis exercitium, quod est illud scindere. De quo Ioel Propheta: *Scindite*, inquit, *corda vestra. & non vestimenta vestra*. Erat Iudæorum consuetudo, si quid blasphemie, indignumque Deo audirent, scindere vestimenta, sed hoc faciebant multi Pharisæorum & Iudæorum duro & obstinato nihilominus corde. Dicit igitur Propheta, corda potius scindenda quam vestimenta. Vx enim duro cordi & obstinato, quia excludit à se gratiam & Dei misericordiam. Ea autem corda, quæ franguntur, quæve scinduntur ad contritionem, ad compunctionem, & ad compassionem, aperiunt se ad diuinæ misericordiæ receptionem. *Di. ite filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*. Expende singula verba, & vide quam sint suauius, quam affectiua, quam spirantia amorem. Vide quam paterno, quam amanti quæ corde, quam blandè denique te filiam vocat, se regem tuum nominat, vt habeas vnde in eo glorieris. Deum tibi, id est, propter te, & in utilitatem ac felicitatem se tuam venire prænunciat. Ne autem villo modo timeas, & ne fortasse ingratitude & delictorum tibi conscia, ad illum accedere verearis, prædicatur tibi quoque quod venit mansuetus. Neque enim modo venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: venit saluare, non damnare: venit te sibi attrahere, non repellere. Idè enim per Hieremiam tibi loquens, ait: *In perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te, miserans tui*.
- Sed nunquid in nobis inuentum est, quod Deum attraheret aut inuitaret? Nihil præter dona sua. Nulla enim fuere merita nostra, quare ad nos veniret. Sola bonitas sua impulit, sola charitas coegit vt ad nos veniret, vt nobis subueniret, vt beneficeret, & vt omnia sua ac seipsum nobis largiretur. Sic enim per Oseam loquitur: *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè*, hoc est, nullo exigente eorum meritò, sed propter memetipsum hoc faciam. Homo tamen duræ ceruicis, quamuis multis eiusmodi promissionibus consolaretur, inuitaretur quæ ad redamandum, nihil tamen aut parum credere potuit verbis, nisi ea admirabili etiam modo visibilibusque ostenderentur exemplis. Nam cum nihil in se agnosceret diligendum, de diuina charitate non aliter æstimabat, quam de amore humano, qui meritis prouocatur humanis, augetur quæ & fouetur eisdem. Voluit igitur hanc ab homine suspicionem Deus tollere, & beneficio immenso, atque re ipsa suæ charitatis magnitudinem homini monstrare. Eam ob rem factus homo ad nos venit, & tantæ dulcedinis, mansuetudinis & dilectionis signa in nos erogauit, vt nobis neque diuertendi esset locus, neque excusandi, imò non esset, qui se abscondere posset à calore eius. Nihil enim ad trahendum violentius est amore, quo nos ad se trahere voluit. *Fortis enim est, vt mors dilectio*. Vt enim diui Bernardi non prorsus verbis, sed sententia vtat, Deus volens nobilem creaturam reuocare. Si, inquit, inuitum illum coegero, asinum habeo, propterea quod non libens sed renitens veniat. Nunquid asinus meum dabo regnum, aut de bubus cura est mihi? Scio quid faciam. Homo quia pro conditione nature suæ timidus est, terrebo eum, si fortasse hoc modo conuertatur & viuât. Et comminatus est quæque acerbissima, quæ possent audiri, putâ perpetuam à se separationem, dolores interminabiles, tenebras

nebras \* internas, vermes immortales, ignemque inextinguibilem, aliaque  
 id genus, cuiusmodi multa habet scriptura sacra. Verum homo sentiens,  
 quia hæc sibi non mox inferebantur, quia dilationem sensit ex misericor-  
 dia sibi fieri, distulit & ipse ad Deum conuertit, nec minas has timuit. Itaque  
 cum hoc modo non reuocaretur, dixit Dominus: Non solum timidus est  
 homo, verum etiam cupidus. Promittam ei longæuos & felices dies, bono-  
 rum & diuitiarum abundantiam, sanitatem, pacem & nouissimè vitam æ-  
 ternam. Sed adhuc nihil se proficere videns, vnum, inquit, adhuc restat (in-  
 est enim homini quoque amor) & per hunc eum obtinere possum. Venit igitur  
 ipsemet Deus factus homo, & hominibus benignissimum, humillimū, Matth. 27.  
 fidelissimum, dulcissimumque sese exhibuit, aded vt in eius passione lapides  
 quoque scinderentur. Qui igitur ad hanc mansuetudinem, ad hanc charita-  
 tem, fidelitatemque conuertit noluerint, sunt certè audituri: Quid vltra face-  
 re debui, & non feci? Quoniam non acceptastis mansuetudinem & miseri-  
 cordiam meam, necesse est vos sentire iustitiam meam. Animaduertite filij  
 quanta propter nos facit Deus, quanta facit nobis, quantum dissimulat,  
 quam parcit, quam benefacit nobis, inuitans expectansque nos ad pœniten-  
 tiam, quam misericorditer nobis dimittit peccata nostra, propterea quia  
 nos diligit, & non vult nos perire. Conuertamus igitur corda nostra ad  
 eum cum lachrymis, peccata nostra, durtiam atque ingratitude[m] no-  
 stram flentes, & non sinamus in nobis perire, aut otiosam esse charitatem  
 eius tantam, ne tantis eius beneficijs non respondeat fructus salutis nostræ,  
 præstante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula.

DOMINICA SECUNDA DOMINI ADVEN-  
 tus, Epistola B. Pauli Apostoli ad Rom. XV.

**V**acunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per  
 patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Deus  
 autem patientia & solatio dei vobis id ipsum sapere in alterutrum  
 secundum Iesum Christum, vt unanimes, vno ore honorificetis De-  
 um, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite  
 inuicem, sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei. Dico enim Christum  
 Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirman-  
 das promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum  
 sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini Psal. 17.  
 tuo cantabo. Et iterum dicit: Laudate eum omnes plebs eius. Et iterum. Deut. 10.  
 Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rur- Psal. 116.  
 sum Isaiz 11. Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurgat regere gentes, in eum gentes  
 sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt  
 abundetis in spe & virtute Spiritus sancti.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**A**nte hæc verba Paulus monuerat Romanos, quo nemo sibi placeret: Rom. 15.  
 placere autem satageret vnusquisque suo proximo in bono ad edi-  
 ficationem: in hoc non eum laudans placendi appetitum, de quo Psal.

- Pſal. 51. mus loquens: Dissipati sunt (Inquit) & confusi, qui hominibus placent. Et  
 Gal. 1. de quo ipse quoque Paulus ait: *Si hominibus placeam, Christi seruus non essem.*  
 Hic enim placendi appetitus inanem gloriam querit ac diligit seipsum: sed  
 de studiosa obseruatione loquitur charitatis, qua debemus alterutrum mu-  
 tuis abstinere offensionibus, non querere quæ nostra sunt, sed alter alte-  
 rius portare onera, mutuam inter nos absque offensione seruare pacem, vi-  
 cissimque prouocare nos officijs charitatis ad delectionem. Nam & Christus,  
 Placere sibi  
 quale quid.  
 Pſal. 66. inquit, non placuit sibi (placere enim sibi pabulum priuati est amoris, ger-  
 men superbiæ, patientiæ destructio, læsio charitatis) sed sustinuit, sicut scri-  
 ptum est: *Impropria improperantium tibi ceciderunt super me.* Docens enim ve-  
 ritatem Christus, arguens iniquitatem, honoransque Patrem suum, sedu-  
 ctor mundi, Dei que blasphemus iudicatus est, quod propter Patrem & pro-  
 pter nos patienter sustinuit. Itaque quæcunque, siue hæc, siue alia in Pſal-  
 mis, in lege & prophetis scripta sunt, propter nos magis, qui eadem intelli-  
 gimus, quam propter eos, qui sub veteri lege erant, & ea vt potè adhuc fu-  
 tura non intelligebant, scripta sunt: vt per patientiam & consolationem  
 Iacob. 5. scripturarum spem habeamus. Ad patientiam autem confirmat nos scri-  
 ptura quoque vt beatificemus eos, qui sustinuerunt. Consolationem quo-  
 que inde recipimus & spem, quod Domini passionibus conformamur, sen-  
 timus que nos esse, quibus dictum est à Christo: *Si me persecuti fuerint, & vos  
 persequentur.* Item: *Si mundus vos odit, scitote quia priorem me odio habuit.* In ipsis  
 Ioan. 15. itaque scripturis consolamur, docemurque communicare passionibus Chri-  
 sti, docemur in præsentem tempore habere patientiam, docemur gaudere in  
 tribulationibus, docemur que in spe regni cælestis nos erigere. Et hæc qui-  
 dem scripturæ nos docent. Deus autem patientiæ & solatii, id est, qui est col-  
 lator patientiæ & consolationis, hæc tribuit, iuxta illud Pſalmi: *Quoniam ab  
 ipso patientia mea.* Et sicut legimus: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu  
 Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni  
 tribulatione nostra.* Hic igitur Deus patientiæ & solatii det vobis id ipsum sa-  
 pere, vt non sint in vobis dissentiones & schismata, sed vnum idem que sa-  
 piatis omnes, & hoc secundum Iesum Christum. Qui enim secundum Chri-  
 stum sapiunt, procul dubio bonum est quod sapiunt. Vt vnanimis id ipsum  
 sentientes vno ore pari que confessione honorificetis Deum, & Patrem Do-  
 mini nostri Iesu Christi, vt mutua in vobis perseueret concordia, suscipite  
 inuicem, succurrat alter alteri, & hospitio vos mutuo suscipite, quo nõ dis-  
 cernatis, vt olim sub lege, mundum ab immundo, sed omnia sint vobis munda:  
 nec se præferat aut meliorem quis æstimet, quasi ex circumcisione vocatus  
 propterea sit dignior, quam is qui vocatus est in præputio. Hæc, inquit,  
 altercatio inter vos sopiatur, vt non vitetis alterutrum: sicut Christus non  
 vitauit, sed recepit vos, nullius horrens immunditias, nemini imputans  
 peccatum, sed in honorem Dei vos, cuius veros faceret cultores suscepit.  
 Dico enim & verum est, Christum Iesum ministrum se exhibuisse circumci-  
 sionis in hoc, quod ipse (quo modo dicit, *non sum missus nisi ad oues, quæ perie-  
 runt domus Israel.*) Iudæis Euangelium prædicauit. Propter quod etiam Iu-  
 dæorum vocatur alibi Apostolus. *Considerate,* inquit, *Apostolum confessionis ve-  
 stra Iesum.* Itaque Christus minister fuit circumcisionis in prædicando pro-  
 pter

pter veritatem Dei complendam, qui Abraham & Dauid, quod ex eorum stirpe Christus esset nasciturus, praedixerat: & ad aliorum, quibus mundi futura est reuelata redemptio, confirmandas promissiones patrum. Gentes autem dico conuersas super misericordia & pietate illis à Deo praestita, honorare Deum, eidemque gratias agere. Neque enim ante aduentum Christi cognouerunt, vt Iudaei, Deum, nec lege aliqua se illi profitebantur subiectos, sed ex misericordia dico eos vocatos. Sicut scriptum est in Psalmo: *Propterea confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo.* Hoc est: Ego Christus filius tuus faciam gentes tibi confiteri confessione laudis pro misericordia sibi facta. Et iterum: *Lætamini gentes cum plebe eius.* Quasi diceret: Non tumescant Iudaei, quod Christum ad se venisse audiunt propter confirmandas promissiones patrum, gentes verò super misericordia honorare Deum, quandoquidem & illorum conuersio atque vocatio à Deo praordinata & in scriptura praenuntiata sunt. Scriptum namque est: *Lætamini gentes cum plebe eius,* hoc est, gaudete gentes cum Iudaeis in Christum credentibus, pro misericordia vobis simul praestita. Quibus verbis significabatur futurum, vt ex utroque populo, puta ex gentibus & Iudaeis in Christo vnus adunaretur populus, vnumque fieret sub vno pastore Christo ouile. Et iterum: *Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi:* Tam gentes, quam populi decem tribuum Iudaeorum laudate Deum, gratiasque illi pro vocatione vestra agite, & operibus vestris sanctis eum magnum ac honorabilem ostendite. Et rursus Esaias idem confirmans, ait: *Radix Iesse,* id est, Christus ex Iesse natus patre Dauid, exurgeret à mortuis regere gentes, quas subijciat sibi & Patri. Et in eum gentes sperabunt, credentes eum suum redemptorem venturumque iudicem in fine saeculorum, qui suscitabit corpora nostra corpori suae claritatis configuranda. Deus autem spei, qui spem solus infundit, repleat vos omni gaudio spirituali, & pace in credendo, vt posthac id ipsum dicatis omnes, nec sint in vobis schismata, vt abundetis in spe semper proficientes, nunc diuinam dulcedinem praegustando, & in virtute Spiritus sancti ad superna anhelando. Adducuntur hic testimonia ex scripturis, multa de vocatione gentium, quare abs re non est, vt ecclesia hanc nunc lectionem ordinauerit, circa aduentum Domini. Sed videamus inde Euangelium.

*EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM DOMINICAE II. ADVENTUS, LUCA XXI.*

**S**aluator noster Dominus Iesus Christus, quia in mundum, vt suos qui dispersi per mundum erant, congregaret, vt eos, qui perierant, sanaret, vt denique saluos faceret omnes, venerat, nihil eorum, quae occasionem nobis praestare queunt, conuersionis ad se redeundi intermittit, atque eam ob rem terroribus & minis nos interdum pulsatur, quandoque subtrahit beneficia, deinde mactos rursus consolatur, nunc promittit, nunc allicit, interdum minatur. Nonnunquam inuitat, aliquando iustitiam, aliquando verò misericordiam praefertens: omnia verò agit, vt nos saluos faciat. Est autem ad haec non modica similitudo in arboribus, quarum nonnullae

C nulla

Homines vi  
diuersimode  
trahantur.

nullæ (si colligi indè debeant fructus) virgis cæduntur, vt iuglans, dum a-  
lias interea arbores leuissimè (ne destruantur) oporteat tractari. Hoc modo  
hominum varia est conditio. Lenitate namque & mansuetudine alijs sua-  
detur, alijs haudquaquam, sed terrores, minæ quoque vt adhibeantur, o-  
portet. Sunt à quibus nihil impetrabis, nisi auctere loquaris. Sunt ediu-  
so alijs, quos steriliores austeritas facit. Vtrog modo vsus est Dominus, quo  
neminem non vocandum præteriret. Qui alijs in locis pœnitentes laudat,  
atque de illorum pœnitentia gaudium angelis quoque futurum pollicetur,  
hic vt ad pœnitentiam peccatores conuertat, mundi finem, malaque tunc  
imminentia tristitia, prænuntiat. Sciendum verò nonnullos tam duros syl-  
uestresque inueniri homines, quos neque blanda inuitent, neque formi-  
danda terreat, hos relinquere volumus, quandoquidem nemo corrigit  
eum quem Deus despexerit.

Gregor.

Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura  
gentium, arescentibus hominibus præ timore & expectatio-  
ne, quæ superuenient vniuerso orbi.

Dominus noster Iesus Christus diem volens prænuntiare extremum, quæ  
terribilia hunc diem præcessura sint indicia, manifestat, quo nobis signifi-  
care voluit, quam terribilis sit futurus suo ad iudicium aduentus, quando-  
quidem signa sui aduentus terrorem prænuntiantia ad eum erunt formido-  
losa, vt virtutes cælorum quoque moueantur, & homines præ timore are-  
cant. Itaque dicit: Erunt signa in sole, &c. Quæ ista sunt signa, Propheta  
prænuntiat, dicens: *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam  
veniat dies Domini magnus & manifestus.* Scimus in Christi olim passione so-  
lem esse obscuratum, propterea quod lumen suum recusaret ad tam nefar-  
ium mundi scelus (quod mundus Christum mitem, mansuetum, humilem  
ac innocentem, non solum negauit, sed varijs etiam pœnis ac cruciatu  
multiplici affectum occidit) administrare. Hoc modo creditur Dominus v-  
niuersalem solis obscuracionem prænuntiasse ante mundi finem futurum,  
nec lucem daturam suum lumen per solis deliquium vniuersale ac super-  
naturale. Naturale enim deliquium solis haud quaquam hic prænuntia-  
tur. Siquidem quæ modo fiunt naturali, signa aut prodigia dici non debent.  
Ante tamen quam hæc fiant, quæ Lucas hic scribit, erit in terris pressura  
gentium, audientur prælia, & opiniones bellorum. Erunt enim in terris  
persequutiones, tempestates, terræ motus, fraudes, aliæque calamitates mul-  
tæ. Surget enim gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, atque ad-  
eo erunt absque pace omnia, vt in eadem domo cohabitantibus nulla sit  
futura quies, nulla absque metu securitas. Tradet enim frater fratrem, &  
socrus erit aduersus nurum, & inimici hominis domestici eius. Erit enim  
tunc tempus illud, quo dabitur sedenti super equo raso, vt sumat pacem de  
terra, & homines alterutrum se interficiant. Quanto enim quis tunc plus  
valuerit, tanto alios plus opprimet per potentiam. Neque enim erit iusti-  
tia, neque iudicium, quomodo æquè nulla erit obedientia. Hanc rebellio-  
nem seditiosam, qua homines alterutrum nocent, vt potè vbi nemo alti-  
us manebit subiectus, putatur Paulus vocasse discessionem, Nisi, inquit,

Joel. 2.

Act. 2.

Matth. 17.

Gregor.

Luc. 21.

Mich. 7.

Apoc. 6.

1. Thes. 5.

venerit discessio primum. Clerus enim à pontificum obedientia deficiet, summoque pontifici non obtemperabit. Reges auersabuntur Imperatorem, Regem principes oppugnabunt, nec principibus acquiescent nobiles, & ijs quoque ne plebei quidem, sed tumultuosa fraudibus, imposturis & seditionibus plena erunt omnia, utpotè absque ordine, absque fœdere, sine iurisdictione, sine regimine. Erit præterea persecutio Antichristi generalis, tantaque calamitas ac tribulatio, quanta fuerit nunquam ab eo tempore, quo gentes esse cœperunt, hoc est, à mundi initio, quando filij Dei ex Abel descendentes, à filiis Cain, vnde gentes orti sunt, fuere diuisi. Aut quando à tempore diluuii filij Sem, seu filij Abrahæ manserunt in vnus Dei veri cultu separati ab alijs nationibus ad idololatriam & tyrannidem prolabantibus, atque idcirco gentium nomen obtinentibus. Ruent præterea qui tunc circa illud tempus in mundo inuenientur, gladio & peste, & in captiuitatem ducentur, fames quoque & rapina deuorabit eos: atque ut hic sequitur, arefcent homines præ confusione sonitus maris, & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Timor enim formidolæ, & malorum grauiorum expectatio sola faciet, ut homines pallidi, meticulosi, exanimati, indeque arescentes fiant. Nihil enim subitò perit. Videmus virentia quæque quanto periret ut suam retineant vitam, conentur se tueri. Videmus animata quoque sensibilia pro vita sua digladiari. Et nihil habens vitam vult perire, sed quamdiu hanc potest, tuetur. Hoc tamen quoque constat, dum creatura quæuis perire debeat, id fieri haud quaquam absque magna pressura & violentia. Homo quanto cruciatu & dolore, quanto tremore, quanque terribilibus moritur indicijs? Quo conatu se tueri nititur, vita hominis ne finiatur? quantum patitur ne à corpore separetur anima? Pari modo mundi vita, hoc est, flos, læticia, gaudium, voluptas, honor, potentia, sanitas, fortitudo, vbertas, & id genus alia, quæcunque suis amicis administrare solet mundus, antequam intereant, magno debent terrore, magna calamitate ingenti que pressura finire.

Nam virtutes cælorum mouebuntur.

Virtutes cælorum, hic Angelos cælestesque creaturas vocat, quæ visis mirabilibus his mouebuntur stupore diuinæ iustitiæ. Nam in se licet sint ipsæ securæ atque tranquillæ, videntes tamen tantam venturi iudicis iram, tantam iustitiæ diuinæ censuram, tantam impiorum damnandorumque multitudinem & calamitatem, expauescent, admiratione reuerentiæque quadam erga iudicem se inclinantes.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.

Olim in nube ascensus in cælum à mundo iudicatus recessit Dominus Iesus, nunc simili modo iudicaturus mundum in nube adueniet, quod Apostolis quoque dum in cælum suspicerent ascendentem, prædictum est ab Angelis. Viri, inquit, Galilæi, quid admiramini? &c. Sic veniet, hoc est, in carne veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Benè autem additur, Cum potestate magna. A mundo namque olim iudicatus ante iudicem

dicem stetit humilis atque veluti infirmus: nunc verò mundum iudicaturus videbitur in potestate & maiestate, utpotè cui data est omnis potestas in caelo & in terra. Nullo tamen modo est putandum quod impij siue damnàdi Christum visuri sint in maiestate diuinitatis, sed in sola duntaxat humanitate. Porro boni videbunt eum in humanitate & diuinitate. Cogitate modo filij, quam leti erunt tunc, quam exultabunt sancti in cubilibus suis, qui modo in Domino dormierunt, quam securi resurgent qui ante, hoc est, modo, in vita hac mortali resurrexerunt à peccatis & vitijs suis, quomodo beatus est qui habet partem in resurrectione prima. Prima resurrectio est animæ in hac vita à peccato ad virtutem per pœnitentiam atque emendationem vitæ resurgens. Quicumque itaque iam in prima hac resurrectione partem habet peccata sua damnans, mundum calcans, à malo abstinens, bona operans, & ad finem vitæ hoc modo perseuerans, haud illi nocebit quod aliquando vitijs fuerit subiectus, quod mundo seruerit, quod à diabolo fuerit captus, captiusq; ad tempus manserit, maximè si eo tempore quo adhuc tam mala quam bona agere potuerit, suorum pœnauerit malorum, si Christi gratiam quaesierit, si ad Dei præceptorum obseruantiam redierit. Neque enim in extremo tempore timere habebit, sed iudici securus tranquilluscq; affabit, ab eodem non abijciendus, sed benedicendus.

Proinde modo filij quæ tunc euentura sint vobis, præcogitate. Modo timete, modo delicta vestra plangite, modo Dei misericordiam quaerite, Dominus enim ut quotidie nunc legimus) prope est. Prope est tibi ad erogandam misericordiam, prope est ad gratiam in te multiplicandam, prope est occurretq; tibi, ut te sicut prodigum filium reuertentem, pater in amplexu recipiat, omnia donans tibi delicta teq; sui constituens regni cohæredem. Si igitur reuersus ad illum fueris (quomodo monet) toto corde, effundet suæ in te gratiæ benedictionem: poteris quod te modo putas non posse. *Super aspide[m] & basiliscum ambulabis. & conculcabis leonem & draconem. Cadem à latere tuo mille hostes, & decem millia inimicorum, insidiarumq; à dextis tuis, ad te autem malum non appropinquabit.* Custodiet enim te Dominus ut pupillam oculi, & sub umbra alarum suarum, hoc est, sub brachijs, suis in cruce super te expansis proteget te.

Filioli non deterreat vos peccatorum, neque multitudo, neque enormitas. Quem timetis, Pater est vester, si vultis, non iudex. Sanare vult, non percutere. Aduocat, non repellit. Et quid dico adubcat? quum etiam verbis occurrat, in amplexuscq; suos vos recipere festinet? Nolite illum sua expectatione fraudare. Facite quæso gaudium Patri super reuersione vestra conuiuium instauranti. Facite gaudium Dei Angelis in caelo super vestra pœnitentia tripudiantibus. Quid cunctaris ô anima peccatrix? Patrem vides tutum in tui amplexu brachia extendentem, & formidas? Tuus est amator, Saluator tuus est qui occurrit. Ad eum, si ab omni metu vis fore liber, fuge. Vide quam desiderat te expectat. Vide quam amanter inuitat. Vide quam misericorditer recipit, quam protegit & benignè & potenter. Iam igitur filij in eius recipiamur gratiam, iam eius efficiamur amici, & in extremo iudicio non timebimus. Siquidem quomodo hinc eximus, ita in iudicium citabimur. Scriptum namque est: Lignum siue ad Austrum ceciderit, siue ad

Aqui-

Aquilonem, ibi erit, hoc est, homo quomodo in morte inuentus fuerit, & quomodo cunque suam terminauerit vitam, iuxta hoc reperietur in iudicio. Itaque si castus, si benignus, si misericors, si Dei charitatem habens ac proximi, vixeris perseveraueris que vsque ad mortem, nihil in illo tibi iudicio timendum est. Neminem tunc accusatorem habebis peccatorum tuorum, modo tu accusaueris te ipsum in hac vita poenitens. Nunc igitur non dissimulemus peccata nostra, modo accuset nos conscientia nostra. Ante vulneret animam nostram afficiat que moeror, quam ad sacerdotem accedimus, quod tam inique, quam negligenter in Dei egimus officio. Filioli, non sufficiat vobis confessori narrare peccata vestra, tanquam is qui enarrando texit historiam, aut fabulam enunciat, sed moerenti atque irato in vos animo oportet confiteri, quicquid egeritis mali. Nec tamen moeror hic vester generetur ex priuato amore, puta ex verecundia atque intolerantia ignominiae, quam peccando coram hominibus contraxistis, nec propterea quod vitiorum notati sitis apud homines: sed ideò o poenitens, tibi est dolendum, quod piissimum Dominum creatorem, ac Redemptorem tuum offenderis, quod amatori fidelissimo perfidus, contumeliosus, ingratus que fueris, quod denique eius amicitia & gratia (quam super omnia debueras ambire) te spoliaueris, aut quod saltem illam vires tuas labefactando non auxeris. Si itaque hoc modo te ipsum planxeris, in iudicio extremo eris securus, nec quod plangas, sed pro quo gratias agas, habebis.

Confitendum cui sit.

Dolendum cur sit poenitenti.

His autem fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

Tremenda hæc quæ prænunciat, quantum bonos & electos exterrere non debeant, sed potius consolari, per hæc verba que superioribus subiungit, indicat. Consolatur enim omnes quibus hic aut non placet mundus, aut qui mundum non diligunt quod sui illis appropinquat redemptio. Siquidem non raro contingit, vt qui non diligunt non diligantur quoque à mundo. Mox enim suos percipit mundus, vel amicos, vel inimicos. Blanditur enim amicis suis, odientes se infestat. Vnde fit, vt ij qui mundum non amant, molesta hic multa quæ mundus illis propinat, ferre cogantur. Hos itaque qui mundi sunt hostes, quos mundus hic premit persecutionibus, molestijs, ærumnis, infirmitatibus, alijsque calamitatibus maultis, Dominus alloquitur, vt non propterea timeant, si finis appropinquet mundi: quia hæc mundi tribulatio illis erit redemptionis occasio, qua ab omni miseria liberentur. Leuate, inquit, capita vestra, exultate & gaudete, quoniam appropinquat redemptio vestra. Exilium vestrum tunc finietur, soluetur captiuitas qua hic detinemini inuiti. Quare vestrum non est in mundo plorare, sed super mundi ruina gaudere. Mundi enim ruina erit, non tam animæ quam corpori vestro vera perfecta que libertas.

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores. Cum producant iam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

1. Ioan. 1.  
Ioan. 1.

Phil. 4.

Quemadmodum ex fructu arborum vicinam cognoscitis æstatem, ita ex ruina mundi prope cognoscite regnum Dei. Fructus namque vester, mundi ruina est. Quare enim mundus floret, quare germinat, quare fructum parit, nisi ut primo flos pereat, deinde germen, tandem fructus, postremo mundus quoque cum suo germine intereat? Illis autem transeuntibus, vobis appropinquabit regnum Dei. Nihil enim hic nascitur perpetuum, nihil stabile manet, nihil absque miseria perseverat beatum. Propterea filij, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Nihil est in mundo vestrum, non estis vos de hoc mundo. Cadat, ruat, transeat mundus, & omnis concupiscentia eius. Vos diligite Dominum nostrum Iesum Christum, & aduentum eius: Hunc maximè, quo reformabit corpora infirmitatis vestræ, configurata corpori claritatis suæ.

Amen dico vobis, quia non prateribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Aut generationem hanc carnalem Iudæorum intelligit, quæ non deficiet, quin alius alio semper moriente nascatur, successioque nascentium sit continua, donec hæc omnia euenerint. Aut quod ecclesiæ generatio filiorum ac fides nunquam vsque in finem deficiat. Afirmat autem hoc, modo suo consueto loquendi, Amen dico vobis, ac si diceret: In veritate hoc certissimum teneatis, potius cælum & terram transitura, quam verba mea aut imperfecta, aut manere non implenda. Non quod cælum & terra prorsus peribunt, sed quod iuxta hunc modum essendi, quem habet modo, peribit cælum terraque. Neque enim cælum iuxta hunc modum quo modo regitur, manebit, quia non mouebitur, & clarius quam modo erit: manebit tamen secundum suam substantiam essentiamque. Vos ergo filij ad Patrem vestrum caelestem aspirate, de mundi ruinis exultate, ut omnium electorum appropinquet redemptio, desiderate, ut omnes reformemur & impleamur gloria caelesti, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula, Amen.

#### SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Qui sint, qui de aduentu Domini gauderent, qui metuant, & de triplici aduentu Domini.*

Isaia 1.  
Apoc. 1.

**R**espiciite & leuate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra, Lucae XXI. Si ea quæ præcedunt hæc verba filij, recolimus, inuenimus Dominum signa quædam nobis de mundi fine prænunciasse, quæ omnia tristia fore significantur & calamitosa. Propterea electos suos amicos, quibus mundus fastidio est, Dominus consolatur quoque, quod eorum appropinquet redemptio, utpotè qui cum hoc mundo non peribunt, sed ipsorum captiuitas, ipsorum ærumnarum, grauamina, tribulationesque finiètur. Absterget enim tunc Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum suorum, quoniam priora, hoc est, luctus, dolor, clamor, mors, aliaque id genus tristia transibunt. Consolatur igitur eosdem, quoniam his fieri incipientibus appropinquet ipsorum redemptio: quomodo impijs quoque terrorem ediu-

ediuerso vult incuti, quod his eisdem fieri incipientibus, illorum finitur consolatio, pereuntibus his in quibus confidebant: incipit verò illorum desolatio ac mœror, qui perpetuus illis durabit. Manifestum itaque est, quibus pijsissimus Iesus formidanda seculi finem, quibus metuendum suū prædicat aduentum. Nempe his qui amici sunt huius seculi, qui filij sunt mundi, qui præsentia amant, qui à caducis his rebus grauatur ferunt separari. Nam Apostoli, electi quoque Dei omnes, quomodo tristarentur de fine mundi, cum in mundo haud aliter teneantur, quam in captiuitate constituti? Coguntur enim in mundo videre, coguntur audire, coguntur denique tractare, quæ inuiti audiunt, vident & tractant, imò quæ secundum Dei voluntatem odiunt. Quicquid enim mundus iactat, quicquid miratur & amat, hoc ipsi vilipendunt & spernunt. Quamobrem ipsi quoque rursus à mundo spernuntur & odiuntur.

Dicit itaque Dominus electis suis: His fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra. Mœrentium, oppressorum ac calamitosorum est oculos, & caput ad humum desistere. Quare liberationis, consolationisve, si illis oriri spes cœperit, subito animæ quiore facti, & oculos & capita erigunt.

Multos variosque hic in mundo Deus habet amicos, & plerunque aded amicorum  
Dei secreto-  
rum diuersi-  
tas. secretos, vt sæpenumerò, qui in delicijs, qui in felicitate huius mundi versari videntur, in tribulatione siue mentis, siue corporis sint maxima constituti. Multi enim qui florere videntur in mundo, aded premuntur à mundo in omnibus ipsis aduersario, vt licet in exteriori homine, circa eos appareat, videaturque mundi schema, in eorum tamen cordibus iam aruit. Sciunt hoc non pauci, ijs scilicet qui in medio viuunt mundi, nec à mundo se excutere possunt, viuentes sub necessitatibus mundi in angustia cordis, quibus nullam parit mundus consolationem, sed (vt dixi) necessitatem & pressuram. Hi reuera (quamuis sæpè aliter, hoc est, indignè iudicentur) non sunt filij seculi huius, sed sunt de horum numero, quibus ex fine mundi appropinquat eorum redemptio.

Hæc dixerim filij idcirco, ne quispiam fratrem suum iudicet propter ea quæ in exteriori videntur homine. Multiples enim variaque crux est hominum, præcipue quæ foris non videtur. Sed quotquot sunt, illis prædicat Dominus: quoniam appropinquat redemptio vestra. Quasi diceret: Nò semper in pressura angustia bitur cor vestrum, nec vos odio semper mundus habebit, nec erit vt diutius filijs huius mundi sitis in derisum, & similitudinem improprij. Siquidem cum mundi videritis finem, etiam exilij calamitatumque vestrarum finem adesse gaudete. Leuate igitur capita vestra, spem resumite, quoniam prope est redemptio vestra, soluetur captiuitas, apparebit patria tantoperè desiderata. Heu filij, cur in captiuitate, & exilio hic positi captiuitatem, & exilium amamus? Cur hinc separamur tam inuiti? quãdoquidem his qui Deum amant, erit egressus eorum redemptio, erit libertas, erit pax & securitas, cum ediuerso vita hæc præsens, seruitus & calamitas, labor sit & afflictio spiritus. Verum ô beatos illos captiuos, beatos afflictos, quos mala mundi perturbantia non perturbant, qui animas nouerunt suas possidere in patientia, O felices, inquam, eos quos nihil nisi læsa conscientia, nihil præter Dei offensionem contristat. Hi sunt qui in hoc mun-

do viuunt quidem, de mundo tamen non gaudent, qui in mundo sustinent pressuram, vt in solo vero Deo confidentes gaudeant, quorum studium, quorum amor, quorum læticia solus est Christus Dominus noster. Præcessere nos horum multi ad patriam, qui olim in exilio constituti, ludibria & verbera experti, in super & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Salutiferum nobis tam vitæ quam mortis suæ reliquerunt odorem, non verbis tantum, verum opere & virtute etiam nobis clamant: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt.* Transiit enim mundus & concupiscentia eius. Item: Qui vult amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituetur. Quis hic non videt filij, quam præstet Dei habere amicitiam, quam mundi? esse Dei filium, Dei amicum, quam seculi? Stipendia enim peccati (quæ administrat mundus) mors: gratia autem (quam habemus per Christum) vita æterna est. Estote igitur filij prudentes, & vigilate in orationibus. Vigilare, non in ebrietatibus aut comestationibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in mundi leuitatibus (quam vigiliam Apostolus somnum, id est, Dei obliuionem vocat, dicens: Hora est iam nos de somno surgere) sed in orationibus contra aduersarium nostrum diabolum, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Vigilemus contra tela illius nequissima, scilicet contra superbiam, inuidiam, temulentiam, crapulam, luxuriam, cenodoxiam, auaritiam. Recolamus quod aduenæ duntaxat & peregrini sumus super terram. Neque enim nostra hæc est patria, nec manentem hic habemus ciuitatem in terra, propterea non seculi, sed regni cælestis ciues sumus. Ad modicum hic incolæ sumus & viatores, quorum est mundum transire, non in mundo quiescere. Gaudeant hic igitur quorum est mundus patria, qui solum hoc quod breue & momentaneum est, felicitatis habebunt. Nostrum qui in captiuitate sumus constituti, non est gaudere de carcere, sed gemere, aspirare quæ ad nostri redemptionem. Nostrum est die nocteque votis supplicibus ad Patrem clamare, ad eius ianuam pulsare, vt aliquando ad fenos introducat, orare. Hoc desiderium ad eum nobis debet esse cordi, ad eum in animo fixum, ad eum perpetuum, tam potens atque vehemens, vt quid interea iuxta nos mundus agat, non aduertamus, hoc est, vt nihil pensi habeamus, à mundo siue beatificari, siue vituperari, exorsum haberi an diligi. Conuenit quoque, nos nec pro honore contendere, nec pro diuitijs rixari, sed ne latari quidem pro temporalibus bonis, quin potius aduentum Christi in silentio præstolari, auscultare ad vocem præconis dicentis: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* O quam beati sunt illi, qui hanc vocem læti securique audiunt. Omnibus enim nobis (quod sub typo parabolaquæ decem virginum, quarum quinque prudentes & quinque erant fatuæ) audire contingeret media nocte, id est, hora qua non purabimus: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Ad hanc vocem alij trepidabunt, alij exultabunt. Quomodo enim in magna domus familia, si Dominus qui ali quanto fuerit tempore à domo absens, aduenire prædicetur, de familia quidam, puta qui Domino fuere fideles, & qui Domini amant desiderant quæ aduentum, gaudent: alij tristantur, vt potè serui pigri, inobedientes, & qui peccauerunt in Dominum. Ideo autem tristantur, quia neque consolationem à Domino, neque laudem

merue-

Hebr. 11.  
Iacob. 5.

1. Ioan. 2.

Iacob. 4.

Rom. 6.

1. Pet. 4.

Roma. 13.

Ibidem.

1. Pet. 5.

Eph. 6.

Psal. 38.

Hebr. 13.

Eph. 2.

Gaudere qui-

nam in hoc

seculo pos-

sunt.

Math. 25.

Similitudo.

meruerunt prauaricatores. Expectant itaque Dominum tristes, à quo sciunt se castigandos, non remunerandos.

Mulier adultera non gaudet de sui mariti aduentu: porro fidelis & casta coniunx vehementer, vbi adesse maritus nunciatur, exultat. Sic qui de aduentu Domini non latatur, signum est eum ita vixisse, vt magis formidet iudicem quam vt sentiat consolatorem. Mallet igitur Dominum nunquam venturum, ne dare illi penas cogere.

Itaque tu vis gaudere de aduentu Christi? Esto bonus & fidelis, & erit tibi Christi aduentus gaudium. Quamuis enim aduentus eius ille in carne olim præterierit, est tamen aduentus adhuc alius Christi futurus, quo veniet ad iudicium, siue ad mortem. Licet enim inter vtrunq; nonnulli distinguant, quasi alius ad iudicium particulare, alius sit aduentus ad iudicium vniuersale, hic tamen pro vno accipimus. Si enim circa mortem in iudicio illo (vt vocant) particulari fueris liber & absolutus, in iudicio extremo, quod vniuersale dicunt, pariter stabis à timore immunis. Triformis igitur Christi est aduentus. Primus est aduentus in carnem. Hic fuit mansuetus & pius, misericordia nimirum & pietate plenus. Venit enim filius hominis colligere, non dispergere. Venit misereri & parcere. Venit in mundum non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quod vt nobis ostenderet Ecclesia, in multis hodiè locis idem legitur Euangelium quod in die palmarum consuevit legi: *Dicite filie Sion quia rex tuus venit tibi in suauitate super asinam.* Verè mansuetus, qui seipsum quoque venisse testatur, non propter iustos, sed vt peccatores vocaret ad penitentiam. Eos nimirum peccatores, qui se peccatores & agnoscunt & arguunt. Huiusmodi enim peccatoribus se pius, benignum, exhibuit & affabilem. Cum huiusmodi manducauit & bibit, adeoque se illis exhibuit non modo propitium, verum etiam familiarem, vt à pharisæis publicanorum amicus criminaretur. Quo palam ostendit se in hunc venisse mundum, vt saluum faceret quod perierat. Itaque huius aduentus celebratio, nihil aliud est, quam diuinæ incarnationis commemoratio, gratiarumque actio & laus. Admonemur enim gratitudinis tantum beneficium recolentes, quo ex ingenti calamitate ac miseria erepti sumus. Admonemur deinde desiderij atque expectationis sanctorum patrum expectantium in lybno, qui non minus patientia longanimi, quam ardenti desiderio expectarunt Christi aduentum. Hic nostra ò filij accusatur tepiditas, nostra frigiditas, seu inertia damnatur, qui de Christi aduentu fermè nihil exultamus. Hi enim patres de Christi aduentu certi, multis desiderijs tempus incarnationis eius, eius passionis, suæque redemptionis expectabant. Nos multò sumus certiores facti, siquidem Christi incarnationem, nostri redemptionem, & quicquid præterea antiqui credebant futurum, nos credimus consummatum & impletum. Quanto ergò quod factum ac præteritum est, creditur certius, eo quod adhuc restat, speraturque futurum, tanto nos certiores, quam patres fuere antiqui, sumus in fide.

Deinde quicquid ipsi post longissimam captiuitatem, postquæ multorum annorum curricula erant accepturi, nos, modo illis fide & opere pares fuerimus, aut saltem eos fuerimus imitati, mox post mortem absque vlla diu-

D                      turniori

Math. 11.

turniori captiuitate recipimus. Illis nil contulit quæuis iustitia vt cælum intrarent, antequam filij Dei sanguine forent reconciliati, adeo vt Ioannes quoque Baptista, quo maior surrexit sanctorum nemo, lymbum ingredi, expectareque, dum consummata foret humani generis redemptio, cogretur. Nos mox vt à corpore egredimur, nisi propria nos culpa purganda remoretur, beatitudo plena recipit. Nihilominus sumus gratiores Deo, nec gratias agimus Deo tantas pro beneficio quod factum est, quantis illi desiderijs ac votis vt fieret, impetrarunt.

Aduentus  
Christi ecclē-  
dus quam sit  
homini ne-  
cessarius.

Cum igitur idem sit præstitum beneficium ex Dei incarnatione tam his qui præcesserunt, quam istis qui Christi sunt incarnationem sequuti (Nempe vt is qui in captiuitate expectabant, plena daretur liberatio: istis verò ne captiuitatem cogentur ingredi, libertas: & maius sit captiuitatem non ingredi, quam à captiuitate, quam diu perpeffus es, liberari) quare tam parua deuotione hoc Christi beneficium, id est, eius incarnationem celebramus? Est alius aduentus, in mentem hominis scilicet, Hic adeo est vnicuique ad salutem necessarius, vt sine ipso primus aduentus nemini proficit. Quisquis enim Christum non receperit in mentem, huic non ad salutem, sed ad damnationem erit Dei incarnatio. Dei enim beneficijs non vt, & ingratum esse, damnabile est. Hic aduentus quotidie agitur. Quotidie enim mentibus humanis Christus illabitur, & quotidie parandus illi est locus. Propter hunc aduentum in epistola admonemur de somno, hoc est, de peccato surgere. Habet enim somni similitudinem peccatum. Quomodo enim

Rom. 11.

Peccatum vt  
hibeat som-  
ni similitudi-  
nem.

Ezou. 13.

Ezou. 13.

somnus vsu hominem priuat rationis, quomodo eum nihil percipere, sentireque facit, ita peccatum quoque facit. Quapropter scriptum est: *Traxerunt me, & ego non sensi, vei b. rauerunt me, & ego non dolui.* Trahitur reuera à diabolo peccator, nec tamen pessimi dæmonis tractum sentiens, sequitur vt bos ad victimam. Spontè enim se homo ante diabolo subijcit, quam in illum quicquam possit diabolus. Veruntamen potestate in eum semel accepta, victo durius imperat. Ah filioli, adueniat Dominus noster Iesus Christus in nos, atque illustratione aduentus sui, hoc est, vifitationis spiritus sui, in nobis destruat opera Satanæ, vinculaque quibus ille nos constrinxit, soluat.

Captus vin-  
ditur que à di-  
abolo quis  
fit.

Credite filij non leuem esse rem captum teneri à diabolo hominem ac vincetum, quomodo vos estis omnes, quotquot in mortali detinemini peccato, quotquot in voluntate perseveratis mala, agendi aliquid, quod sit peccatum mortale. Continud enim ceruicem vobis frangeret, & animam è corpore extrusam mergeret in inferni abyssum, idque meritò ac iure faceret (quod illi etiam nonnunquam à Deo conceditur) nisi Dei id benignitas vetaret, ad poenitentiam te expectans, atque saluare, non damnare cupiens. *Nolo enim, inquit, mortem peccato-ri, sed vt conuertatur & viuat.* Sed audi quid Apostolus tibi clamet: An ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Tu verò secundum duritiam tuam, & impoentens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Deus quidem te misericorditer expectat, at tu hac expectatione abuteris, thesaurizans tibi iram. Verissime igitur dixit quidam: Misericordix Domini, quod non sumus consumpti. Multæ enim sunt miserationes eius. Nos tamen quasi in somno ambularemus, & perindè ac si essemus secu-

ri, quo-

Ezech. 8.

Roma. 11.

Thren. 1.

ri, quomodo qui dormiunt, securos se putant, quia periculum nullum sentiunt, ita nihil solliciti sumus, nihil timemus, nihil denique agimus pro salute nostra, cum reuera magna opus est nobis sollicitudine, ingenti pauore, quando quidem quis amore odiove dignus sit, prorsus nescimus. Conscientia tamen nostra inferno nos obnoxios (si iuste nobiscum ageretur iuxta demerita nostra) clamat. Quotus enim in nobis est nostrum, qui non semel victus spontè succubuerit diabolo? Quotus qui nunquam peccauerit mortaliter? Quis baptismi gratiam innocentiamque sibi à Christo coemptam hactenus seruauit? Vereor profectò filij, ex adultis neminem, aut per paucos esse huiusmodi. Si qui tamen sunt, gaudeant super misericordia Domini, quæ nisi eos custodisset, innocentes non essent, sed essent vt reliqui nos omnes, pabulum & esca gehennæ ignis. Et quomodo læti atque securi in tantis periculis meritò non diceremur dormire?

Eccle. 9.

Euigilate igitur filij, quoniam hora est iam nos de somno surgere. Haudquaquam diutius est nobis expectandum, sed hac hora cor, mens omnesque cum animi, tum corporis vires à peccato auertendæ, & ad Deum sunt conuertendæ. Hodie incipiamus nos corrigere (cras enim an nobis vita superfit, incerti sumus) Hodie de somno euigilantes, ad Deum nos conuertamus, atque Domini aduentui præparemus locum. Tertius est aduentus ad iudicium. De iudicio hoc nouissimòque die, quo extremum agetur iudiciù, Christus Caiaphæ respondit adiuranti: Videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli. Qui itaque secundùm aduentum gustauit, & perseuerans vsque ad mortem, de hoc mundo absque mortali peccato, siue in gratia Dei exiuit, securus videbit Christum vltimum aduentum ad iudicium. Gaudete igitur filij quicumque hic estis in pressura, quicumque paupertate, afflictione, persecutionibus, arumisque hic opprimimini, quia pressura ipsa, quam fertis, vobis prænunciat, quoniam prope est redemptio vestra in Christo Iesu.

Rom. 13.

Tertius Aduentus ad iudicium,

Matth. 26.

### DOMINICA III. ADVENTVS DOMINICI, Epistola B. Pauli Apostoli, ad Philippenfes IV.

**G**audete in Domino semper. Iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est. Nichil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras, in Christo Iesu Domino nostro.

#### PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Obseruauit Ecclesia, vt in his diebus aduentus Domini epistola semper legatur, quæ memoriam aduentus habeat Dominici, vel in carnem, vel ad iudicium. Quamobrem hodiè quoque hac vitur epistola, quæ aduentum Domini vicinum, ac prope esse nobis significet. In hac autem epistola crebreus nos admonet gaudere Apostolus, haud dubium, quod in libertatem filiorum Dei vocati sumus. Siquidem cum non omne gaudium sit iustorum, nec parum, quo quis exulter gaudio, referat, ne putemus in ho-

Iacob. 1.

noribus, in pompis, in voluptatibus, alijsve mundi vanitatibus gaudendum, omnibus his exclusis gaudium vnum nobis inculcat religiosum, dicens: *Gaudete in Domino semper.* Gaudete in beneficijs, in donis & misericordibus diuinis, gaudete in gratia adoptionis filiorum Dei, gaudete in omnibus bonis, quæ fecit vobis Deus vester, gaudete postremo in tribulationibus, etiam dum in varias tentationes incideritis. Neque enim sanctum hoc gaudium in luctu quoque deest homini pio, nec sancta compunctio impeditur in hoc gaudio. Gaudete igitur in Domino gaudio semper continuo, quo à vobis seculi excludatur tristitia, quæ mortem operatur. Iterum quoque dico gaudete. Est enim alacritas spiritus certissimum signum inhabitantis gratiæ Dei, & præsentis spiritus sancti. Ne tamen foris prodeat hoc gaudium immodestè, muteturq; in temporale gaudium, vnde fiat postea vobis occasio tristitiæ, seruetur modus in omnibus, vt sitis foris quasi tristes, semper autem intus in Deo gaudentes. Qui enim thesaurum inuenit magnum, non potest de inuenito non gaudere thesauro. Verum si prudens est, metuit inuentum alijs manifestari ex gaudiorum eruptione, vnde eueniat, illum thesauro iterum priuari: gaudet quidem secum, sed gaudium suum foris celat, ne amittat. Ita vobis quoque expedit spiritus alacritatem, & deuotionis lætitiã modestè per externa gaudiorum signa ostendere, ne erumpendo immoderatè gaudium amittatur. Hæc autem vobis debet inesse modestia, non in hoc tamen, vt non excedatis in superflua effusione gaudij, sed in omnibus etiam verbis, moribus, passionibus, & actionibus vestris alijs. *Nota sit modestia vestra omnibus hominibus,* vt omnes in vobis ædificentur, sitis quæ bonus odor Christi in omni loco. Simile aliquid Petrus dicit: Conuersationem vestram inter gentes habete bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Et Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Sit igitur in omnibus vestris moribus modestia. Dominus enim prope est vobis, & nunquam deseret vos, paratus dare vobis quacunq; re indigeritis. Nihil igitur solliciti sitis, omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Siue enim fueritis in tribulatione, iuxta est Dominus hu. qui tribulato sunt corde. Et in Psalmo de seipso dicit: *Cum in seculo sum in tribulatione eripiam eum & glorificabo eum.* Siue fueritis in egestate, modo *primum querite regnum Dei & iustitiam eius, & omnia adiciantur vobis.* Est enim quedam sollicitudo pro rebus temporalibus, qua auari pleni sunt, & ad eam occupati, vt animam suam cum vita æterna, & negligant, & amittant, hæc interdicitur. Est tamen alia sollicitudo spiritualis, quæ est diligentia animi pro virtutibus, pro gratia Dei sibi augenda, ad euadenda pericula superandasque tentationes. Quam sollicitudinem scriptura commendat, Michaxa dicente: *Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te, vt que facere iudicium, & diligere misericordiam, & sic tunc ambulare cum Deo tuo.* Estote igitur sine mundi sollicitudine, sed ea quibuscumque indigeris ad Deum recurrentes, postulate. Semper itaque in omni aduersitate aut necessitate vestra, petitiones vestre innotescant apud Deum, id est, huiusmodi sint quæ Deo innotescant, hoc est, probatæ sint, Deoq; acceptæ, quæ enim Deus

non.

Gaudium  
 sancto quod.  
 Philp. 4.  
 Roma. 8.

Jacob. 1.

Philp. 4.  
 2. Cor. 7.

1. Cor. 6.

2. Cor. 1.

1. Pet. 3.

Matth. 5.

1. Pet. 5.

Psal. 39.

Psal. 90.

Matth. 6.

Sollicitudo

mala.

Sollicitudo

bona.

Mich. 6.

non probat, aut quæ auerfatur, dicitur non nouiffe. Vestræ autem petitiones innotescant in omni vestrâ oratione, obsecratione, & gratiarum actione, qua pro delictis præteritis veniam rogatis, aut vbi pro futuris Dei donis obsecratis, aut vbi pro acceptis beneficijs gratias agitis. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum & intellectum humanum, custodiat corda vestra, vt imperturbata inter quascunque etiam permanent molestias, in Christo Iesu Domino nostro.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM DOMINICAE III. ADVENTVS, MATTHEI XI.

CVM audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Verba hæc sunt Ioannis Baptistæ per discipulos suos, quos ad Iesum miserat, interrogantis, an Iesus ipse foret, qui Christus diceretur, & quem lex Messiam futurum prophetaret, qui foret expectatio gentium, & omnium salus ac redemptio. Interrogat igitur: Tu ne es, quem propheta nunciarunt, quem expectamus, Messias & Christus venturus, an alium post te adhuc (qui is sit futurus) expectare habemus? Sunt qui (vt Hieronym. & Gregor.) hanc interrogationem Ioannis intelligunt de Christi descensu ad inferna; vt sit verborum sensus, quæstionisq; intentio, quod Ioannes præuidens suam finem adesse (sicut prædicebat: Me oportet minui, illum, hoc est Christum, verò oportet crescere) interrogare voluerit Christum, quid in limbo vellet nunciari patribus, an per seipsum etiam foret ad illos descensurus, quo modo iam in mundum venerat incarnatus. Verum alij aliter exponunt, quorum explanatio verior sonat, vt paulò post dicam.

Non obscurum est, quando, aut quare Ioannes in vincula sit captiuitatemq; coniectus. Vbi enim Hærodem Antipam arguisset de illicitis nuptijs, puta qui fratris sui adhuc viuentis Philippi, ablatam duxerat vxorem, & eos, qui se nefaria copulatione coniunxerant, separare tentabat, dicens: Non licet tibi ò Herodes rex habere coniugem vxorem fratris tui. Ad Hærodiadis adulteræ suggestionem, quam (vt dixi) tunc sub nomine coniugis in delictijs rex habebat, Ioannes in carcerem coniectus est, opportuno tempore, propterea quod veritatem dicens Ioannes iniquitatem arguisset, necandus. Quod non multo post euenit. Hic in carcere positus, cum videret suos discipulos circa se errare, hoc est, eos putare se esse Christum, qui mundo promissus fuerat, cum Messia, id est, Christi præcurfor duntaxat erat, antequam ab hoc mundo per martyrium egrederetur, erui suos discipulos optabat ab hoc errore, vt seposita æmulatione pro suo magistro, in verum Dei crederent Filium, verum Christum, verumque Messiam. Quamobrem misit duos ex discipulis suis, qui impensus forent creduli, ad Christum, percunctari eos faciens, & qui Christo dicerent.

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

Quærit fortasse continuo quis. Si id Ioannes voluit, vt discipuli agnoscerent.

rent Christum, quare manifestè non illis hoc dixit? Quare ne se Christum discipuli cogitarent, non prohibuit? Satis prohibuerat Ioannes, dicens: Quem me putatis esse, non sum ego. Et ad se ab Iudæis missis confessus est se non solum non Christum, sed ne prophetam quidem esse. Veruntamen discipuli zelantes magistri sui honorem, & putantes eum id, quod esset, ex humilitate negare, ei non credebant. Misit igitur eos ad Iesum, non dubitans tanta apud eum visuros, auditurosq; ut ad eundem conuersti, verè ipsum esse Christum & magistrum suum, non solum humilia, sed etiam vera de se proficentem, crederent. Misit autem eos, postquam audiuit opera Christi. Quæ? Nempè hæc, quæ Christo digna erant, quæ Christum loquebantur, ut sunt loqui veritatem, pœnitentibus misereri & parcere, euangelizare regnum Dei, facere virtutes & signa, humilem ac mitem non minus inter adulantès, quam inter persequentes esse, peccata condonare, pro malis beneficia retribuere, &c. Misit itaque Ioannes discipulos suos ad Christum, ut illum audirent, & re ipsa probarent illum esse Christum. Neque enim Ioannes dubitare poterat Dominum Iesum ipsum esse, qui fuerat mittendus, Christum atque Messiam, quando quidem ipsum in utero virginis necdum natus quoque agnouit. Baptizauit præterea & agnouit. Nam Christo loquens Ioannes: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* quomodo eundem non nouit? Agnouit denique paulopost, Patris audiens vocem super eum, dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Non caret autem instructione hoc factum Ioannis. Commendat enim nobis sollicitudinem piam, quam pro suis gerebat, ne moriens eos in errore ignorantiaque relinqueret, ut etiam eis noticiam, familiaritatemque cum Christo compararet, quo post suam mortem illi adhererent. Et vos filij super familia domus vestræ vigilate, & ne peccatum, neve ignorantia eos seducat, curate. Instruite eos, in viam veritatis dirigite, atque ad pia opera eos (maximè qui vobis commissi sunt) exercete. Sit vobis gaudio familiam vestram, & eos qui vobis sociantur, non solum ex instructione, sed ex conuersatione vestra etiam fieri meliores. Nō detineatur vobiscum Ioannes in vinculis, hoc est, zelus iustitiæ, & prædicatione veritatis à vobis non solum non impediatur, sed etiam ne abscondatur quidem. Loquimini vnusquisque veritatem cum proximo suo. Nemo odiat fratrem suum, sed vbi deliquerit, publicè, aut clanculum, iuxta conditionem delicti arguat eum. *Nolite inquit, communicare peccatu alieni, magis autem redarguite.* Cum Ioannis discipuli ad Christum venissent, ut Lucas quoque refert, dixerunt: *Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Christus sciens quare ad se missi fuerant viri, opere magis ac veritate illis respondit, quam sermone. Refert enim Lucas: In ipsa autem hora multos curauit Iesus à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. Erant enim (ut dixi) missi propterea, ut videntes opera Christi, in Christum crederent. Non poterant autem certius informari, quam ut opera, quæ præter Christum nemo potuit facere alius, ipsum viderent facientem. His enim visis, iure hæsitare non poterant, quin foret Christus. Respondit igitur Iesus ad Ioannis quaestionem (ut dixi) non voce, sed opere, quo se Christum & Filium Dei probaret. Recit enim signa hæc non orando, sed præcipiendo, hoc est, propria

VIR TU-

virtute, quod solius Dei esse cognoscitur. Eam ob rem Iudæos quoque non multo post, quod non crederent sibi, inexcusabiles pronunciauit, dicens: *Si mihi non crederis operibus crede. Item: Si opera non fecerim in eu, quæ nemo alius fecit, peccatum non habere.* Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Quasi diceret? De ignorantia se excusare nequeunt, quoniam opera mea testantur me vera sequi, alioqui haudquaquam, quæ facio, possem efficere, si falsitas aut impostura foret in me. Hoc modo ihs, qui ad se missi fuerant, etiam hic loquitur, factò ac re ipsa loquens, quasi responderet: Interrogatis me an sim ille, qui mundo venturus promissus est, opera mea videte & expendite, an sint Christi filij Dei opera, an probent Messiam, an ve alius, qui mundum redimat, quærendus sit. Ioan. 10.  
Ioan. 15.

Et respondens Iesus, dixit illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Non verbis, sed operibus si vultis, inquit, ego vobis respondeo. Ite tantum & dicite, quæ vidistis, cæcos recipere visum, claudos gressum, &c. Beatus tamen nihilominus, qui non fuerit scandalizatus in me, hoc est, qui scandalum non patitur ex operibus humanitatis, quæ pro infirmitate carnis, & ad probandam humanitatis veritatem volens tolero, vt minus credat mihi inesse potentiam, virtutemque diuinam. Qui enim propterea, quod edo, quod bibo, quod dormio, quod patior, quod morior, in me scandalizatur, propterea non credens me Deum, illi erit hic aduentus meus, non in salutem, sed in ruinam. Beatus igitur, qui non fuerit scandalizatus in me. Eatis igitur, & quæ vidistis & audistis, renunciate Ioanni. Quasi dicat: Ipse enim, vbi hæc feceritis, exponet vobis prophetiam Esaiæ de Messia futuro: *Ecce Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet quasi ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Vide, quam modeste, quam castè Christus respondit. Non enim dicit se esse Messiam aut Christum, opera tamen coram illis huiusmodi exhibuit, quæ necessario ipsum testarentur Christum. Voluit autem Christus non facili- ter sibi nomen hoc vsurpare Christus, quia & Romanis & Iudæis erat nomen iniustum atque inuidiosum. Sonabat enim regem, nõ quod quempiam timeret Iesus, sed vt neminem scandalizaret, hoc est, vt scandalum, quod alij inde reciperent (quamdiu ita congruit) euitaret. Propterea discipulis ipsum Christum consentibus prohibuit, ne cuiquam hoc, puta quod esset Christus, dicerent. Voluit igitur donec euangelizasset mundo; donec tempus illius adueniret, quo egredi de hoc mundo per passionem statuerat, celari, & non vocari Christum. Quo tempore adueniente, modeste confessus est se esse Christum. Videte autem hic filij, quæ signa fuerint, quibus Christus significauerit se esse Christum, Cæci, inquit, vident, surdi audiunt, &c. Nunquid filij, quia cæci iam non illuminantur, non est nobiscum Christus, aut non sumus nos Christiani? Si signa hæc spiritualiter intelligimus, hodie quoque ipsa fiunt. Hæc enim in vniuersumque conuersione fiunt. Esa. 35.  
Math. 17.

stus in carne veniens in mundum, multa contulit mundo beneficia sanitatum. Et nunc idem in mentes hominum veniens, non pauciora donat beneficia animarum. Peccator namque, quamdiu est peccator, omnia hæc in se habet vitia. Est enim cæcus, est surdus, est claudus, est leprosus, est mortuus, Ab ijs omnibus ærumnis, si Christus in eius venerit mentem, liberatur.

Cæcus my-  
sticè quis sit.

An peccator non est cæcus, qui in oculis Dei frontosus peccat, qui peccati deformitatem non exhorrescit, qui Dei oculos non reueretur, qui futuram sibi damnationem non metuit, ubique clausos habens oculos, ubi suæ salutis esset admonendus, aut vndeunque posset conuertere? Non videt peccati turpitudinem, non suam attendit inhonestatem. Non videt, hoc est, non pensat, Dei cuncta cernentis iustitiam. Non videt postremò perpetuam peccatis debitam damnationem, nec suppliciorum enormitatem. Sub hac cæcitate liberè peccat, & quasi, aut non esset Deus (sicut scriptum est: *Dixit inspiens in corde suo, Non est Deus*) aut quasi fabulæ forent, quæcunque scripta sunt, quæcunque nobis credenda proponuntur, securus in peccato edit, bibit, dormit, gaudet & ridet. Breuiter, ducitur à diabolo ad infernales furcas, nec videt. Peccatum enim illum excæcat, sicut scriptum est: *Excæcauit eos*

Psal. 17. &  
12.

*malitia eorum.* Quomodo itaque peccator cæcus est, ita etiam surdus. Non audit, hoc est, non recipit verbum Dei, non retinet. Audit quidem aure corporis Christum in Euangelio loquentem, sed non audit aure cordis. Nihil enim in vica eius deprehenditur, vnde quod Dei verbo iam obediat, agnoscat. Non ergo audit sapientiam doctrinam, quia ad cor eandem non recipit, nec ad intima traiecit voluntatis. Est quoque claudus, quia ad opera pietatis, & ad Dei præcepta, neque pedes corporis, nequegressus affectuum mouet. Quarto peccator efficitur leprosus. Infectus enim est peccati corruptione, inficiturque alios verbis malis, & vitæ exemplo, *Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala.* Sicut ergo in suo primo aduentu Christus est hæc signa

Sapient. 2.  
Surditas spi-  
ritualis quis sit.

operatus, dum viueret hic nobiscum in carne, quibus se Messiam esse verum testatus est, sic in his in quorum mentes venit, eadem signa operatur spiritualiter. Vbi enim te comperis de peccato erubescere, peccati turpitudinem horrere, Dei præsentiam & iustitiam contemplari, quæ ante non videbas peccata, aut parvipendebas, nunc magni facere & detestari, inferni poenas formidare, intellige in te, hoc est, in mentem tuam venisse, qui illuminat in te abscondita tenebrarum, vt quæ non videbas, videas. Si item te verbi diuini lectio aut prædicatio delectat, cæperisque in lege Domini meditari, quomodo eandem perficias, aures tibi Christi referauit aduentus.

Claudus my-  
sticè quis sit.

Si quomodo alijs fuisti scandalo, verbis & operibus infirmiores olim trahens ad peccatum, ita nunc bono exemplo, exhortationeque sancta ad bonum inuiras, à lepra mundatus es, & Christi spiritum in te habes habitorem. Si postremò, quamuis non singulari præditus ingenio, nec virtutibus diues, alijs cæperis euangelizare, hoc est, annunciare bonum, eosque ad charitatis opera, ad Dei quoque cultum instruere, de pauperibus, id est, de humilibus illis es, qui Christum euangelizant, & Christi in te sentis aduentum. Porro, si horum nihil in te senseris, time, ne Christum non habeas in corde tuo, fortasse quia locum habes immundum, quem detestatur inhabitare, fortasse nec illum desideras, aut etiam ei repugnas, quare tecum recusat habitare.

Lepra spiri-  
tualis quis sit.  
1. Cor. 15.

illis

Illisque abeuntibus, cepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Exierant turbæ ad Iordanem, audientes quæ prædicationem Ioannis, in signum poenitentiae de peccatis pristinis, & pro signo, quod vitam inculpata, sese corrigentes, posthac ducere vellent, baptizabantur à Ioanne. Dicit ergo Iesus: Quid existis in desertum videre? Commendare voluit turbis Ioannem, hoc tamen facere noluit in præsentia discipulorum Ioannis, ne adulari videretur Ioanni, putareturve quod hunc idem coram ipsis discipulis commendaret, quod sciret eos omnia Ioanni relaturos. Expediebat quoque nihilominus Ioannem non commendari coram illius discipulis, qui nimium zelabantur pro suo magistro, atque propterea in Christo scandalizabantur invidia aliqua, quod ille baptizaret, quodque populi accursum haberet Iesus, quo magistri sui gloria minueretur. Fuit tamen scandalum siue æmulatio hæc ex ignorantia, non ex mala voluntate, atque idem non fuerunt reprehensi à Christo, sed dissimulanter informati. Illis igitur abeuntibus, dixit Christus ad turbas: Quid existis in desertum videre? quasi dicat: Quæritis hominem in deserto? Quem illum iudicatis? Nunquid arundinem vento agitatam? Nunquid hominem leuem & inconstantem, qui ad auræ flatum moueatur, qui hominum se moribus attemperet, ut quod multi laudant, laudet, quod item vituperant multi, vituperet, id ipsum hodie cum laudantibus laudans, cum vituperantibus iterum arguens, quo accomodat se adulantium more alienis iudicij hominum quæ fauoribus? Nunquid existis videre hominem mollibus vestitum? quasi diceret: An putatis eum delictis assuetum carnem suam mollibus fouere? Minimè. Neque est arundo, quæ vento in vtramque flectitur partem, hoc est, neque ex naturæ malitia inconstans ac leuis est, à veritate deflexibilis, neque studio malæ consuetudinis hoc vitium contraxit, ut aduleatur. Quod si esse vellet, iam non esset in carcere vincus. Quam præterea sit alienus à mollitie vestium & ciborum, quam sequuntur hi, qui amant oblectamentum carnis, testatur eremus, testatur vastum durumque cubile, testatur inhumanus agrestisque cibus, testatur postremo vestimentum hispidum, ex pilis scilicet camelorum contextum. Non est igitur arundo, qui in spiritu & virtute præcedit Lucæ 1. Helix, parare Domino plebem perfectam. Non vestitur quoque mollibus, neque mollitiem suo querit corpori, quando quidem qui mollia querunt, in domibus regum sunt, ijs nihil cum eremo est commune.

Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.

Quasi diceret: Prophetam æstimatis inuenisse, quando recepistis Ioannem. Veruntamen ego vobis illum pronuncio plus quam Prophetam. Causam autem quare Propheta & plus quam Propheta esset Ioannes, adiungit:

Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum Malach. 3.  
E meum

meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te.

Scimus in familia regum eos qui magis vicini iuxta rogem ambulantes turba esse præstantiores. Quo ergo Propheta Christo fuere viciniore, eo etiam sunt in hoc genere præstantiores. Ad eum autem vicinus erat Christo Ioannes, ut faciem eius (quo nihil vicinius) præcederet, & cum quoque digito monstraret. Erat igitur non solum Propheta, sed etiam in aliquo maior quam Propheta, utpote Angelus, id est, nuncius Christi, Christi magnus amicus, Christi vicinus præcursor, & Christi monstrator. Videte autem quam sapienter citat Christus Dominus auctoritatem seu sententiam illam Malachiz: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te.* Hucusque enim loquitur, & hic cessat, tacens ea quæ sequuntur, puta: Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis: quia non poterant de alio aliquo verba hæc intelligi, quam de Messia seu Christo venturo. Hæc tamen verba ut dixi Christus tacet, præcedentia tantum citans & perducens attentionem auditorum, qui in lege & prophetis satis eruditi vsq; huc, ne se iactare videretur Christum, sed potius ipsi, quæ mox sequuntur, verba meditentur, expendentque quandoquidem hæc quæ Christus citavit ex Malachia, essent impleta, implenda forent etiam quæ sequuntur, scilicet: *Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator quem vos queritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Quæ de Messia intelligi non ignorabant. Discerant igitur, si impletum esset & adesset præcursor Christi atque eiusdem viæ preparator, qui faciem eius præcederet, nihilo longius esse Christum expectandum, quin suum præcursorem sequeretur, mundoq; iam natus appareret. Videte quam secreto innuit se esse, ne se videatur iactare Christum. Sequuntur autem plures commendationes quam hodiè leguntur, in eodem Evangelio de Ioanne quæ suo loco dicenda forent. Nos interim glorificemus & adoremus Dominum Iesum Christum, qui est benedictus in secula.

#### SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Restens ab operibus penitentia Ioannem Christus commendauerit.*

Matth. 17.

**T**ves qui venturus es, an alium expectamus? Verba hæc sunt Ioannis ad Christum per nuncios ex carcere loquentis, qui quomodo Christum non ex ignorantia sua interrogavit (nihil enim de Christo Ioannes dubitabat) sed pro discipulorum suorum instructione, ita Christus quoque Ioanni quidem respondens, eidem quæ voluit, renunciavit, quo tamen Ioannem non hæsitantem non voluit instruere, sed nuncios ab eodem ad se missos voluit erudire, atque ab errore (cui illos non ignorabat implicitos) eripere. Responsio Christi fuit, ut ea quæ vidissent & audissent, nunciarent Ioanni. Ad eum enim hæc miracula homini soli impossibilia fuere, ut vel nuncijs hi qui interrogare aduenerant, non possent aliter de Christi, quam de Dei operibus iudicare. Quo cogebantur quoque (aberat enim odium & invidia iudicantibus) Christum Dominum esse veram Messiam, prædicare. Quippe in quo omnia essent, quæ à prophetis de Christo forent prædicta. Non itaque eis verbis, sed operibus respondit. Dicite, inquit, Ioanni

quæ

quæ vidistis. Magis voluit vt illi ipsi qui erant missi, hæc cordibus suis inscriberent, quam vt Ioanni nunciarent. Nihilominus tamen piissimus Dominus nunciorum detulit verecundie, sciens sibi missos, vt occasione ex obliquo sumpta, ab errore reuocarentur. Illis itaque abeuntibus, commendationem incepit Ioannis. Noluit enim illis præsentibus Ioannem commendare, ne adulari videretur. Omnia autem laudum præconia quæ Christus de Ioanne perhibebat, de austeritate eius vitæ in cibo & potu, de illius constantia & vestium vilitate fuerunt. Quo certè mirandum est, quod inter euangelicas laudes Ioannem Christus commendauerit ab eo, quod panem non comederit, quod vinum non biberit, quod mollibus non sit vestitus, quod delicijs carnis abstinerit: cum hæc opera sint omnia piorum hominum & monachorum, quorum status professio quæ ab hæreticis damnatur (quasi eorum qui suis adinventionibus quærant salutem, qui suis operibus nitantur mercari cælum, qui postremo irritum inanemque reddere præsumant Christi pro nobis satisfactionem) asseuerantibus inania esse omnia opera nostra bona ad salutem. Mirandum itaque dico, quomodo Christus hoc nescierit, errans Ioannem (qui cum monachis rectè ab hæreticis fatuus iudicari possit) laudauerit quod à delicijs abstinens, carnem suam in eremo, carcere, abstinentia, hispido vestimento, vilitateque cibi affixerit. Nõne iuxta illos omnia hæc stultè, inaniterque, inòdè præsumptuosè agit? Cur ergo Dominus (si cum reuerentia sic loqui liceat) Ioanne stultior, illum ab ijs commendat? Aut fortè potius mirandum erit, quomodo hæreticus calumniari opera poenitentiae audeat, puta ieiunia, castigationes carnis, & reliqua id genus opera, cum ediuerso Christus illa laudet? Hæreticus adem opera Deo dicit non esse accepta, nulliusque esse meriti, sed hominum esse inuenta, hominum instituta, quibus adeo nihil ad sit commodi, nihil frugis, vt etiam qui talia agunt, decidant à fide Christianæ redemptionis, volentes suis (vt aiunt) operibus introire regnum Dei. Christus verò interim opera huiusmodi laudat, confirmat, atque sibi accepta commoustrat. Quomodo enim Christus opera bona non laudaret, quæ ipse in homine operatur? Absque enim Deo homo non operatur bonum, sicut scriptum est: *Omnia opera nostra, bona, operatus es in nobis.* Quomodo item eadem non remuneraret, cum debitorem ex promisso se constituerit? vtpote adeo bonus, vt quæ ipse in nobis & nobiscum, non tamen sine nobis operatur bona, eisdem promittat, reddatque mercedem. *Beatus*, inquit Psalmographus, *vir cui non imputat Dominus peccatum.* Beatus planè similiter, cui opera sua Deus, ea nempe quæ eius gratia operatur in eo & cum eo, imputat ei ad meritum, constituens se ex promisso pro hoc opere mercedis debitorem. Quid tu liuore torqueris hæretice? Si oculus tuus nequam est, scito quia Christi oculus bonus est, qui vbique querit misereri & parcere, idè salua iustitia, hoc est, occasiones querit vt iuste misereatur. Quid si Christus in nobis opera sua, quæ idem in nobis operatur nobiscum, coronat? Quid si ita quod potest, vult facere? Nõne hinc eius tam misericordia quam sapientia clarior eluceat? Nõne magnificentia est maioris operari cum homine bonum, dare illi, vt quod agit, esse ac dici possit bonum, bonoque huius sic operato promittere, dareque mercedem (tamen opus ipsum non foret maius, quam

Ioannes in quibus fuerit per Christum commendatus. Lucæ 1.

Matthæ.

Hæretici poenitentia opera calumniantes confutantur.

Esaiæ 16.

Psalm. 31.

Matth. 10.

Opera bona à Christo laudantur.

Math. 10.  
Marc. 9.

Psalm. 15.

Haeretici cur  
bonorum ho-  
minum pijs  
operibus de-  
trahant.

Ad Tit. 2.  
Galat. 5.  
Bona opera  
quomodo ex-  
ercenda.

Luc. 17.

cyphum seu calicem frigida aqua porrige sitienti: & hoc propter Deum quam nulli bono operi, quamuis diuina sit virtute in homine consummatum, quamuis gratia sit diuina per hominem operatum, donare primum? Confutauit igitur Christus haereticos ab operibus poenitentiae, ab asperitate vestium, a castigatione carnis, a ieiunijs denique & abstinentia Ioannem laudans, confutauit omnes dicentes, nullius momenti, nulliusque utilitatis esse opera bona. Certè Deum nullis operibus nostris bonis egerè, nullis laudibus fieri sanctiorem, nec ex abstinentia nostra ditiozem effici, quis ignorat? Acceptum tamen esse illi non diffitemur, si nos ipsius amore delectationem quantulamcumque nobis subtraxerimus, aut si incommodum, calamitatem, tribulationemve aliquam fuerimus eius intuitu perpeffi. Charissimi igitur filij, spretis horum vilissimorum hominum calumnijs, qui cum bona grauentur opera agere, cum carnem mortificare propriam nolint, cum denique desiderijs suis seruire, non mori constituerint, ne propterea habeantur contemptui, nimis fiat manifestum, quam nulla sanctitas, nulla virtus, nulla apud eos sit continentia, detrahunt aliorum studijs pijs, calumniantur opera bona, ne ipsi bona opera non habentes minoris sint aestimationis. Sunt enim maxima propterea apud suos opinionis, quod insatiabili diligentia cuius statui probè instituto norint detrahere, insectarique omnes alios: se verò magnificare, suam fidem extollere, quae tanta (vt iniquiunt) est, vt absque bono fructu, imò cum pessimis fructibus credant arborem bonam, credant item sese absque opere bono, hoc est, absque diuinorum praceptorum obseruantia, sola Iesu passione saluandos. Credant Iesum in mundo vixisse, sic & sic docuisse, haec & illa fecisse, haec illaque praecipisse, ea tamen quae praeeperit, factu (quoniam sunt opera bona) necessaria non esse, sed quisquis crediderit verbis, dominicis praecipis, eum non posse perire. Et hoc non quod Dei praepcepta fecerit aut impleuerit, sed quod ea crediderit, quia sola fides haec, eos (vel si dijs displicuerit) saluabit. His igitur vt hominibus pestiferis relictis, vos filij operemini bonum ad omnes, frangite desideria vestra, abnegate vosmetipsos, vt non quae vultis faciatis: crucifigite carnem vestram cum concupiscentijs vestris, id est, affligite vestram carnem, a delectationibus abstinendo, concupita negando, quae molesta sunt vobis propter Deum patienda imperando: & vt simul dicam omnia, quicquid Deo cognoueritis placere, quicquid & in quouis tempore a vobis exigit, haud negligendo. Praeternittite, quicquid illi cognoueritis displicere, quicquid super vos ponderis posuerit, æquanimiter ferte. Et cum haec omnia feceritis, inutiles seruos dicete. Haeretici cum nihil de praepceptis Domini obseruent, quod inutiles se dicunt seruos, gloriantr, cum quicquid libuerit carni, indulgeant, quod sola se fide credant posse saluari, sibi blandiuntur.

Vos Domini praepcepta custodite, & nihilo minus inutiles infructuososque iudicate. Cum omnia diligenter feceritis, nihil in operibus vestris, sed in Dei miseratione Christi que benignitate confidite. Credite bonis malisque operibus congruam a Deo reddendam mercedem. Vestra opera tamen huiusmodi non credatis esse ea, quibus debeat merces, sed quibus formidetis supplicium. Nihilominus tamen a quouis bono opere, quod potestis,

DOM

non abstineatis, sed ire contendite per angustam portam, ita non quasi a-  
 rem verberantes certate, tam diligenter laborate, vt quasi nihil adhuc ap-  
 prehenderit virtutum, imò quasi violentia quadam regnum caelorum ra-  
 pere nitamini. Atque iterum de vestris operibus, de industria vestra, de-  
 que omni quam nauatis opera pro salute vestra adeò desperetis, vt ex sola  
 Dei misericordia, ex eiusdem bonitate saluari & oretis, & confidatis. Secta-  
 mini charissimi cum Ioanne Baptista penitentiam, eremum, solitudinem,  
 abstractam vitam, carnis macerationem, animi stabilitatem, grauitatem  
 morum, charitatem ac Dei zelum. Execremini cum eodem auaritiã, lu-  
 xum, delicias, voluptatem, crapulam, ceteraq; vitia huiusmodi, vt Christo  
 in vobis locum praparetis venturo, detis venienti, & ipse vos inhabitet,  
 vos regat, vosq; possideat. Si ita feceritis, parabit in vobis Christo dignis-  
 simum habitaculum. Celebramus enim Domini aduentum. Quo obsecro,  
 ad quid aliud monemur, quam vt Domino locum in quo illum habitare  
 delectet, paremus? Tria autem sunt quae Christo praparent locum, seu dig-  
 num efficiunt quem inhabitet Deus. Legimus eius esse delicias cum filijs ho-  
 minum. Quare ex ipso non est, sed ex nobis tantum ipsis, quod Deus non  
 habitat in nobis. Si enim eius sunt deliciae esse (vt testatur) cum filijs homi-  
 num, quomodo non libenter est cum homine, si locum inuenit sibi con-  
 gruum, aut se dignum, hoc est, non se indignum? Nemo enim illi dignum  
 parabit locum. Primum itaque filij quod ad hoc est necessarium, videtur  
 esse humile, feruensque desiderium, quo anima tua aestuet pro aduentu Dei.  
 Nihil dignius, nihil vtilius, nihil habere potes melius, quam Deum. Inde-  
 finenter proinde roga Deum, ne se clonget à te. Ipse enim est fortitudo tua,  
 virtus tua, thesaurus tuus. Adueniat in mentem tuam, hanc regat, hanc pos-  
 sideat. At fortasse dicis: Deuotionem non sentio, quomodo orabo? Si sen-  
 sus cordis contradicit tibi orare volenti, & inuenis in te cor aridum, steri-  
 le ac lapideum, ora voluntate rationali, ora fide nuda. Propone tibi bonum  
 summum, atque immensum esse Deum, maximè tibi vtilem, maximè ne-  
 cessarium, sine quo nihil es, taceo vt aliquid possis, maximè que idcirco abs-  
 te desiderandum, si sensu cordis nequis, spiritu, intellectu, voluntate que  
 rationali desidera, vt rem nobilissimam, fructuosissimam & necessariam.  
 Contra sensum cordis tui, inter ariditatem, sterilitatemque mentis, corpus  
 tuum humilia, genua vt se inclinent, compelle, labia vt loquantur Deo, &  
 salutaria petant, vrge, opta desideria deuotissima atque affectuosissima te,  
 si placeret Deo, habere, resigna te vt ariditatem mētis ad beneplacitum Dei,  
 quamdiu ille voluerit, sustinere consentias. Non ex desidia mentis, sed pro  
 subiectione & abnegatione tuae voluntatis. Aestima te deuotione, consola-  
 tione ve sensibili indignum. Nihilominus tamen clama pro Deo se tibi do-  
 nando, clama oratione, fortasse non dulci aut suauis, tamen forti. Crede filij,  
 si perseueraueris, si te propterea, quia aridum sentis cor, humiliaueris, &  
 culpam huius tibi ascripseris, si nihilo fecius corde licet, duro, orando insti-  
 teris, si te eius obtuleris, reliquerisque voluntati, si ei credideris quod pa-  
 terna prouidentia tecum egerit, daturusque sit quae tibi sunt vtilissima: De-  
 us etiam insensibiliter habitabit in corde tuo. Hac enim non posses, nisi  
 Deus in corde tuo habitans te erudiret, te confortaret, in te operaretur, quam-

1 Cor. 3.

Menth. n.

Baptista Do-  
mini in qui-  
bus nobis sit  
imitandus.Tria quaedam  
in nobis lo-  
cum Christe  
praparent:  
1.

Psalm. 42.

Deuotio actus  
sensibilis non  
haberi, -  
quomodo e-  
randum.

Math. 5.  
Psalm. 4.

uis tu aliter putes, quamuis non sentias, quamuis habes, credasque te desolatam & derelictam. Loquor autem hæc filiis bonæ voluntatis, qui pauperes sunt spiritu, qui terrena non sapiunt, sed amant, esuriuntque & sitiunt iustitiam ac virtutes. Non vobis hoc dico filij hominum, qui graui estis corde, qui diligitis vanitatem & queritis mendacium, hoc est, huius seculi figmentum, quod ostendit mentiturque se aliquid esse, cum nihil sit. Hoc quamdiu queritis, quamdiu diligitis, Deum amare, aut purè querere non potestis. Erratis miseri, magnipendentes quæ nulla sunt, cum quibus peribitis & nihil efficiemini, quod autem vestras posset saluare animas, negligitis.

II.

Sapient. 1.  
Ecclesi. 1.

Secundum quod pro impetrando aduentu Dei in mentem tuam est necessarium, est munditia cordis. Neque enim cor inquinatum aut immundum introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sit igitur in te timor Domini, qui super te vigilans, te custodiat, arceatque, ne Deum offendas, ne quoque intra te quippiam quod illi sit inimicum, foueas. Quare enim in veteri testamento toties, si quisquam immundum quid tetigerit, sua lauare vestimenta iubetur, immundumque se profiteri vsque ad vesperum, nisi vt intelligeremus quanta diligentia, qua vigilantia nobis custodiendum sit cor nostrum, ex quo egreditur quod coinquinat hominem?

Leuit. 15.  
Math. 16.

III.

Tertium est voluntatis nostræ conformitas cum diuina. Hæc conformitas non tam inuitat ad se Deum, quam seruat etiam. Dignatur enim libenter hominem sua visitatione Deus, dignatur sua in habitatione, vbi nullam senserit sibi fieri repugnantiam, vbi subiecta sibi inuenit omnia, qui est in secula benedictus, Amen.

DOMINICA IIII ADVENTVS DOMINICI,  
Epistola B. Pauli Apostoli, I. ad Corinthios IV.



*IC nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam queritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quousque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.*

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**H**Anc Paulus scripsit epistolam Corinthijs, quos pseudoapostoli ad parum bene sentiendum de Apostolo induxerant, causantes non verum esse ipsum Apostolum, infacundum, contemptibilem, atque ideo contemendum. Ad quod sobriè, humiliterque Apostolus respondens, Sic, inquit, nos, id est, me & Apollinam existimet homo, vt ministros Christi. Nolo enim plus minusve de nobis quis sentiat, quam diuinitus est nobis concessum. Sumus enim non viliores quam ministri Christi & dispensatores mysteriorum, hoc est, ecclesiasticorum sacramentorum Dei. Nolumus quis

nos

nos æstimet, quasi haberi æstimariue optemus Domini. Sed dubitant quidam de nostra fidelitate, idcirco queritur inter vos, quis inter dispensatores fidelis inueniatur, cui sit meritò credendum, quique rectè & fideliter omnia dispenset, quandoquidem non omnes quæ Iesu Christi, sed magis quæ sua sunt querunt.

Subindicat autem hic vel propterea Corinthios reprehensibiles, quod ipsi hic inquirere præsumant, id quod post hanc vitam Dominus est factururus, & suos prælatos, à quibus ipsi debent iudicari, contendant iudicare. Vos, inquit, iudicatis dispensatores, alios fideles, alios infideles. Mihi autem pro minimo est, cuiusmodi iudicer, puta infacundus, contemptibilis, aut non syncerus, & hoc siue à vobis, siue ab humano die. Humanum diem hoc tempus vocat Apostolus, quo homines vt homines se inuicem iudicant, ignorantia & affectionibus deprauati. Sed neque me ipsum iudico. Quanto igitur minus vos iudicare potestis me quam ego, qui me ipsum penitus noui? Quamuis enim nullius peccati grauioris aut lethalis mihi conscius sum, non tamen propterea iustificatus sum, nec iustum me confiteri audeo. *Delicta enim quis intelligit?* Qui autem iudicat me, Dominus est. Hic absque hæsitacione nouit omnia. Nam etsi post conuersionem meam in apostolatu malè infideliter uegisse me non recolam, nõ tamen propterea gloriari præsumo: quoniam sub illo iudice virtutes etiam humanæ trepidabunt. Hæc autem omnia exaggerat Paulus sese humilians, quo illos ad mentem saniozem, qui ad vindicandum erant proni, reduceret. Ided sequitur: Ita que nolite ante tempus iudicare, præcipue in dubijs & incertis, nec in alios sententiam pronunciarè, qui syncero, qui fideoue ambulèr animo, aut qui prædestinati, quiue sint reprobandi. Hæc enim soli Deo sunt manifesta. Patebunt autem vobis quoque in tempore aduentus Christi, quo nos iudicabit omnes. Interim de huiusmodi nolite vos iudicare, vsquequo veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, occulta peccata faciens manifesta, & manifestabit consilia cordium, id est, cogitationes firmas, animamque & intima cordium secreta nudans. Tunc enim & simplicitas & hypocrisis apparebit, & videbuntur plerique vtiles fuisse & digni, qui hic habiti sunt despecti, quomodo multi quoque qui hic aliquid videbantur esse, ibi inuenientur inglorij. Et tunc Deo arcana cordium reuelante vnicuique laude digno erit laus à Deo. Interim obseruandum & illud Euangelicum: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et illud Ecclesiastici: *Ne laudes hominem in vita sua.* De omnibus quidem bene sentire, charitatis est & sanctæ simplicitatis. Hic enim nullum conscientie est periculum, tamen fallaris. Porro laudibus hominem extollere nimis apud alios, est interdum alios fortasse laude digniores deprimere, aut eos qui tuo testimonio credunt improvidi fallere. Non rarè enim fidimus aliorum laudibus & commendacione fulcitos ad officia honoresque promoueri, quorum tamen vita moresque vbi postea clarius eruperunt, etiam eos, qui ante commendabant, & fautores fuerant improvidarum laudum suarum, non potuisse non erubescere. Tu igitur lauda parce, sed vituperas parcius.

**E**Rat multorum opinio eo tempore, quo Iudæi ad Ioannem miserunt legatos, Christum aut esse naturam, aut proximè nasciturum. Multæ namque prophetiæ de Christo aliquando futuræ, tunc consummari videbantur: atque hoc tempus Christi esse natiuitatis tempus ostendere. Quocirca, quia scriptum erat: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de scemore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, cum semper hæctenus iudices, duces, reges, ac principes habuerint Iudæi ex sua gente proprios, semper eos quoque habituros illis promissum est, vsque ad tempus quo is qui mittendus erat (nimirum Christus) nasceretur. Principatu verò Iudæorum nunc in alienam gentem translato, atque alienigenæ tradito, Iudæorum stirpi sceptrum ablatum esse, & ducem de scemore Iudæ defecisse, palam significabatur, adesse tempus quo nasciturus prænunciatus erat Christus. Hoc itaq; Iudæi considerantes, non paruam habuere suspicionem de Ioanne ipsum fore Christum. Miserunt igitur ad illum nuncios, qui eum quis esset interrogarent. Et hoc recitat Euangelium hodiernum dicens:

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es?

Iudæi Christum obseruabāt & Ioannem, ne fortè alter eorum esset Christus. Miserunt igitur ad Ioannem ipsum interrogantes. Quare, inquis, non miserunt ad Christum quoque interrogantes? Respondendum, maiorem eos opinionem habuisse de Ioanne, quam de Christo. Primum quidem, quod Ioannes de parentibus esset natus clarioribus, puta de Zacharia summo sacerdote, cuius fama non erat incelebris, aded vt Ioannis natiuitas præconiūm; mox nati diuulgabatur super omnia montana Iudææ. Tanquam enim de viro præstante nati infantis celebrabatur ortus. Christi verò obscurum putabant Iudæi esse ortum, vocantes eum fabri, seu Ioseph & Mariæ filium. Galilæam denique patriam eius contemptui habebant, vt bonus ille Nathanael diceret: *A Galilæa potest aliquid boni esse?* Deindè, Ioannes austeriorem agere videbatur vitam, quam Dominus Iesus, quare Ioannem propterea æstimabant sanctiorem. Induebatur namque Ioannes veste de pilis camelorum, & zona pellicea ad lumbos, quo conformis ad Helix vestitum accedebat. Abstinebat à sicera & vino. Antrum cubile erat. Cibus locusta & mel sylvestre. Christus verò nullo præ cæteris abstinebat cibo, nec alio quàm communi utebatur vestimento. Edebat, bibebat, conuiuia intrabat peccatorum & publicanorum, quorum saluti aduenerat. Quamobrem Iudæi aduersus eum murmurabant, vocantes eum hominem voracem, potatorem vini, amicum publicanorum & peccatorum. Tribuebant igitur Ioanni sanctitatis opinionem maiorem, quam Christo. Vide etiam quod solenniores nuncios miserunt ad Ioannem, quam ad Christum Iudæi. Ad Christum namque miserunt discipulos suos cum Herodianis. Porro hic sacerdotes mittunt & Leuitas ab Hierusalem, quo simul hos nuncios doctos in-

Ad Christum  
 aut non mi-  
 serunt Iudæi.

Lucæ 1.  
 Lucæ 2.

Matth. 23.  
 Marc. 6.  
 Ioan. 1.

Matth. 3.  
 Marc. 1.  
 4. Reg. 1.  
 Luc. 1.

Matth. 22.  
 Matth. 9.  
 Ibidem.

Matth. 23.  
 Marc. 12.

telligas. In Hierusalem enim legis & scripturarum schola erat. Vide deinde Ioannis humilitatem, Ioannis confessionem, sinceritatem atque constantiam. Veniunt Iudæorum legati, & parati illum pro Christo recipere offerentis ei maximæ huius dignitatis opinionem. Veruntamen, quod Christus dicebat de eo, ostendit se haudquaquam arundinem vento agitatam. Nulla vacuitas in ipso fuit, sed erat in Ioanne sinceritas, idè sibi noluit, quod non erat, arrogare. Non eum mouebat ventus inanis gloriæ, qui cedros Libani quoque sæpenumèd cognoscitur deiecisse. Illis itaque, qui missi fuerant Ioannem interrogantibus: Tu quis es? vt testimonium tanquam vir constans Ioannes vel de seipso proferret, audierunt.

Matth. ii.

August.

Et confessus est & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus.

Vide quia negationem Ioannis, puta quod non esset Christus, confessionem hic vocat. Sic enim reuera erat. Se enim negando Christum, Christum ipsum qui verè erat Christus, confitebatur. Vnde si Ioannes Christi sibi arrogasset nomen, si Christum se dixisset, Christum verum Dominum Iesum negasset. Voluit igitur Euangelista ostendere, quam gloriosus esset Ioannes confessor Christi, qui dum se Christum negaret, confitebatur Christum, quem (vt dixi) certè negasset, si sese Christum dixisset. Confessus itaque est, puta Christum, & non negauit. Confessus est, hoc scilicet modo: quia non sum ego Christus. Pergentes igitur legati ad aliam quæstionem, interrogant.

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Helias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et dixit: Non.

Sciebant ante Christi aduentum venturum esse Heliam. Quod futurum quoque est, si secundum intellexerimus aduentum, quando mundum est Christus iudicaturus vniuersum. Tunc enim duo illi Prophetae Enoch & Helias contra Antichristum prædicabunt, à quo tandem occidentur, sepulti manebunt, resurgent, & in cælum assumpturi. Hunc verò aduentum, qui erat Christi in carnem, non Helias, sed Baptista Ioannes præcessit, qui non in carne, sed in virtute ac spiritu (iuxta Christi testimonium) erat Helias. Ioannes igitur respondit, non eorum mentem videns interrogantium de persona Helias. Nam in mysterio Ioannes ipse erat Helias. Cui in multis erat similis Ioannes habens eandem gratiam, eandem vitam austeritatem ac rigorem. Vterque eremo vixit, vterque zona pellicea cinctus. Par quoque zelus vtrobiq. Ille quomodo Achab & Iezabel arguens persecutionem passus est, ita hic Herodem & Herodiadem corripens, carcerem, mortemq. sustinuit. Est denique vterque, hic primi, ille secundi Dominici aduentus præcursor. Continuant legati suas interrogationes. Propheta es tu? Ex habitu, ex vultu, ex baptismo & prædicatione conijciebant eum ad minus Prophetam: cum multo esset quam Propheta maior. Quod Christus quoque manifestat turbæ loquens: *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam Prophetam.* Sed Ioannes respondit: Non. Negauit se Prophetam esse officio, non negauit gratiam & virtutem Prophetæ. Prophetæ namque officium est, quare Propheta vocatur, de Christo futura

Malach. i.  
Helias quando  
aduenturus  
sit.Matth. ii.  
& 17.  
Lucæ i.  
Marc. 9.Matth. 3.  
4. Reg. 1.  
1. Reg. 16.  
& 17.  
Matth. 11.  
Marc. 6.

Matth. 11.

E præ-

Officium prophetar. Ioan. 7. Meth. 3. Marc. 1. Ioan. 1. Dent. 1. Apor. 6.

prædicere, non autem præsentem Christum monstrare. At Ioannes non de venturo, sed præsentem Christo loquebatur, eidem testimonium perhibens, quod baptizaret in Spiritu sancto, quod tolleret peccata mundi, quod illius non foret dignus calciamenta soluere. Potest etiam dici Iudæos de illo Prophetam interrogasse, de quo Moses loquebatur: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Ipsum tãquam me audietis. Quod Ioannes intelligens, idcirco hunc se esse Prophetam negavit. In omnibus his humilitas commendatur Ioannis. Relegavit enim à se quicquid erat honoris: Christum se negavit, Heliam Prophetam se discessit, cuius utriusque sibi potuisset arrogare gloriam, in hoc maximè honoratus, quod spernit fugitque gloriam mundanam. Habet enim hoc ipsa gloria, quod fugientem sequitur, appetentem se fugit. Quasi erunt itaque legati, cum se Ioannes negauerat, quod non erat.

Dixerunt ergo ei: Quis ergo es, vt responsum demus ijs qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso?

Vide quomodo vrget Ioannem. Vide quamuis aliqui videantur sentire, quod legati hi propterea ad Ioannem venerint, quasi illum pellicientes, vt diceret se Christum, & quod hoc animo à Phariseis missi fuerint, vt si se fateretur Christum, recepturi illum essent pro Christo. Non tamen ex omnibus tam precedentibus, quam sequentibus eorum verbis, id apparet. Quapropter magis videntur iniquo animo missi ad explorandum. Pharisei enim, vt reor, cum Ioanne egerunt, quomodo cum Christo. Et certè quum in Christo multa vidissent signa, non tamen crediderunt. Quomodo ergo Ioanni credidissent, qui prorsus nullum fecit signum? Putandi igitur sunt (sua cuique sua opinione) inuidia, æmulationeque Pharisei permoti, videntes turbas, ad Ioannis prædicatione Ioannisque baptismum egredi, vnde suæ æstimationis cernebat fieri iacturam. Non igitur illis baptizandi hæc nouitas, quãuis persuasibilis propter tempus, ne forte ex Deo esset, placuit: ided sciscitati sunt, an esset Christus Ioannes. Quem si se mentitus fuisset, putas Pharisei credidissent? Equidem puto, minimè, sed cum eo perindè atque cum Domino nostro Iesu Christo egerunt: agerēt. Nam si Ioanni testimonium vero Christo perhibenti non crediderunt (neque enim propter Ioannis testimonium Dominum Iesum Christum receperunt) quomodo Ioanni crederent se ipsum Christum dicenti? Respondens eis Ioannes ait:

Ysa. 40.

Ego vox clamantis in deserto. Dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Prophetam. Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis.

Gregor.

Quasi diceret: Ego non sum verbum, sed sum vox verbi clamantis (puta in me, seu per me) in deserto. Quid clamat verbum, id est, Christus, per vocem, id est per Ioannem in deserto? Dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Prophetam. Vera & humilis responsio Ioannis. Erat enim reuera vox verbi incarnati in ipso clamantis in deserto Iudææ, hoc est, facientis ipsum clamare: Dirigite viam Domini, &c. Quod Lucas quoque insinuat, dicens: *Et cum esset verbum Domini super Ioannem Zacharia filium in deserto.*

Luc. 3.

Non

Non enim incongruè dicitur Ioannes vox verbi incarnati. Est enim verbum seu conceptus mentis, quod est ante vocem atque sine voce. Si tamen id debeat agnosci, audiri, intelligi què, necesse est præire vocem, qua fit vt intelligatur. Ita Dei Filius, Patri quidem coæternus, hoc est, verbum Patris, semper fuit. Veruntamen vt mundo quoque fieret notus, vt audiretur, vt intelligeretur à mundo, caro factum est, hoc est, quodammodo audibile aut perceptibile factum est. Cuius verbi vox præcedens Ioannes fuit Baptista, qui Christum nunciavit, monstravitque præsentem, quemadmodum Pater eius Zacharias quoque testabatur, infanti mox nato loquens: *Tu puer Prophetæ altissimi vocaberis. Præbis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Alia est similitudo. Scimus verbum quodcumque enunciat, per vocem æquè ac per vehiculum deferri ad aures audientium, vt percipiatur. Pari modo Ioannes Christum Iudæis manifestavit, testimonium de ipso perhibens, & quantum in se fuit, cordibus auditorum illum inuehens. Ideo dicit ipse: Vt manifestetur, Christus scilicet in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Tertia est similitudo. Vox, vbi ad mentem hominis derulit verbum, vbi conceptum mentale loquentis intulit auribus auditoris, ipsa in nihilum veritur, peritque, verbo manente in mente audientis. Hoc modo postquam Iudæorum excitavit corda Ioannes ad recipiendum Christum, ipse à prædicatione baptismoque desijt, Christi baptismo recepto & manente. Quod satis clarè fatetur Ioannes quoque dicens: *Me oportet minui* (intellige secundum officium eius, & iuxta opinionem hominum) *illum verò*, hoc est, Christum, oportet crescere, hoc est, opinione, gloria, autoritatisque vsu oportet fieri maiorem. Eam ob rem quoque Ioannes à Christo vocatus est lucerna, quia præluxit ducens ad Christum. Lucerna namque ardet & lucet. Et idcirco vocatus est non solum lucerna, sed additur etiam ardens & lucens, quasi singulariter lucida præ cæteris, qui lucernæ dici possent. Constat autem lucernam in nocte præstare illuminationem. Siquidem die adveniente à sole illuminatur terra clarius, quam à lucerna. Imò sol ita suo exuperat lumine lucernam, vt lucernæ lux non sentiat, sed sit frustra. Videte cuiusmodi fuerit lucerna Ioannes, lucens nobis nimirum, hoc est, inuitans nos ad penitentiam. Quicquid enim in omni eius vita inspexeris, nonne hoc ad penitentiam, nonne ad mundi nos contemptum inuitat? Vides vestimentum hispidum ac pilosum? penitentiam, & gloriam monstrat. Prædicat cibum eius & potus delictijs abstinendum. Clamat desertum quoque nihil pendendos plausus hominum. Denique fauores regum non querendos, nec pro iustitia metuendas principum minas, carcer eius probat. Est igitur verè Ioannes vox clamantis in deserto, qui in vita, in conuersatione, in moribus, & in prædicatione non aliud docet, quam dirigere viam Domini, hoc est, idoneam facere viam, qua Christus ad cor hominis veniat, hominemque possideat. Vide autem quam dissimulanter indicat Euangelista, quod non animo sincero hæc omnia interrogarint. Dicit enim: Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis. Hi enim semper gloriæ inuidebant alienæ. Propterea igitur rursus obijciunt legati.

Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas,

F 2 si tu

Ioannes què  
benè vox di-  
catur.

Ioan. 1.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Ioan. 5.

Lucerna cuiusmodi fuerit Ioannes.

Math. 3.

si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta?

Math. 3.  
Baptismum  
Ioannis da-  
tum fuisse  
non in remis-  
sionem pec-  
catorum sed  
in signum pe-  
nitentia.

Quasi dicerent: Quid tu hac nouitate vteris, aut quomodo tibi vendicas autoritatem hanc vt baptizes, baptismumq; prædices in remissionem peccatorum? Hic intelligendum est baptismum Ioannis non operari remissionem peccatorum, sed eius baptismum receptum in penitentiam, seu in signum penitentia, quæ penitentia operabatur remissionem peccatorum. Homines enim pii, qui ad prædicationem venerunt Ioannis, ab eodem ad penitentiam retroactæ malæ vitæ instituebantur, vnde compuncti in signum, quod peniterent, atque inter penitentes se constituerent, baptismum recipiebant penitentis, hoc est, quo penitentiam profitebantur. Itaque non ex virtute baptismi Ioannis, sed ex penitentia hi, qui baptizabantur, remissionem obtinuerunt peccatorum, aut saltem ad minus sese faciebant dignos ad receptionem baptismi Christi, qui plenè à cunctis mundabat delictis. Quocirca Ioannes de se humiliter vbique sentiens & loquens.

Respondit eis dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum sterit, quem vos nescitis.

Ego corpora vestra aqua lauo, nihil amplius vobis donans, quam minister eius, qui vos intus lauabit atque mundabit Spiritu sancto, donans vobis omnia delicta. Ego baptizo vos, aqua, externum ministerium ego foris impleo. Medius autem vestrum sterit, quem vos nescitis, hoc est, inter vos est, quamuis eum non cognoscatis, qui vos baptizat in spiritu, hoc est, qui vos lauat ab omnibus delictis, sicut paulo post sequitur. *Qui misit me baptizare inquit Ioannes, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei.*

Ioan. 1.

Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti, hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans.

Luc. 7.  
Math. 11.

Hic est, inquit, qui post me venturus est, qui prædicabit, qui baptizabit, qui sese mundo ostendet in virtutibus & miraculis post me. Breui quidem tempore post me ex matre natus est, sed ante me factus est, id est, mihi prælatus est, superior atque dignior me est, quia prior me erat: vt pote Patri coæternus. Videtis filij, quomodo vbique se humiliat Ioannes. Et nos docet humiliare nos. Est Ioannes humilis, sed sanctus, sed magnus coram Domino: in d quo maior, Christo teste, nemo surrexit. Quam humiles nos oportet esse peccatores. Docet autem nos Domini præcurfor Ioannes vt si quippiam in nobis appareat commendabile, hoc lateat oculos nostros, quos in defectus nostros lustrandos debemus conuertere. Explorare nos conuenit curiositate pia alienam sanctitatem, alienam perfectionem, alienaque opera bona magnificare, nihil de nostris iactare, sed vilipendere. At si quid etiam alij in nobis laudant, non debemus credere. Si laudamur, alienæ id debemus humilitati ascribere atque errori, falli quoque eos putare in æstimatione sua, circa nos maiora melioraque, quam oportet, de nobis senti-

entes

entes. In omnibus itaq; vilis sit æstimatio nobis de nobis, quo semper, iuxta Christi monita, non solum à Ioanne, verum etiam à Christo discamus esse mites & humiles corde, qui est benedictus in secula, Amen. Matth. 23.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Quid verbum Dei in deserto clamauerit.*

**E**go vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, Ioannis I. Miserant Iudæi ad Ioannem Leuitas & sacerdotes, qui illum, quis esset, interrogarent, suspicionem habentes, ne fortè esset Christus aut Propheta ille magnus, quem Moses suscitandum prædixerat, & perindè ac se audiendum monuerat. Multifariam itaque Ioanne interrogato, hoc solum didicerunt Iudæi, quod fatebatur Ioannes vocem esse se clamantis in deserto. Cuius vocem? Verbi Dei, Filij Dei, cuius erat & Angelus, hoc est, nuncius & præcursor. Clamabat itaque verbum Dei per Ioannem, clamabat quoque per seipsum.

Vultis scire quid verbum Dei clamauit? Clamauit primo vt non diligamus mundum, neq; opera mundi. *Quisquis enim (inquit) non renunciat omnibus, que possidet, non potest meus esse discipulus.* Quot fuerunt tunc, qui audierunt hanc vocem auribus corporeis, non tamen audierunt aure cordis. Amici certè huius mundi ad hanc vocem obsurdauerunt. Legimus iuuenem venisse ad Christum, interrogantemq; quid facto opus esset, quo ad vitam ingredi posset æternam, Christus ei respondit, quod seruaret Dei mandata. Verum cum hic à iuuentute sua diceret se fecisse hæc omnia, audiuit à Christo: *Vnum tibi adhuc deest, vade & vende omnia, que habes & da pauperibus. & sequere me.* Hanc vocem iuuenis audiens tristis abcessit: multas enim habuit possessiones, à quibus ægrè potuit auelli. Quis ergo audiuit hanc vocem? Audierunt Apostoli, dicentes: *Eccc nos reliquimus omnia, & sequi sumus te.* Audierunt primitiæ credentium in Christum post diem Pentecostes, de quibus scribitur, multitudini credentium fuisse cor vnum & animam vnam in Domino. Quorquot agros & prædia habebant, venditis illis, precium ad pedes offerebant Apostolorum. Nec quisquam (quomodo scriptum est) aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia. Audierunt hanc vocem tempore Marci Euangelistæ, & temporibus sequentibus multa milia colentium Deum, qui in desertis Alexandria, qui in Aegypto, qui in Thebaide atque Nitria à se mundo abdicato, suarum sese alebant manuum laboribus. Nec setantum, sed & egenos reficiebant. Canebant hymnos Deo antelucanos: Macerabant ieiunio ac vigilijs corpora sua. Inter quos Antonius, Hilariion, Pachomius, alijq; cum grege monachorum in numero præcipui emicabant. Audierunt hanc vocem Benedictus, Bruno, Bernardus, Franciscus, Dominicus, alijque complures, qui non contra Euangelium, vt hæretici somniant, sed propter Euangelium, hoc est, vt iuxta Euangelium, & iuxta Christi vocem, iuxta eiusdem consilium ac beneplacitum viuerent, paupertatem diligentes. Et quia consilio sapientissimo credidisse se inuenerunt, alios quoque huius participes fore sapientiæ optauerunt. Quapropter alumnos suos omnes, vt sine proprio apostolico more viuerent, statuerunt. Inter hos vos quoque filij omnes, quotquot estis monachi, Christum au-

E 3; distis.

Deut. 18.

Quid verbum Dei clamauerit.

1. Lucæ 14.

Matth. 9. Marc. 10. Lucæ 14.

Matth. 9. Vocem hanc quoniam audierunt. Acto. 4.

Præcorum monachorum vita qualis fuerit.

distis. Cur enim ad monasteria conuolastis, nisi ut abrenunciaretis omnibus quæ possidebatis, & Christi fieretis discipuli.

Nec tamen hic quia monachos dico, propterea vos excludendi estis seculares. Seculares vos dico, non propterea quod non estis monachi. Potest enim vestris multis contingere, ut quibusdam sitis monachis religiosiores, qui terrena bona atque diuitias habetis quasi non habentes, qui in hoc mundo uiuitis quasi hoc mundo non uentes, qui denique gaudetis quasi non gaudentes, hoc est, qui ex necessitate, aut pro conditione status vestri bona possidetis terrena quæ animo contemnitis. Qui estis rebus diuites, pauperes spiritu. Omnes vos vna beatorum prædico, quia vocem clamantis audistis in deserto.

Matth. 5.

II.

Gal. 5.  
Carnalem  
vitam odi-  
endam esse.  
Lucæ 4.  
Ioan. 17.

Secundo, clamauit in deserto Dei verbum, ut vitam carnalem odiamus, abnegantes desideria nostra praua, & crucifigentes corpora nostra cum concupiscentijs suis: *Si quis*, inquit, *vult post me venire*, hoc est, si quis vult me sequi, ac minister meus esse, puta ut vbi ego sum, illic sit & ipse minister meus. Abneget semetipsum, abrenunciet desiderijs carnis, frangat, mortificetque concupiscentias, vitia ac illicitas passiones, & tollat crucem suam, id est, quæ molesta sunt non fugiat, quæ dura sunt non recuset ferre, sed mei contemplatione pati gaudeat. Hanc vocem non audierunt, qui relinquunt iter rectum, & ambulat per vias tenebrosas, qui lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Quorum via peruersa, & infames gressus eorum. Nec hi qui lassati sunt in via iniquitatis. Et qui non dormiunt, nisi cum male fecerint, & non capitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Contra verò vocem hanc hi audierunt, quos ad Hebræos Apostolus commendat, qui ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, qui lapidati sunt, sciti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. *Circumierunt in melioribus in pellibus caprinis. egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*, qui gaudent in tribulationibus, puta quod digni habiti sunt pro nomine Christi contumelias pati. Qui perdidit animas suas in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiant eas.

Prover. 2.

Hebr. 11.

Agor. 5.

III.

Matth. 5. &  
6. & 7.

Tertio clamauit, ut non solum proximum, sed etiam inimicos diligamus, beneficiamus ijs, qui oderunt nos. Dimittamus quoque debitoribus nostris, ex cordibus nostris. Simus misericordes, ut misericordiam consequamur.

III.

Matth. 11.

Quarto clamauit quoque ijs, qui molestijs sunt prægrauati, aut oppressi oneribus, vocans eos ad se atque exonerationem eis promittens: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. & ego reficiam vos*. Reficiam vos, ut non laboretis, hoc est, non ut ocio inertiatq; marcescatis, sed ut in pace & gaudio spiritus constituti, laborem si quem mei causa sufferitis, nõ sentiatis.

V.

Matth. 6.  
Solicitando  
nobis prohibita quæ sũt.

Quinto, ne de castano solliciti simus, sed primum, hoc est, præcipue queramus regnum Dei, non quod nulla prorsus sit nobis cura aut sine vlla prouidentia viuamus, nec ut industria operatione ve omni relicta, à Deo solo pasci nos credamus, sed ut vbi operam nostram nauauerimus, vbi labore nostro & industria vli fuerimus, nihil de Deo hæsitemus, nihil angustiemur formidolosi, nulla denique inaniter pro futuris sollicitudine animum discruciemur, quasi defuturus sit nobis aut cibus aut vestimentum, nec etiam nostram

nostram operam ita temporalibus bonis locemus, vt vel transgrediamur, vel negligamus Dei præcepta, sed regnum Dei & iusticiam eius nostris commodis, & bonis quibuscunq; terrenis anteferenda credamus. Tunc enim non modo corporis necessaria, sed omnia etiam adijciuntur nobis. Quod adde non debet nobis esse ambiguum, vt cum videamus infideles, impios, atque adde volucres & bestias à Deo pasci, quanto magis Pater idem celestis suorum curam habebit filiorum.

Sexto clamat ad nos, vt vigilemus ad nouissimam viuendi horam, ne tunc imparati inueniamur, aut indigni intrare ad nuptias. Quæ autem illa sit hora, incertum nobis esse vult, vt omnem habeamus suspectam horam, omnique tempore vigilemus, ignorantes an mane, an sero, an media nocte, an gallicantu, an meridie Filius hominis veniat. Hic nos vigilantes inueniri necesse est, si tamen cum Christo optamus intrare ad nuptias. O filij, quam beati sunt, qui ad fores sapientiæ vigilauerunt quotidie. Beati qui vigilant, præstolanturq; aduentum Filij Dei, vt siue in prima, siue in secunda tertiave vigilia venerit, & vigilantes inuenierit, confestim aperiant ei. Expectemus charissimi vigilantes, vt nihil intra nos residere sinamus, quo occurrere non auderemus in conspectum Dei. Si timemus occurrere Deo, inuestigamus timoris causam. Quæ vbi inuenta fuerit, puta fortasse quod aliquid extra Deum diligimus, id nobis mox vltro subtrahendum est & abducendum. Neque enim desiderare feruenter possumus Christum neque expectare, quamdiu cor habemus amore aliquo noxio implicatum. Verum quam beati erimus, quam exhibimus læti de hoc mundo, si vigilantes nos in orationibus inuenierit Christus. Quotidie igitur filij, aduentum expectantes Christi, puri & immaculati estote: quæ malè egistis, plangite. Ab eodem enim feliciter recipiuntur tam innocentes, quam pœnitentes, nec Dei misericordiam à vobis excludent peccata, quæ plangitis. Non vos quomodo olim fuistis, sed quomodo tunc estis in illa, qua vos vocabit hora, iudicabit Christus. Quæ hora, cum sit vnicuique ignota, omnem horam habeamus suspectam, ad omnem horam simus parati, vt cum sponsus noster, hoc est, qui toto corde nobis oprandus, desiderandus amandusq; est, venerit, in-troeamus cum eo ad nuptias. Videndum postremo, quare Ioannes in deserto habitauerit prædicando, cum locus ille minus videbatur ad huiusmodi officium idoneus. Dicendum, Christum prædicare noluit Ioannes, verbo tantum, verum etiam opere & veritate. Quod vt posset, non hoc solum ei erat necessarium, vt loqueretur, verum etiam vt in se non haberet, quod auditorum animos à fide auerteret, hoc est, ne viderent in Ioanne, quo auditores scandalizati eius sermonem contemnerent. Sed ne hoc quidem satis. Erat enim necesse, dum Ioannes mundi amatoribus prædicaret ac peccatoribus, vt simul & pœnitentiæ formam, & iustitiæ exempla monstraret. Quamobrem eremum petijt Ioannes, vt ipse à mundo tutus, immaculatusq; maneret, & alijs quid illis, quo mundi pollutionem effugerent, foret necessarium, in se monstraret. Fuit etiam gentibus hoc ad consolationem. Siquidem dum Hierusalem legis & prophetarum saginaretur prædicatione vsque ad fastidium, Ioannes in desertum abiit, quo gentibus, qui à lege, à scripturis, à promissionibus, à Prophetis, à cultu denique veri Dei

erant alieni, & quasi deserti, significaret posthac esse prædicandum.

Prædicatio  
Ioannis qua-  
re dicitur  
clamor.

Non caret etiam ratione, quod prædicatio Ioannis dicitur clamor. Clamatur enim ubi est prædicanti feruor, ubi necessitas est propter instantiam maioris periculi, ubi minor audientia, & ubi longius abest auditor. Omnia hæc locum tam in Ioannis quam in Christi prædicatione habuere. Vterque enim zelum habens animarum, licet, mensura impari, feruenter eos, qui perierant, reducere restaurareque satagebat. Aderat quoque subueniendi vrgens necessitas, quam vt vel ex clamore intelligerent homines, clamatum est. Nam gentes in pietate induruerant, Iudæi verò obsurduerant terrenorum amore. Vt igitur vel illorum obstinatio flecteretur, vel horum referretur surditas, expediebat altè clamari. Denique clamatum est, quia non erat auditus. Erat namque tunc tempus, quo homines dormiebant, voluptatum terrenorumque bonorum somno oppressi. Quare dormientes vt excitarentur, clamari oportuit. Postremò his, qui longè erant à Deo (quod de gentibus dubitari non potest, qui quasi sine Deo in hoc mundo vivebant) clamandum erat. Nam Iudæi haud quaquam, licet quippe viderentur, erant vicini regno Dei: & hoc propter eorum ambitionem, auaritiam & hypocrisim. Quos sæpenumerò seuerè arguit non tam Ioannes, quam ipse Christus. Vox demum clamantis si queratur quæ fuerit, exprimitur. Siquidem clamantis in deserto hæc sunt verba: *Dirigite viam Domini.* Nihil hic ambiguum est, quæ via intelligatur domini. Nemo enim hanc ignorat, nemo aliam existimat, quam eam qua Christus ad cor hominis, & humanum cor accedit ad Deum. Hanc dirigere iubemur, hoc est, rectam facere, vt sine curvitate in simplicitate, in planitie & absque deuiatione viator non remoretur à Deo, neque Deus procludatur, differaturve à visitatione hominis. Quod vt fiat, largiatur hoc nobis Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

Math. 3.  
& 23.  
Lucæ 3.  
Esaiæ 4.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM DOMINICÆ IIII. Aduentus, iuxta ritum Romane Ecclesie. Luca III.

Lucæ 3.

Ioan. 1.

Lucæ 7.

POST tempus illud, quo Christus cum matre Hierosolymam ascenderat annorum factus duodecim (quod Lucas ipse scribit) nihil de Christo legimus vsque dum trigessimum attingisset annum. Idèd post prædictam historiam in Luca mox sequitur temporis descriptio, quo Ioannes Baptista à Deo missus, cœperit prædicare. Nominat enim principes Romani imperij atque Iudæorum pontifices, sub quibus Ioannes prædicare exorsus est. Vndè colligitur Ioannem tunc annorum fuisse triginta: quando quidem paulo post Lucas Iesum cum baptizaretur, refert cœpisse fieri ferme annorum triginta Ioannes, autem tunc prædicationem suam baptizandiq; officium fuerat exorsus, qui sex mensibus Christo erat natu maior. Ait itaque Euangelista:

Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis,

gionis, & Lyfania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.

Vt prædixi, tempus hic certum nobis Euangelista ostendit, quo Ioannes à Deo missus, quo ve officium suum prædicandi & baptizandi fuerit exorsus. Dicitur igitur: Anno quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris. Tyberius hic sequutus est Octauium Augustum, qui septem & quinquaginta imperauerat annis, cuius anno imperij quadragesimo secundo natus fuerat Christus. Procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galiliæ Herode, Philippo quoque fratre eius tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionis & Lyfania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. In veteri testamento, quamdiu notus in Iudæa tantum erat Deus, in descriptionibus temporum prophetarum recensentur hi tantum principes aut reges, qui tunc in potestate erant constituti Iudæorum, sub quibus vixerant prophete. Vnde dicitur: *Visto Esaiæ in diebus Ozia, Ioabam, Achaz, Ezechia regum Iuda.* Hic verò in Euangelio vtriusque gentis principes memorantur, quo intelligeremus non solum Iudæos, sed gentes quoque nunc pertinere ad populum Dei. Recensentur autem præsidēs multi eo tempore, qui tunc regnabant inter Iudæos, quorum genus sigillatim discutere, & vnde sint nati, cuiusve fuerint conditionis, inutile, imò & superuacaneum mihi videtur. Auditis enim horum tetrarcharum conditionibus omnibus nihil propterea peritiores eritis, quia aut non intelligetis, aut memoria non tenebitis. Cum igitur huiusmodi genealogiarum stirpiumve descriptiones nihil vobis cōferant simplicibus & illiteratis, transeundum iudico, hoc tantum dicere iuuat, Herodem magnum Ascalonitam dictum, sub quo natus est Christus, & qui innocentes pueros in Bethleem Iudæ in Christi persecutionem occidit, postquam in Iudæa triginta septem regnauit annis, mortuus est. De cuius hæreditaria successione in regnū, cum non conuenirent inter se filij, Romani regnum in quatuor tetrarchias, hoc est, principatus seu partes quatuor regni decernunt partiendum, & ita quatuor constituerunt tetrarchas. Ioannis igitur exordio prædicationis, ij qui hic recensentur, tetrarchiis præsidebant, quamuis Pilatus non satis apte tetrarcha, sed procurator in Euangelio vocatur. His itaque in Iudæa gubernantibus, hoc est quolibet sua terra seu tetrarchia præsidente, & Anna & Caipha successiue pontificatum interea administrantibus, cepit Ioannes Spiritu sancto (quod est verbum Domini super eum factum esse) impulsus prædicare & baptizare. Modò enim conformi, quo circa alios prophetas scriptura vitur, describit hic etiam Lucas Euangelista Ioannem. Nam factum est (inquit vetus scriptura) verbum Domini super illo aut illo Propheta. Sic in hoc loco Lucas dicit: *Factum est verbum Domini super Ioannem.* Hoc est, missus est à Domino Ioannes impletusque est spiritu & gratia alijsque donis ad hoc opus necessarijs. Super Ioannem Zachariæ filium. Zachariam summum fuisse sacerdotem Ioannis Patrem, nemo ignorat. Cuiusmodi tamen fuerit summus sacerdos, non est vna omnium sententia. Dauid enim cultum Dei volens fieri maiorem,

G rem,

1. Par. 14.

rem, viginti quatuor constituit fieri summos sacerdotes, è quibus tamen vnus esset iurisdictione atque præminencia dignissimus. Aut ergo fuit summus sacerdos, hoc est, vnus de viginti quatuor, aut summus sacerdos, hoc est, potissimus ex viginti quinque ipsis alijs que cunctis sacerdotibus prælati. Non oportet nos hic filij disputando contentiones fouere, quod nihil aut parum, aut fidei, aut morum conducatur ad edificationem, scire an præcipue summus, an inter alios viginti quatuor fuerit summus sacerdos, puta vnus ex illis. Hoc tamen nos edificat, nobilem profectò fuisse Ioannem summi sacerdotis, Prophetæ & sancti viri filium: Nihilominus tamen humillimū.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Esaia Prophetæ.

Venit Ioannes præcursor Christi populum instruendus ad recipiendam prædicationem & Christi baptismum. Quod non incongruè videtur factum vt Christum præiret, & ante Christum baptizaret, quam Christi daretur baptismus. Erat enim Christus (vt hoc pro prima ratione sumatur) ad baptismum venturus, ex humilitateque baptizandus, & aquas consecraturus, hoc est, aquis vim peccata abluendi (quando sacramentaliter his ex intentione vtimur) daturus. Quapropter necesse erat vt ante esset qui Christum baptizaret, quam in nomine Christi, & Christi baptismo quis alius baptizaretur. Secunda est ratio, vt turbis accurrentibus ad baptismum, Ioannes data occasione Christum prædicaret. Tertia est, vt homines suo affuefaceret baptismum ad baptismum Christi. Quarta, vt homines ad baptismum venientes, prædicando ac ad pœnitentiam mouendo præpararet, dignosque Christi efficeret baptismum. Sciendum præterea, Ioannis baptismum, quatenus ad ritum modumque spectaueris, fuisse à Deo, licet, si effectum seu fructum quaeris, inueniatur esse ex hominibus. Spiritus enim sanctus, qui Ioannem impleuit & misit, ille eidem hunc ritum baptizandi quoque clam inspirauit. Ideò ex Deo fuit. Fuit verd ex hominibus, quia ex seipso nullum adduxit fructum baptizato, quem homo non posset præstare. Neque enim peccatum soluit, neque contulit gratiam Ioannis baptismus, quæ admodum Christi constat conferre baptismum. Iam si quaeras, cuiusmodi baptismum Christus fuerit baptizatus, Baptismo dico Ioannis. Voluit enim baptismum serui accipere Dominus, vt accipiendo suum baptismum institueret. Neque enim egebat baptismi sanctificatione aliqua Christus, cuius virtus aut gratia non poterat augeri: vtpotè qui gratiam accepit, non ad mensuram, Accepit baptismum serui, quo nos inuitaret, ne detrectemus baptismum suscipere Domini.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.

Esaie 40.

Vox de Ioanne intelligitur, vt sit vox clamantis, hoc est, quæ clamat in deserto. Vel, Ioannes est vox clamantis, id est, Christi in deserto. Desertum non incongruè Iudæa intelligitur. Multis enim modis deserta tunc fuit à Deo, hoc est, derelicta, carens præstantioribus donis, quæ in templo desererant.

Iudæa multis modis derelicta fuit.

I. Ioannes cur ante Christum baptizaret.

II.

III.

III.

Baptismus Ioannis vtrum ex Deo fuerit vel ex hominibus.

Act. 13.

Baptismus cuiusmodi Christus fuerit baptizatus.

Ioan. 3.

DOMINICAE IIII. ADVENTVS.

erant illo post reditum ex Babylonica captiuitate aedificato, quæ in primo fuerunt. Nam carebant igne illo, qui iugis ac perpetuus perseuerabat in templo, nec imbris, nec vento (vt fertur) extinguibilis. Secundo, defuit eis arca testamenti, illa scilicet quam Moses fecit. Tertio, defecit eis vnctio regum & pontificum. Post captiuitatem namque Babyloniam neque reges, neque pontifices habuerunt vnctos Iudæi, cuiusmodi antè solebant. Quarto, in secundo, templo deerant diuina responsa, quæ dabantur sacerdotibus in Salomonis templo. Quinto, defecerant scientia & veritas, hoc est, fulgor quidam (vt Iosephus ait) subitò profiliens de lapidibus rationalis & superhumeralis, quo significabantur summi sacerdotis preces apud Deum acceptæ. Hæc omnia apud Iudæos defecerant. Quare haud immeritò Iudæa desertum dicitur. Dominus quoque Iesus illis comminabatur maiorem adhuc desolationem futuram, dicens: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Sed quid clamauit vox illa in deserto? *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Hæc præparatio benè intelligitur de aduentu Christi in mentem hominis. Neque enim opus est nobis clamare, vt præparemus nos ad aduentum Christi in carnem. Semel incarnatus est, non iterum potest incarnari. Laudemus eum, gratias agentes, quia hoc fecit: non expectemus, vt iterum hoc faciat. Habemus tamen alium aduentum, quem toto exoptemus expectemusque corde. Hic est in mentem aduentus eius, seu visitatio spiritus. Pro hoc aduentu orandum est quoque. Est denique locus ei venienti parandus. Locus quem optat, & quo libenter recipitur, est munda conscientia. Ibi libenter recipitur verbum Dei & operatur. Audis vocem esse clamantis in deserto. Vis in te vocem clamare verbi? Esto desertum tu, vt à tumultu cogitationum occupationumque secularium sis pacatus, quietus ac liber. Sis quoque à vitijs mundus, & audies in te clamorem diuinæ inspirationis. Audies instinctus diuinos. Para viam domino, & rectas fac semitas viæ eius. O quam beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Verum, qui aures non habent audiendi quomodo audient? Vbi mundi terrenarumque rerum clamor est multus ac varius, quando Christus audietur, qui haud aliter, atque in silentio loquitur? Clamat in nobis superbia, clamat ambitio, clamat inuidia, clamant postremò gula & acedia, & quomodo audietur mansuetissima vox Christi? Quomodo ergo dixi, si Domini vocem audire voluerimus, vt desertum simus necesse est, in quo solitudo sit atque silentium. Hæc est autem vox, quam audire debemus? Parate viam Domini, &c. Quid est Domini viam parare? Ex rebus temporalibus cernimus quomodo sternitur, quomodo ve planatur via. Ita agamus circa interiora quoque nostra, vt peccatorum malarumque affectionum scopulos amoueamus, quo via sit parata Domini, hoc est, vt absque impedimento, & absque molestia ambulari possit à Deo ad nos, & à nobis ad Deum. O felices, o felicissimos, qui nullum sustinent medium inter se & Deum, vnde impediri eorum possit accessus ad Deum, aut Dei accessus ad ipsos. Hinc summo operè est seruanda puritas cordis tanquam res multo maximè necessaria. Itaque via nostra ad Dominum, aut Domini ad nos sit parata, vt excluso peccato nihil à nobis Dominum excludat. Rectas quoque faciamus semitas Dei nostri. Semitæ Domini, consilia vocari possunt euangelica. Semitæ

G 2 enim

I.  
II.  
III.  
IIII.  
V.

1. Reg. 2.

Matth. 23.

Locus Christi in mente parandus quis sit.

Desertum vti quis mysticè esse debeat.

Esaie 40.

Luca 11.

Luc 1.

Apo. 1.

Viam Domini parare quid sit.

Semitæ Domini quæ &c.

quomodo  
recte sint fa-  
cienda.

enim parua sunt via, quibus iumenta & currus non ducuntur, sed quasi per compendium citius his inhærendo ad terminum perducunt. Consilia itaque euangelica custodiens, rectas facit Domini semitas, citiusque ad perfectionem pertingit. Est enim in his rectitudo maximè necessaria, hoc est, sincera intentio. Nisi enim hæc fuerit sincera, totum opus erit infructuosum. Caueamus igitur obliquitatem, caueamus adulationem, ne in gratiam duntaxat hominis loquamur. Amemus cordis munditiam. Loquatur veritatem vnusquisque cum proximo suo. Quod in corde tuo est intus, hoc dicito foris, id est, non aliud similes, & aliud intendas. Permane in iustitia & veritate, & veritas ipsa excusabit te. Si enim rectè ambulaueris & sincère, non habes formidare homines: quandoquidem magis ipsi formidabunt te.

August.  
Zachar. 9.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.

Profunda humilitatis implebuntur, descendantque ad ea riuus gratiarum, quomodo rursus montes & colles, hoc est, quæ excelsa sunt & magna in mundo, humiliabuntur: & hoc per aduentum Christi, siue in carnem, qui suo exemplo docebit humilitatem, aut per ipsius aduentum in mentem. *Excelsus enim solus Dominus humiliare respicit, & alia non aliter nisi à longè cognoscit.*

Psalm. 97.

Et erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei nostri.

Quæ graua, quæ molestia, quæ difficilia denique sunt, hæc per aduentum Domini in mentem fient suauius, portabilia atque iucunda. Quæ postquam ita omnia impleta fuerint, videbit omnis caro salutare Dei. Non hic omnes videmus Christum oculis carnis, sed oculis cuncti videmus fidei. In extremo quoque iudicio videbunt omnes, alij ad felicitatem, alij ad perpetuam calamitatem.

Psalm. 66.

*Dominus noster Iesus Christus miseratur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & miseratur nostri, vt hic fide & charitate cognoscamus, & post mortem læti quoque videamus salutare Dei benedictum in scula, Amen.*

#### SERMO DE EADEM LECTIONE EVANGELICA.

*Quid Christum faciat recipi, intraque nos morari.*

**O**mnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Lucæ III. His verbis filij, nobis innuatur, quis ex aduentu Christi nobis fructus proueniat. Neque enim sine salute Iesus, nec absque vnctione Christus aduenit. Olim aduenit in carnem de virgine conceptus, natus, in carne visus, cum hominibus conuersatus, docuitque verbo euangelizans, & vitæ suæ exemplo nobis quomodo sit imitandus, commonstrans. Venit enim filios suos, hoc est, adoptionis æternæ alumnos, qui in mundo erant dispersi, quærere, colligere, & quod perierat, saluum facere. Attulit mundo salutem, quoniam sanauit omnes oppressos à diabolo, eos puta, qui infirmitatibus suis agnitis, quærebant à Saluatore remedium salutis. Quomodo enim sanaret (tamecni ex nimia eius boni-

Bernard.

Baruch 3.  
Matth. 11.

Lucæ 3.  
Acto. 10.

bonitate aliquando id fiat) eum, qui sanari non querit? Aut quomodo sanari is cupiet, qui infirmum se ignorat? Huiusmodi infirmi erant Pharisei, scribae, alijque in mundo multi, qui in oculis suis iusti, nec (vt putabant) infirmi, non sanabantur. His Christus loquens arguit eos interrogantes: *Nanquid & nos caeci sumus? Si caeci, inquit, essetis, peccatum non haberetis. Nunc autem quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet. Quasi diceret: Quamdiu caecos vos (vt verè estis) non cognoscitis, tamdiu nullam obtinebitis illuminationem. Omnes igitur qui quaesierunt à Domino salutem, consolati sunt, quia quod quaerebant, inuenerunt.*

Sed noli tristari tu, quod in diebus Christi, quando in terris ambulauit, non vixeris. Putas enim cuncta te impetrare potuisse. Putas, si illum audisses, obediturum te fuisse in omnibus. Nihil enim nunc minus habes, quam habuerunt ij olim, qui Christum viderunt in carne. Nam pro praesentia eius visibili seu corporali, tu praesentem quoties volueris, habere potes in mente. Hæc autem praesentia multo est corporali visione melior. Quot enim Christum viderunt in carne, audieruntque, quibus tamen hæc visio nihil contulit: quandoquidem illum non receperunt in mente. Profuit igitur parum aut nemini Christi visio corporalis, nisi ijs, qui viderunt Christum simul & fide, & qui tenuerunt eum per dilectionem in mente. Eundem igitur fructum, & multo certiorum ex aduentu Domini in mentem assequeris, quem assequutus fores ex ipsius praesentia in carne, cum hic nil tibi, nisi in mentem veniat quoque, prodesset: atque idèd vterque nunc celebratur. Tu modo vigila, vt domum ei pares mundam. Domum enim eius decet sanctitudo. Dubitas fortasse, quomodo tuam custodias conscientiam hanc enim Christi domum esse non dubitas) mundam. Vide quomodo vasa vteniliaque domus seruentur munda. Lauantur enim, purgantur, exhauriuntur, exsiccantur. Nihil enim in vsu est hominis, quod non inquinetur. Sed qui munditiam diligit, statim vbi perceperit sordes, eluit aut abradit. Si ergo omnia te munda delectant, quomodo Christum cor mundum non delectet? aut quomodo cor pollutum inhabitare possit? Et tu qui domus tuæ vtenilia vis munda habere omnia, quare cor non curas habere mundum? Non potest fieri, quin aliquando inquineris: sed noli in sordibus iacere, noli tolerare sordes. Eijce abs te quicquid oculos Dei cuncta cernentis offendit. Si ita feceris, Christum non solum aduenientem, sed intra te etiam recipies habitantem. Vnde implebuntur in te ea, quæ hodiè in Euangelio Lucas ex Esaia desumpta, pronunciat, puta vt omnis vallis impleatur, &c. Christus namque peccatis & peccandi voluntate abs te exclusis, in cor tuum adueniens, tui infundet tibi cognitionem, docebit pauperem te fore spiritu, atque depressum humilemque vt vallem. Videbis diuino eius lumine illustratus, tuæ opera esse nulla. Videbis nihil te esse sine Deo, aut posse. Cum iam in oculis tuis fueris vilis, paruus, humilatus atque confusus, eius te gratia implebit, non totum mox perfectum faciet, sed semina in te proiciet crescentium virtutum, vnde germina aliquando ex te nobilia erumpant. Porro, si aliquando in cogitatione ambitio superbiæ titillauerit, atque ex profectu, quem fortasse senties, aut quem suspicaberis, mens tua sese in star montis extulerit, aut saltem efferrî concupierit, reprimet te mox Christi

G. 3. aduen-

Ioan. 9.

Præsentiam  
Christi spiri-  
tualem cor-  
porali esse  
melio-rem.  
Ioan. 1.

Psal. 92.

Conscientia  
quomodo  
munda cu-  
stodienda sit.

Bernard.

Luc. 3.

Esaia 40.

Math. 15.

& 11.

Aduentus

spiritualis

fructus mul-  
tiplex.

Philip. 4.

1. Reg. 6.

Vallis quo-

modo per

Christum im-  
pletur.

Mons & col-  
lis quomodo  
per Christi  
aduentum  
humilietur.

Præua quo-  
modo fiat  
in directa.  
Eisim 26.

Peccatorum  
reliquia quæ

Roma 6.

aduentus, hoc est, gratiæ eius te inhabitantis operatio, atque aut ignominia humiliabit, aut infamia, qua compressus, non audias erigere caput. Siquidem cum omnia putaueris sana, atque tibi ipsi penè gratulari cœperis quod fortiter egeris, leuissima tentationis aura te subitè concutiet, & ante cecidisse te inuenies, quam te senseris impugnatum. Mons igitur & collis, hoc est, tam excellentia, quam præsumptio, quamuis modica, in te humiliabuntur.

Et erunt praua in directa. Tortuosos homines significat, & homines Christi seruitio ineptos. Hos enim Christi aduentu nihilo secius oportet conuertere. Illustrat enim omnes Domini aduentus, illustrat diuina uisitatio, ut quid in nobis sit plangendum quid desiderandum, quæ relinquenda, quæ sectanda, quæ etiam fugienda videamus. Concipimus inde spiritum salutis, reconciliamur Deo per confessionem delictorum, ac per penitentiæ assumptionem. Placet nobis aliam vitam eligere, in qua mori sit securius. Fit mutatio vitæ. Ecce vitam eligis à mundo abstractam, eligis monasticam, aut fortasse etiam eremiticam, quo facilius abstineas peccato, moriaris mundo, uiuas Deo. Verum profligatis peccatis magnis, quibus olim prorsus fuisti à Deo alienus, nunquid mox ubi penitentiæ vitam inchoaueris, ubi penitentiæ seu monasticæ habitu indutus fueris, mutasti etiam omnia tua naturalia, ut quæ ad Dei sunt cultum, agas perfectè omnia, facias omnia cum suauitate? Nunquid praua & tortuosa mox tua erunt directa? Paucis hoc contingit. Tunc enim primum vadis ad pugnam. Hastenus contra diabolum, contra eius consilia pessima, & contra grauiora peccata dimicasti: iam contra teipsum pugnabis. Siquidem dum in monasterium aut in penitentiæ statum aduenisti tecum pariter naturalia tua, hoc est, inclinationes malas, passiones, corruptiones, malas consuetudines atque vitiosas concupiscentias adduxisti. Nunquid cucullus monasticus, nunquid vestitus alius sanctè assumptus naturalia tua praua aut aboleuit, aut mutauit? Minimè. Ecce venit ad monasterium homo naturaliter superbus, inclinatus est, & corruptione vetusta ante penitentiam assuetus esse se, iactare opera sua, magnificare, nolle despici, velle opprimere & resistere (hæc enim peccatorum sunt reliquiæ, hæc corruptiones quas secum circumfert, & etiam eadem nolens cogitur sustinere) quid faciet? Nunquid non impugnetur, quia à peccatis desijt? Sentiat nolens oportet, quantum adhuc à iustitia caro eius distat. Sed nonne iam est, inquis, conuersus? Quare igitur modo sentit eadem, quam olim, grauius sibi incumbere? Mòdo sentiens inde grauatur, olim dum peccatis foret circumdatus, has passiones nec sentit, nec grauatur. Paratus enim vtrò ad peccandum repugnare noluit prauæ suæ inclinationi, idè suas inclinationes non etiam agnouit. Portauit igitur secum ad monasterium sua praua naturalia, & grauiora molestiora quæ eadem post conuersionem, quam ante, sentit. Nondum praua eius mutata sunt in directa, nondum conuersa sunt aspera in vias planas. Multum certè facit, si non præbuerit membra sua iniquitati. Multum in principio proficit, si exteriora poterit, sua in rectitudine seruare, interiorem quæ prauitatem, ne erumpat, ne foris sese prodatur, ne consentiat iniquitati, comescere. Cogitur sentire (fateor) quæ non vult. Cogitur egere atque carere tam his quæ malè, quam ijs quæ salubriter cupit, sed absque periculo. Habet enim hoc

hoc consolationis interim, quod nihil damnationis audit esse ijs qui sunt in Christo Iesu. Consolationem habet, sciens se haudquaquam posse inquinari ab his quae sentit, quantisper non consenserit: sciens quoque aliud esse sentire, aliud consentire, utpote quorum prius est carnis seu sensualitatis, quod iudicio est rationis non subiectum: alterum rationis eiusque iudicio parens. Itaque huiusmodi homo dum putabat se inuenturum quietem, inueniet adhuc praelia multa, fiet aliquando tamen, ut praua eius mutantur in directa propter gratiam Christi, quae in eo habitat: qua fit ut peccatum quidem sit ac sentiat, non tamen regnet in eius mortali corpore, nec peccato mente rationeque consentiat. Sed quando, inquis, erit ut praua eius fiant directa? Quando fiet ut quod tortuosum fuerit & ineptum, fiat aptum & rectum? Post multa profectò certamina, post agones multos multiplicemque confictum hoc erit, ut ex praesentia Dei, eiusque gratia in te inundantius rorante, & inter praelia te regente ac protegente, aliquando ita vincas, quo aut prorsus prauitate hac careas, aut eam ligatam quasi carnem oblatrantem sentias, nullo negotio vincendum: puta quam citius contemnendo, quam pugnando tuac compescas. Vide igitur quam feliciter instituta sint monasteria, in quibus exerceamur tanquam in palestra ad virtutes, & ad vitia expugnanda. Nam si in seculo quis poenitentiam elegerit, aut iuxta Iohannis Baptistae consilium, fructus dignos voluerit poenitentiae agere, quot mox sentiet contrarios, quot aduersarios, qui dissuadeant hanc nouitatem habebit? Quot sentiet derisores? Quot audiet qui ad pristinam vitam, atque ad mores reprobos moliantur retrahere? Odiosa enim lippis oculis lux est. Vix tamen vnum interea inueniet, qui adulatione abstinens illum ad id, quod coeperit, strenuè perseuerandum admonet.

At verò in monasterijs probè institutis secus est. Ibi enim sunt constituti qui excitent negligentes, informant ignorantes, tardiores vrgeant, arceant malè volentes, desidēs compellant ad poenitentiam & virtutes. Bona sunt haec studia exercitiorum & charitate magistra ac instigante saluberrima, negligentes, ignorantes pigros atque aliquando recalcitrantes (iuxta Christi parabolam) compellere, ut consentiant intrare in regnum caelorum. Nemo igitur doleat, quod in monasterio sit constitutus benè instituto gaudeat potius, quod liceat illi ibi cum multis benè agere. Quod si infirmior est quam ut propterea gaudeat, hoc idè est, quia nodum aspera ei mutata sunt in vias planas. Sustineat igitur correctiones, admonitiones recipiat, faciat de necessitate virtutem, ut quae agit priuato amore nondam mortificato inuitus, ex ratione qua sese ad obedientiam compellit, eadem agat deuotus, ut quod alioqui non ei foret acceptum aut voluntarium propter Deum, tamen sibi id faciat esse voluntarium, ut tandem conculcatis visijs, videat spiritu, sentiatque gustu salutare Dei, quod est benedictum in secula, Amen.

## EXEGESIS EVANGELII IN VIGILIA

Natiuitatis Christi. *Matthaei I.*

**P**ER omne tempus hoc, quo Dominici aduentus celebratimus memoriam charissimi, crebrò sumus consolati ex prophetarum oraculis, quibus hoc tempore sacra est vsa Ecclesia. Nunciabatur enim nobis

G. 4. propè

propè esse tempus, vt Saluator noster Messias veniat. Item, citò nobis adu-  
 turam salutem. Vnde mansimus, inter hæc promissa expectabundi. Porro,  
 hoc die certa nobis constituitur dies, qua Dominum videbimus. Iam enim  
 ad eò est propè nobis, vt nobis canetur: *Hodie scietis qua veniet Dominus, &  
 mane videbitis gloriam eius.* Item: *Crastina erit vobis salus.* Quis iam Domini sus-  
 pirans aduentum, non gaudeat? Quis non votis omnibus desiderijs què fer-  
 ventissimis Deum præstolatur, audiens, Hodie scietis, quia veniet Domi-  
 nus? Multo enim tempore olim fuerat promissus, diu expectatus, tandem  
 dictum est præstolantibus propè esse vt veniat, & dies eius non elongandos.  
 Nunc ad vltimum hunc diem expectatio hæc venit. Siquidem non iam di-  
 citur propè esse, sed hodie sciri, hoc est, manifestum fieri, quia veniet Domi-  
 nus ad manè videndam gloriam eius. Hoc idem alijs verbis quoque nobis  
 nunciat Ecclesia, dicens: *Crastina erit vobis salus*, hoc est, non semper getetis,  
 non semper expectabitis, vltra non differetur desiderium vestrum, ad v-  
 num & hunc vltimum diem peruenit expectatio vestra. Crastina erit vo-  
 bis salus. Quis filij non gaudeat? Quis ad deuotionem se non exerceat? Quis  
 sinum suum, quis brachia non expandat dilateq; sua pro vehementi desi-  
 derio ad amplexus? Nam quanto amatur feruentius, quanto expectatur desi-  
 derantius, tanto maiori læticia & exultatione auditur, quod hodie sciemus,  
 quia veniet Dominus. Quapropter filij si verè desideratis vt adueniat  
 Christus, exultabitis vel modo audientes, quia venit. Dulce profectò est &  
 suauè vobis nuncium: Dominus venit. Sed dicit fortasse quis: Semel venit  
 Dominus. Olim incarnatus & natus est, non iterum nascetur. Credite filij  
 corporaliter semel natus est, non iterum hoc modo nascetur, sed si vis, quo-  
 tidie nascetur in corde tuo. Quotiescunque enim salutare aliquid concipis  
 in animo tuo, quoties id obseruare proposito firmo decernis Deum in men-  
 te concepisti. Quoties præterea conceptum seu propositum salutare in opus  
 producis, toties ex te nascitur Christus. Iam cogitate filij, si omni id vobis  
 tempore contingere potest, quanto magis cras obtinebitis, quo die melliflui  
 sunt cæli, & mirum foret, si quid iustum Dominus petenti negaret. Si igitur  
 nihil potest negare, quod sit salutiferum quomodo negare posset seip-  
 sum? Petite igitur securi Dominum filij, petite importunè & feruenter, pe-  
 tite humiliter simul ac violenter (Violentiam hic intellige, qua Christus  
 rapiendum cælum pronunciat) quia certissimè accipietis illum. Dabit seip-  
 sum vobis, & negare nimia eius bonitas non potest. Curate igitur, vt (quo-  
 modo Iesus dicit: *Qui sunt fratres mei, & qua est mater mea?* Et extendens ma-  
 nus in discipulos. *Quicumque*, inquit, *fecerit volun' stem Patris mei, hic meus fra-  
 ter, soror & mater est*) non tam in vobis nascatur Christus, quam etiam vos in  
 eodem renascamini. Sed videamus nunc, quid hodie loquatur nobis Eu-  
 angelium.

Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam  
 conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.

Multa in hoc occurrunt Euangelio percunctanda. Primum, cum virgo  
 Dei mater (sicut constituerat) foret mansura virgo, cur fuit desponsata?  
 Credo, ne paruis calumniam pateretur. Putaretur autem Christus illegiti-  
 mus,

Esais 50.

2. Par. 6.  
1. Reg. 11.

Esais 14.

1. Reg. 11.

Esais 10.

Christus vi  
spiritualiter  
concepitur  
ac nascitur.

Matth. 11.

Matth. 12.

August.

mus, & propterea non immeritò repudiaretur, si ex non coniugata fuisset natus.

Desponsata  
cur fuerit  
mater Iesu.

Deindè maluit de suo ortu Iesus dubitari, quam de matris pudore. Error ille tolerabilior erat, matrem ex coniugio suspicari filium concepisse, quam ex fornicatione natum Iesum dicere. Quod tertè dictum fuisset, si virgo Maria desponsata non fuisset. Maluit idcirco Dominus Iesus fabri filius credi, quam extra matrimonium suam matrem esse fornicatam existimari. Neque enim probro erat virgini siue puellæ in coniugio parere, fuisset verò ei periculo extra matrimonium genuisse. Si enim extra matrimonium Maria peperisset, nonne iuxta legem fuisset lapidata? Putas crederet quis eam sese virginem dicenti? Putas crederetur puellæ parturienti, quod sine viro de Spiritu sancto puerum concepisset? Quis non diceret hoc commento puellam scelus suum tegere velle? Desponsata igitur fuit Maria Christum paritura, quandoquidem tempus non erat illud prædicandæ virginitatis Mariæ, sed tempus erat magis famæ eius contutandæ. Tertio, nostræ fuit in hoc consultum fidei. Roboravit enim fidem nostram, qua credimus Mariam peperisse virginem, vel ex mariti sui testimonio, qui procul dubio ad vindicandum esset morus suum opprobrium, nisi cognovisset sacramentum. Antequam igitur convenirent, id est, ut conjugaliter cohabitarent, &c. Veterum hoc habuit antiquitas, ut sponsi sponsæque antequam matrimonium consummarent, aut simul, aut diuisim tempore aliquo intermedio orationi vacarent: & hoc potissimum fiebat in domibus eorum, quos erant habituræ maritos, ad quas sponsæ ante tempus nuptiarum introducebantur, ut domus consuetudines, & sponsi discerent mores. Proindè ad sponso domos (ut dixi) quos erant habituræ maritos, puellæ ante nuptias introducebantur, quamvis ediuerso sponsi in domos interdum socerorum, hoc est, ad sponsas fuerint introducti, quas erant habituri, quod de generis futuris Loth legimus, & Tobia iunioris exemplo docti sumus. Hoc modo fieri potuit, ut beata Maria, quæ conditionaliter Deo (si eidem ita placeret) virginitatem seruandam promiserat, cum Domini intellexisset voluntatem, ut desponderetur, consensit, committens se providentiæ diuinæ. Consensit enim (ut dici solet) explicitè, quo verum esset matrimonium, in copulam (quod diuus Thomas fufius explanat) quæ est vinculum animorum, non corporum. Implicitè verò consensit (si Deo ita placeret) in copulam carnalem. Quamvis enim vellet manere virgo, non tamen voluit non obedire Deo, docens nos in ijs quoque, quibus Dei honorem ac beneplacitum quaerimus, non debere nos proprii esse sensus aut voluntatis, sed nostra studia exercitiæque (quæ plerunque nobis ex priuato amore meliora videntur) Deo & superiorum iudicio subijcere, & non nunquam relinquere, ubi ad alia nos diuina voluntas abducit. Nostra enim perfectio, nostra plenitudo, est diuinæ voluntatis impletio. Quicquid ergo diuinæ placere potius voluntati cognoscitur, hoc quibuscunque alijs bonis operibus est antefendum. Ad institutum redeundo, Desponsata beata Maria, atque in domum Ioseph haud dubium adhuc virginis introducta, atque in oratione constituta, salutata est ab Angelo, concepitque Deum. Deindè licentia à Ioseph accepta putatur visitasse Elizabeth, cum qua tribus mensibus

Sponso  
veterum  
con-  
suetudo  
quæ.

Gene. 19.  
Tobia 6.  
& 7.  
Ambros.

Thomas  
Aquinas.

Perfectio  
nostra  
in quo  
consistat.

Lucæ 1.

H habi-

habitauit, & fortasse tamdiu, donec Elizabeth infantem peperisset. Inde rediens, ab Ioseph inuenta est antequam coniugaliter conuenirent, in utero habens. Uterus namque eius uirginis intumescens, post tertium mensem ipse conceptum palam prodebat. Quam paucis uerbis Euangelista multas absoluit quaestiones. Ignoratur quomodo conceperit, sed inuenta est, inquit, in utero habens.

Ioseph autem cum esset uir iustus, & nollet eam traducere, uoluit occultè dimittere eam.

Perpende quos cogitationum fluxus & refluxus, quos suspicionum quoque tumultus tunc cor uiri iusti sustinuerit. Nihil mali, nihil non sancti in uirgine offenderat, manifestam eius cognouit in omnibus moribus pudicitiam & sanctitatem, uterus tamen eius tumidus conceptum nunciabat. Quid ageret uir iustus? Si uoluit quasi cum honesta habitare, atque quod factum putabat, dissimulare, suam conscientiam lædebat, quia Deum offenderet, quod alieni esset peccati particeps ac tutor. Porro si eam iuxta legem Moysi accusaret, ipsam faceret lapidari: quod nimis ei uidebatur crudele, quam licet utero eius reclamante, eam non poterat dicere, puellam tot ornata uirtutibus sic traducere. Cogitabat igitur occultè relinquere eam, ne aut cohabitando eius peccato consentiret, aut quod de alieno uiro concepisset, manifestare cogere: ideo clam uoluit abscedere, quia palam nullam potuit allegare honestam, quare discederet, causam. Occulta autem (cum esset iustus) in præiudicium puellæ haudquaquam putabat reuelanda. Si quaeris, quare non interrogauit Mariam? responderetur, ad eam Mariam sanctam, in cuius facie tam uenustas, quam sanctitas elucebat, amabat, ad eam uenerabatur, ut non solum ei nullam legis animaduersionem uoluerit procurare, uerum etiam ne uerbo quidem eam contristare uoluit, ut diceret: Quare sic fecisti? Maria etiam beatissima cognoscens in spiritu sponsum suum sanctum Ioseph turbatum, timidum, anxium, uariâque meditantem, quanta putatis compassione fuit & ipsa turbata? Non enim suspicionem, ut à uiro amouere tentaret, uidebatur consultum: quandoquidem tantam rei nouitatem ut crederet uir, non uidebatur uerisimile. Putaret potius peccatum suum figmento hoc uelle eam obumbrare, & nihilominus de tanta nouitate singularitatis gloriam quaerere. Tacuit igitur, & rem abscondit, committens se Deo, qui suæ ageret & famæ custodiam, & innocentiae excusationem. Neque enim tantum audebat reuelare mysterium absque consilio Dei. Vides quomodo sanctissimi & Deo dilectissimi in hoc mundo anxiantur, & propterea maximè, quando nesciunt quæ sit uoluntas Dei beneplacens & perfecta. Itaque Ioseph cogitans quomodo Mariam occultè dimitteret, dum inter ambigua fluctuaret, hoc, ut tutius aliquid, quod uicinus erat ad misericordiam, puta clam ab ea discedere, elegit.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.

Hoc est, noli hoc cogitare, propter quod times retinere Mariam coniugem tuam: neque enim ex aliquo, ut suspicaris, concepit uiro.

Quod.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Quod enim in ea natum est, non ab extra accepit, sed de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Et ne fortasse, quare hoc sit vocandus nomine, mireris, audi: Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. A saluando enim nominandus erat Saluator siue salutaris. Vide quia Mariam ante conceptionem præmonuit Angelus, eique mysterium hoc revelauit. Neque enim expediebat, quod futurum erat, quodque expertura in se erat, ante non informari, ne nimium turbaretur, nescia quid sibi contingeret. Ioseph verò non fuerat præmonitus, sed ubi factum erat, revelauit ei Angelus. Nam si fuisset præmonitus, potuisset hæsitare de magnitudine huius nouitatis, sicut Zacharias. Difficilius enim erat & mirabilius concipere virginem, quam concipere sterilem, quamobrem erat & credi difficilium. Vbi igitur vteri tumor conceptum probabat, & ubi animam Ioseph suspitio timorq; satis diu fatigauerat, & vltro iam optaret in hac ambiguitate consilio iuuari, tempus erat vt ei mysterium hoc reuelaretur, quia tunc magis erat ad credendum idoneus. Aedificat itaque vos fides Ioseph, qui Angelo in somnis credidit sibi loquenti. Vide præterea quantum honorauit Ioseph Spiritus sanctus, quia cum dixisset Angelus, Pariet filium (non vtrique tibi, quia tuus non est filius, sed pariet filium in salutem vniuerso mundo) adiecit: Et vocabis nomen eius Iesum. Nomen quidem hoc è cælo delatum, tu primus impones. Quamuis enim in generatione hac nihil tibi sit commune, facies tamen Patris officium: cuius est nomen filio dare. Hoc autem dabis, quod Pater ei cælestis impositum cælitus tibi & per te prænunciat imponendum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Ipse, inquit, iuxta sui nominis congruitatem (Iesus enim Saluator dicitur) saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Vide hic etiam quam loquatur de infante nascituro magnificè. Saluum, inquit, faciet populum suum, puta tam Gentilem, quam Iudaicum: vterque enim est modo populus eius, precioso sanguine eius emptus. Saluum autem hunc faciet à peccatis eorum. Hic diuinitatem indicat. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Confirmat autem hæc omnia tandem (ne tam admirabilis videretur nouitas) per prophetiam Esaiæ, qua iam dudum id ipsum futurum prophetatum erat: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*: quod est interpretatum, nobiscum Deus.

Charissimi filij discatis hic, vt quando in ambiguitate aliqua estis anxii, incerti que quid sit eligendum, firmetis cor vestrum in charitate, qua nihil velitis, nullique affectui consentiatis, nisi ei, quem videritis beneplacito diuino conformem. Porro, si id inueneritis, quod altero est melius, non dubium est illi esse consentiendum, atque viliori, quod sanctius est, præferendum. Si inuenire non potestis, in animo id eligere sit vobis certum atque statutum, id amplecti, quod magis à Deo probari creditis. Inter hæc oratio vestra sit ad Deum pro illuminatione mentis vestræ, & pro directione voluntatis in id, quod suo fit honori maximè acceptum. Nunquam enim illu-

minare Deum hominem definit. Aut enim per hominem informat, aut per scripturam instruit, aut docet per inspirationem. Quod si tanta foret obscuritas, tantaque rei difficultas, ut nihil horum ad hominis sufficeret instructionem, potius in somno, aut aliter hominem certiorum faceret, quam in dubio fineret perire. Non est tamen expectandum miraculum, aut reuelatio superna, quamdiu ad manum est consilium aut humanum, aut modo naturali humano ingenio, aut certe Dei alia prouidentia præparatum. Dominus noster Iesus Christus suam det nobis benedictionem & gratiam sempiternam, Amen.

IN EPISTOLAS ET EVANGELIA  
Paraphrases & Exegesese, vna cum suis Sermonibus Natiuitatis Domini, sequentiumque solennitatum in altero Tomo de Sanctis in vtraque parte offendes.

DOMINICA I. POST DOMINI NATIVITATEM, Epistola B. Pauli Apostoli, ad Galatas IV.

 *Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt à seruo cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à Patre: Ita & nos, cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Itaque iam non est seruus, sed filius: quod si filius, & heres per Deum.*

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Gal. 3.

**A**nte hæc verba dixerat Paulus legem Iudæis fuisse pædagogum, sub quo regerentur, donec Christus veniret: in quem qui crederent, sub eodem non iam sicut sub pædago viuere, sed liberati à lege, filij per Christum fierent adoptionis & honorum Dei hæredes. Quo ostendere voluit post Christi manifestationem, nostra redemptione iam impleta & mundo vulgata, nos lege veteri (quantum atinet ad caeremonialia præcepta) esse absolutos & liberatos. Ad quod probandum hac vtitur similitudine: Puer qui sui est patris hæres futurus, quanto tempore & ætate & scientia paruulus est, nihil differt à seruo: non quidem est seruus, sed à seruo nihil differt, quia nullam habet potestatem, regitur alieno imperio, & alterius cogi-

cogitur obedire voluntati, cum sit Dominus omnium, quæ Pater eius pos-  
 sederat. Est enim sub tutoribus, qui illum defendunt ab iniurijs, & sub acto-  
 ribus seu procuratoribus, qui illius nomine agunt, quæcunque ille agere  
 per ætatem aut nescit, aut non valet. Et hoc usque ad tempus sibi constitu-  
 tum à Patre. Quo finito, deinceps liberè suæ voluntati relaxatur. Pari mo-  
 do, inquit, de Iudæorum populo quoque sentiendum est, qui per Christi  
 gratiam futurus erat regni cælorum hæres. Hic quanto erat tempore par-  
 uulus, scientia scilicet, actione, & viribus ad resistendum peccato, sub disci-  
 plina erat legis non aliter atque sub gubernatione pædagogus, coactus præ-  
 ceptis seruire diuinis, cum tamen per Christum Dominus esset omnium  
 bonorum patriæ cælestis Lex enim vt pædagogus illum admonebat, argue-  
 bat & puniebat, arcens illum ab idololatria & reliquis peccatis. Itaque hoc  
 dicere vult Paulus similitudinem aptans, cum ait: Ita & nos Iudæi cum effe-  
 ramus paruuli non ætate, sed intellectu & discretionem, sub elementis mundi  
 eramus Deo seruientes, cæremonialia legis præcepta elementa vocans. Si-  
 cut enim pueri per elementa incipiunt discere scripturas, quas antequam  
 intelligunt, elementa quidem componunt, literas coniungunt & pronun-  
 ciant, quibus paulatim ad cognitionem veniant scripturarum. Ita Iudæi le-  
 gis cæremonias obseruantes, primum quidem quid significarent, non in-  
 telligebant: per illas tamen quasi per primordia ac elementa ad Dei tandem  
 peruenerunt cognitionem, & spiritualem intelligentiam. Dicuntur autem  
 elementa mundi, quia adhuc carnalibus, & temporalium bonorum ama-  
 toribus data erant, qui æterna inuisibilia quæ nondum appetere nouerant,  
 sed corporalibus pœnis cogebantur, temporalium quæ bonorum promif-  
 sionibus tam pueriliter, quam seruiliter ad Dei compellabantur cultum.  
 Hæc autem ad tempus durauit. At verò, vbi plenitudo venit temporis, cum  
 præfinitum tempus esset impletum (in quo Pater nos Iudæos vt pueros sub  
 elementis voluit veteris gubernari testamenti, tanquam sub pædagogo)  
 & iam statuisset nos à vinculo legis, tanquam à seruitute liberos reddere,  
 misit Deus Filium suum factum ex muliere, id est, secundum humanitatem  
 natum ex virgine matre, qui secundum diuinitatem non factus, sed geni-  
 tus est ex Deo Patre. Misit itaque Filium suum in specie humana ac visibili;  
 legi quidem subditum, quamuis legi nihil deberet. Voluit Iesus quamuis  
 esset Dominus legis, nihilo secius subdere se legi, & iuxta legem circuncidi  
 ac in templo offerri, vt Iudæos, qui sub lege erant, à seruitute legis redime-  
 ret, legalium quæ obseruantia sua passione & morte cessaret. Et ideo Petrus,  
 vt in Actis habetur, cum quidam Iudæorum zelarentur pro lege, quam ex  
 gentibus quoque conuersis tentabant imponere seruandam, ingenue con-  
 tradicebat, dicens: *Quid tentatis ceruicibus imponere discipulorum, quod neque nos*  
*neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credi-*  
*mus saluari Paulus quoque alibi Iudæis, per Iesum, inquit, remissio vobis peccata*  
*torum ammittatur ab omnibus, in quibus non potuistis in lege Moysiustificari.* Itaque  
 à legis seruitute Christus nos liberauit Iudæos, qui eramus rei, & compressi  
 sub delicto & onere legis, vt simul omnes tam Iudæi, quam ex gentibus ad  
 Christum conuersi ad adoptionem filiorum, quam perdidimus in Adam, per  
 gratiam nouæ libertatis iterum reciperemus in Christo, qui propterea no-

Luc. 1.  
 Legi Moysi  
 cur Ie Chri-  
 stus subice-  
 rit.

Act. 15.

Act. 13.

stram assumpsit naturam, vt quam ab aeterno cum Patre habet, nobis participaret suam, quo filij Dei efficeremur adoptiui.

Quoniam autem estis vos Galatae sicut nos Iudaei, filij Dei per adoptionem (sicut scriptum est: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*) misit Deus spiritum filij sui, qui à Patre Filioq; procedit, hoc est, Spiritum sanctum in donis suis, in corda vestra clamantem, hoc est, qui vos faciat clamantes ad Deum, non tam voce, quam ingenti affectu & filiali deuotione, Abba Pater, quod idem significat. Abba enim Hebraea vox dicitur, quae exposita patrem significat. Itaque iam tempore Euangelicæ legis ac gratiæ, is qui olim fuerat paruulus nihil à seruo differens, sed sub paedagogo legis seruus, non est seruus sub seruili timore constitutus, & qui non manet in domo in æternum, sed filius. Quod si filius est, sicuti reuera est, & hæres erit vitæ æternæ, gloriæ quæ cælestis per Deum, seu per Dei misericordiam: hæres quidem Dei, cohæres autem Christi. Quæ hæreditas quam optanda sit, non possumus explicare, nisi quomodo Apostolus idem dicit: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus diligentibus se*. Hanc hæreditatem filij credimus nos non solum videre, sed & possidere in terra viuentium, Amen.

## EXEGESIS EVANGELII IN EADEM

Dominica. Luca II.

Vanquam in nocte Christus nobis natus sit, & veluti ignotus sub vili habitauerit infans tugurio, apud matrem quæ latuerit verecundam, non obscura tamen eius fuit natiuitas. Prædicauit enim illam stella de caelo, nunciauit Angelus pastoribus, aduenientes quæerunt Magi. Unde Herodi quoque mox suspectam reddunt, sitque vt hanc passim loquantur omnes. Nam dum in templum induceretur infans à matre, Simeon senex & iustus adueniens, multa de eodem prophetauit. Anna quoque viduitatis speculum & mulier sancta accessit confitens Domino, & testimonium reddens infanti coram omnibus, qui expectabāt redemptionem Israel. Quamobrem cunctis Christi natiuitatem loquentibus, non immerito miratur Maria, miratur & Ioseph (quem patris vocabulo scriptura dignatur) super his, quæ de puero dicebantur. Sic enim hodiernum exorditur Euangelium.

Erat Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Euangelij huius historia, in festo hoc quod Purificatio virginis dicitur, impleta est. Beatissima enim virgo Maria dum intulisset infantem Iesum in templum, occurrit illi Simeon iustus ac senex, qui diu tempus illud expectauerat sibi promissum, quo Christum suis adhuc in carne constitutus cerneret oculis. Quare cum Spiritu sancto reuelante, Christum templo percipisset illatum, mox spiritu eodem pleno occurrit, infantem quæ apprehendens, & inter vlnas suas hunc adstringens, ait: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Cognouit enim in spiritu, quis esset infans iste: sensit item in corde, quo diuinæ suauitatis rore interea mēs eius perfunderetur. Hoc audito, vt Euangelista dicit, erat Ioseph & Maria

mater

mater eius mirantes. Mirantur parentes, non vt ij, qui ignorarent cuiusmodi hic puer esset, nec idco, quod tam inexploratum illis dubiumque foret, quomodo ea, quæ de illo dicebantur, fieri possent: sed mirabantur, quod se tacentibus Christum infantem tot hominum genera loquerentur. Admirabantur item, quod Christus infans non modo pastoribus, verum regibus etiam & sacerdotibus notus esset. Mirabantur igitur, quod eum, quem solos putabant seipfos agnoscere, loquebantur palam & homines cæteri. Siquidem aduenerat Maria ad Elizabeth, & vix ad salutandam illam os aperuerat, & mox audiuit ab eadem: *Benedicta es inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Item quæ: Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Dum quoque in Bertheem peperisset, ab hominum consortio separata atque sola, Angelis prædicantibus venere pastores, qui quærent de verbo hoc, quod sibi factum fuerat ab Angelo. Dixerat enim Angelus Saluatorem illis natum, quare gaudium magnum foret omni populo celebrandum. Arque idco Christum inuenientes infantem credunt, omnibusque euulgant audita. Sic etiam Magi à remotis terræ partibus aduenientes. *Vbi est, inquit, qui natus est rex iudeorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente.* Adco autem fama tunc de Christo mox percrebuit, vt Herodes omnisque Hierosolyma turbaretur cum illo. Eam ob rem Euangelista: Erat, inquit, Pater Iesu & mater eius mirantes. Vide quomodo Ioseph patrem nominat Iesu scriptura. Ita enim patrem nominat, quomodo tunc putabatur. Nec tamen incongruè vocabatur Ioseph pater Iesu, erat enim verè virginis Mariæ maritus, licet virgo & coniunx. Quare cum Mariæ verus esset coniunx, iuste etiam dicebatur pater Iesu, quia Iesus Iosephi, licet non ex ipsius semine, tamen ex ipsius coniuge erat filius. Rectè igitur dicebatur Ioseph pater Iesu, quia suæ coniugis erat filius Iesus: quare iustus ei erat pater per Mariam coniugem, quam fuisset aut esse potuisset per adoptionem. Potest tamen Iesus nihilominus dici filius Ioseph, quia alumnus nutritio patre Ioseph educabatur, & communis omnium fama sic eum, hoc est, filium Ioseph habebat & loquebatur. Noluit igitur Euangelista tam sancto viro quicquam honoris derogare, sciens nihilominus fidelibus aliunde factis notum, non ex semine Ioseph Iesum natum, sed eum patris maluit decorare vocabulo, qui, vt talis putaretur, Mariam est in coniugem accipere iussus.

Lucæ 1.

Luc. 2. 40. 2.

Matth. 2. 1. 2.

Ioseph cur pater Iesu dicitur.

Matth. 12.

Matth. 1.

Et benedixit illis Simeon.

Indignum fortasse tibi videtur, quod Mariam virginem ac Dei matrem (cuius tanta est dignitas, tanta puritas, vt nihil in cælestibus, nihil in terrenis possit creaturis illi adæquari) Simeon benedixit, multoq; adhuc absurdus, quod Christum benedixerit. De Maria respondendum, non indignum fuisse, vt maior à minore benedicatur. Benedictio enim non datur ex merito sanctitatis, sed ex officio. Haud dubium namque est Mariam longè fuisse Simeone digniorem, sanctiorem, maioremque merito vitæ & sanctitate: benedicenda tamen erat à sacerdote, licet inferiore secundum vitæ meritum, iuxta officium tamen superiore. Sacerdotibus enim conuenit benedicere. Verum id non sua virtute efficiunt, sed diuina, quicquid salutis be-

1. h. r. Benedictio- nem dare ad quos pertinet.

H. 4. nedi-

Numer. 6. nediſtio operatur. Sacerdotum igitur eſt benedicere, ſed id conuenit eis non ex merito vitæ, ſed ex officio, utpote à Domino ad benedicendum populo conſtitutis. Benedicunt igitur & hodiè hi quoque, quorum reproba eſt vita, ſacerdotes: at non ſuo merito, ſed ordinatione, inſtitutioneque diuina, atque in Dei verbo. Heu quam ſæpè inferiores, imò & mali benedicunt ſanctos, non in ſuo, ſed in Dei nomine, & in verbo id faciunt Dei. Non igitur eſt attendenda benedictis vita, propterea quod miniſter eſt tantum, & benedictionis pronunciator, non gratiæ collator, ſed diuina ordinationi reſpicienda: quandoquidem *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quod cum ita ſit, quanto magis non ſpernenda eſt benedictio, conſecratio, miniſterium ve aliud quodeunque aut ſacramentorum, aut operationum Dei ab eo miniſtro, qui licet vitæ ſit meritò inferior, Dei tamen ordinatione ad hoc eſt officium conſtitutus? Nulli dubium eſt igitur, quin humilimè Maria ſuſceperit Simeonis benedictionem. Sit igitur tibi quoque accepta prælati aut ſuperioris tui ſpiritalis adminiſtratio. Scito hunc in miniſterium à Deo miſſum. Siue igitur benedicat, ſiue conſecret, ſiue prædicet, arguat aut conſoletur, omnia reuerenter, humiliterque ſuſcipias, omnia tu æquanimiter ſuſtineas: credens non pro ſua animi illum voluntate id facere, ſed diuina inſpiratione monitum id eò hæc agere, quod tu vel alius quiſpiam benedictione aut reprehentione hæceat. Ubique igitur Deum in homine auſcultat, ab homine non aliter, præſertim in his quorum eſt à Deo miniſter inſtitutus, atque à Dei ore ac manu, quicquid dixerit, quicquid circa te egerit, accipe. Verum ut ad Simeonem reuertamur, benedixit Joſeph & Mariæ. At de beata virgine iam tibi ſatis factum puto. Verum quomodo benedixerit puero, magis te vrget. Eſt enim & puer idem Sacerdos ſanctus & immaculatus, ſecundum ordinem Melchizedech: nec ſacerdos ſolum, verum & pontifex, & non minus quam homo Deus. Dicendum igitur ſolum eſſe Deum qui benedicat, hoc eſt, qui benedictionem det gratiæ ſue, opereturque in homine ſalutem, idque per miniſtrum quaſi per inſtrumentum (cui te inclinari oportet) facit. Hoc modo Deus non poteſt ab homine benedici. Poteſt tamen homo uti liter atque humiliter, non ſolum pontificem, ſed etiam Deum benedicere, quatenus benedictionis vocabulo utimur pro laude, gratiarum actione, atque conſeſſione. Hoc modo Chriſto non ignauiter Simeon benedixit, non ut benedictione hæc Chriſto quid accederet gratiæ & virtutis, ſed ut illum Simeon commendaret, illum exaltaret, illi confiteretur, illi gratias ageret.

Et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael.

Cur Simeon poſtquam illis benedixerit, ſoli Mariæ deinde tanquam infantis matri loquutus fuerit, non prorsus ratione caret. Ipa enim ſola infantis carnem, qua Chriſtus pateretur, cuius paſſione erat ipſa quoque diſſecanda, dederat: futurum quoque videbat Simeon, ut Joſeph Chriſti non videret paſſionem, ante ad patres moriendo iturus. Id eò matrem alloquens, ſolam, dicit: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, &c. Non ita intelligendum eſt, ut propterea dicatur veniſſe Chriſtus, ut aliqui ex hominibus cadant, alij

In ruinam: ut Chriſtus poſitus fuerit.

reſur-

resurgant, quasi ipse causa fuerit cuius ruina. Certè quotquot resurrexerunt, horum ut resurgerent fuit causa, non item ut ruerent: quia à seipso habet homo vnde cadat, non autem à seipso ut resurgat. Et tamen verum, quod occasionaliter multis fuerit in ruinam, his scilicet qui contempserunt illum, qui eum non audierunt. Nulli enim scandalum præbuit ipse, licet multi sua malitia scandalum acceperunt, sicut Apostoli dixerunt: *Scis quia Pharisei verbo hoc audito scandalizati sunt.* Ipse quoque de se loquens: *Beatus, inquit, qui non fuerit scandalizatus in me.* Venit itaque Christus, non quantum in se erat, in ruinam hominum, sed potius, ut dicit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant,* in mundum. Quod verò homines ex occasione sumpta à Christo ruunt aut peccant, non à Christo (ut dixi) habent, sed à seipsis, hoc est, à prava sua inclinatione, à concupiscentia mala, ab accidia, quia nolunt vitij resistere & ab amore recedere priuato: quandoquidem diligunt, aut odiunt ea quæ non deberent contra Deum. Sic enim Dominus loquitur: *Lux venit in mundum.* Quare igitur non fuere illuminati omnes? Quare non resipuerunt? Non ex luce hoc accidit (omnem enim hominem paratus fuit illuminare venientem in hunc mundum) sed ex hominum id accidit malitia. Vnde sequitur: *Sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Idè non venerunt ad lucem, ne arguantur opera eorum mala in tenebris facta. Atque idè etiam non sunt illuminati, quia fugerunt lucem, oderunt lucem, amauerunt tenebras, dilexerunt opera sua mala, à quibus diuidi noluerunt. Idè igitur factum est, ut Christus lux mundi sit occasio eis, non ex seipso data, sed ab illis in seipsis sumpta, ut per Christum non sint facti meliores, sed malitia sua qua induruerunt, facti sunt deteriores. Quid enim hoc soli imputandum est, si tui sint oculi lippis? aut si ex sole non clarius videas, sed habeas fastidium? Verum est ex sole tibi esse occasionem, non tamen causam quare tu molestiam sentias. Infirmas enim tua hoc tibi incommodi affert, non sol. Quapropter quomodo lux nocet oculis lippis, ita Christus nocuit impijs, qui dixerunt: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Aduertendum quoque est, eam ob rem Euangelistam non dixisse Christum positum esse in resurrectionem omnium, sed multorum: quia licet ad saluandos venerit omnes, hos tamen saluauit solos, qui credituri erant in nomine ipsius. Horum quoque ut resurgerent, ut saluarentur, non tam occasio fuit, quam causa, ipso testante: *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet.*

Non est autem de solo Christo prophætatum, quod positus sit in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, sed etiam de ipsius membris, quorum eruditio vitæque alijs quidem fuit, ut compuncti corrigerentur, alijs ut obstinati grauius indurarentur, atque perirent. Quamobrem dicit Apostolus: *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salui sunt, & in his qui pereunt.* Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam. Itaque tuum est sibi, ut quomodo velis, sit tibi positus Christus. *Veni enim tibi, lux in mundum. Surge igitur & illumina.* quomodo scriptum est: *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Accede, ausculta, serua eius verba & sermonem. Audi non ut scias tantum, sed serua in corde etiam, hoc est, diligas, viuendoque exprimas, ut in illorum habearis numero, de quibus loquitur Christus: *Si quis*

I sermo.

Origenes.

*sermonem meum seruauerit, non uidebit mortem in aeternum.* Origenes hunc locum exponens non de alijs qui cadant, & alijs qui resurgant, sed de eisdem uult esse dictum, quibus Christum in mundum uenisse dicit, ut primum feliciter cadant, feliciusq; deinde resurgant. Ad hunc igitur ille sensum exponit: Peccatum uiuit in homine, superbia, auaritia luxuriaq; uiuit. Sine Christo semper uiueret, & in mortem duceret. Scit igitur, aut potius stare sibi uideatur homo uiuens peccato, & male securus est. Felicius autem erit, si Christo credat, unde ruat in eo peccatum, hoc est, ut ruat in eo, vel auaritia, vel superbia, &c. quia ubi ruerit, poterit resurgere. Itaque ruat in te o Christiane superbus, surgat è diuerso humilis, cadat incontinens, resurgat castus, ruat auarus, resurgat liberalis & misericors. Hoc modo simul cuius in ruinam & resurrectionem uenit Christus. Omnes enim nos inuenit languidos, omnes infectos morbo. Verbo autem suo nos prostrauit omnes, qui uidebamur stare & incolumes esse, ut ibi quo putabamur erecti, nos inueniremus humo iacentes. Per eius igitur implorationem gratia resurgere conemur. Nihil igitur aliud dicere uult Origenes, quam eos ruere, in quibus ruit occiditurque peccatum. Resurgere uero eos, quibus destructo peccato religiose contingit uiuere. Proinde si luxuriosus efficitur castus, si auarus liberalis, si atrox fit mitis aut misericors, moritur in eo peccatum, resurgit uero iustitia.

Et in signum, cui contradicetur.

Persequo-  
rea Christi  
quinam sicut.

Contradixerunt Arrius, Nestorius, Eutiches, aliaque prodigiosa haereticorum monstra. Contradicunt hodie Domino Iesu haeretici, quia uitam eius impugnant. Quomodo enim non impugnant, quando eius amatores, eius imitantes uestigia derident, obgannunt, persequuntur? Quis uestrum simplicitatem eius amplectens, eius imitans orationes, eius genuflexiones, eius uigilias, eius sobrietatem & temperantiam sequens, non mox audiet, quod operibus suis fidat, caeremonijs uelit suis mercari caelum, hypocritis sit, orationes faciat, quibus Deus non egeat, probraque huiusmodi alia? Verum de hoc alias.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Beatissimae Mariae dolorem futurae compassionis praenunciat Simeon. Hac enim cum uehementissime amaret filium, quaecumque in corpore passus est filius, ipsa pertulit in anima. Siquidem multas habuit amandi rationes Maria praeter ceteris matribus, quae suos etiam diligunt filios. Erat enim ei Dominus Iesus Filius. Erat ei unigenitus, quia nullum alium praeter hunc habuit. Erat benignus & uirtuosus. Erat pulcherrimus. Erat ab eadem non absque graui labore educatus. Erat eius creator & Deus. Hac singula amoris exaggerabant magnitudinem. Qui amor ad Christum quo erat maior, eo etiam amantis matris dolor pro eodem fuit grauior.

Ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Ioan. 11.  
Luc. 24.  
Matth. 26.  
Marc. 14.

Ut reuelentur. Hic Lyra, ut intelligendum est consequentiue non casualiter. Ex his enim quae Christus passus est, sequutum est, ut cogitationes honorum malorumque reuelarentur. Alij enim ad Christi mortem gaudebant, alij lacrymabantur, alij astabant, alij fugiebant. Iatro confitebatur Christum, dum

dum Petrus negaret. Reuelabatur igitur quid in cordibus foret hominum Luc 23.  
hac occasione.

Et erat Anna prophetissa filia Phauuel de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat annis septem cum viro suo à virginitate sua.

Ante virgo vixerat: viro septem annis deindè coniuncta fuit: reliquo tempore vidua, pijs operibus, ieiunijs & orationi vacabat. Diligenter omnia Euangelista disseruit, quæ ad eius pertinebant laudem, quo dignam illam ostenderet spiritu prophetiæ, quam erat inducturus ad conficendum Domino, & testimonium Christo præbituram. Quocirca videndum quot laude dignas de eadem proferat condiciones, vt merito introducat de Christo eius testimonium.

Est enim vita eius omnibus mulieribus speculum, vtpote quæ virginibus virgo, nuptis nupta, & viduis vidua sanctæ vitæ præbuerat exemplum. Prima huius sanctæ mulieris conditio, quod virginitatem suam vsque ad matrimonium conseruauit. Laudabilis planè & res pulcherrima virginitas, quæ vbi semel amissa fuerit, non potest recuperari. Neque enim, tamen si peccato venia impetretur à Deo, post lapsum potest virginitas restitui. Hæc virtus à Christo laudata, & à Paulo eiusdem præcone est vehementer commendata: propter sui tamen nobilitatem arduamq; continentiam à Christo non est præcepta, sed suasa, vbi ait: *Sunt eunuchi qui se castrarunt propter regnum Dei.* Sint igitur eunuchi quibus castitatem obseruare placet, angelicamq; vitam ducere in terris, & in carne sine carne viuere, vt regni cælestis ciues fieri mereantur: sintq; non in cælo tantum, sed in hac quoque vita, qui neque nubant, neque nubantur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælis. O felices vos virgines, ô animas Deo sacratas, Deo dilectas, ô Christi sponsas & cælestis paradisi rosas. O vos, inquam, felices quibus datum est de tanto virginitatis, tamq; pretioso gaudere monili. Felices, inquam, vos, qui de tam præclara gemma & adhuc intemerata exultatis castimonia, quam certè inter tot hostium insidias, non vos, sed Dominus amator & sponsus vester cælestis vobis seruaui. Itaque quotquot thesaurum hunc habetis, omni cura, omniq; vigilantia immarcessibilem custodite vel perpetuum, vel si aliter placet, ad coniugium vsque, vt cum timore Dei tunc virgo puella viro iungatur & virgini, seruat nihilominus dierum aliquot inducijs, quibus vterque coniugum coniungatur Deo, idq; exemplo iunioris Tobix, aliorumq; veterum sanctorum.

Et hæc vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor.

Secunda eius conditio laudanda, quod post viri sui mortem, tamen tantum septem illum habuisset, nunquam alteri voluit copulari marito, sed manere innupta. Ostendens, quod erat cum viro, cum quo fuerat vna caro hac vita defuncto, simul mortua, puta quo ad carnalia coniugaliaq; opera. Vndè absoluta à lege viri, noluit se mundo iterum illaqueare, sed Deo. Imitentur illam mulieres sanctæ, dum sunt cum maritis, si eos ad castitatem (ad quam sapius illos inuitare debent) non possunt inducere,

I 2 gemant

Anna vti speculum fuerit omnibus perfectior.

I.

Virginitatis natura quanta excellentia.

Math. 9.

1. Cor. 6.

Math. 19.

Hieron.

Math. 22.

Luc 20.

Tob 6.

II.

Coniugibus quando castè viuendum.

1. Cor. 6.

Viduitas quæ  
se commenda-  
bilis.  
1. Tim. 5.

III.

gemant suam feruitutem, necessitatem tolerant, animo diligant exoptent-  
quæ (si ita liceret) magis castitatem. Porro, à lege viri si contingat eas absol-  
ui, si admiserit deuotio, vt Anna, se contineant. Contineant autem oratio-  
nibus & ieiunijs vacantes, vt veræ viduæ sint. Nam quæ in delictijs viuere  
vidua, viuens mortua est. Tertia est conditio, quod laudabiliter in statu vi-  
duitatis visit. Multa est laude dignum post expertam illecebram carnis vi-  
tijijs posse consuetis abstinere. Cum enim sint coniugio ventibus multa so-  
lacia delectabiliaque, his viduam abstinere valde est laudabile.

Quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationi-  
bus seruicns nocte ac die.

III.

2. Tim. 1.

Quarta conditio huius viduæ fuit, quod frequens fuit in templo. Idèd  
dicitur quod nunquam discedebat à templo, hoc est, quantum potuit, sem-  
per templo interfuit, orationi vacans. Neque enim quod Apostolus in qui-  
busdam adolefcentioribus obiurgabat, per domos discurrebat ociosa &  
verhosa loquens, quæ non expediret: sed tempus omne quod habuit, ora-  
tioni & sanctæ compunctiõnis studijs dedicauit. Quia eius conditio,  
quod ieiunijs quotidianis afflixit corpus suum passionibus, carnis subiiciens  
spiritui, sobriamque Deo faciens animam. Deuotioni prorsus contrarium  
est, eis multis extendere ventrem. Vbi enim sunt esca multa, ibi & potus  
oportet vt abundet, ibi continentia periclitatur, arefcit compunctio, accedia  
imperat, ocium amatur. Atque idèd penitentium sunt arma nobilissima o-  
ratio & ieiunium. Nonne demoniorum quoddam esse genus dicit Chri-  
stus, quod eijci non possit, nisi oratione & ieiunio? Nonne Paulus suum  
corpus castigat, atque in feruitutem redigit, metuens necum alijs prædica-  
uerit, non frenato per abstinentiam aut castigationem corpore, ipse repro-  
bus efficiatur? Vides quam probè illuminata hæc sancta fuerit mulier, quæ  
huiusmodi studia frequentauerit, quibus fieret spiritualis.

Marci 9.

1. Cor. 9.

Hæreticorum  
perueritas  
quanta.

Hæc studia, qui hodiè Euangelicos se audent iactare, execrantur adèd, vt  
etiam in alijs Deo deuotis eadem impugnent, quia volunt manere (vt sic dic-  
cam) carnales. In carne enim est vita eorum tota, vt prorsus nihil, nisi qua-  
tenus loquuntur verba Euangelij, habeant de spiritu. Ne autem sanctorum  
vitæ ex diametro contrarij arguantur, despiciantur ve, sanctorum ieiunia  
& opera bona carpunt, & quasi impij fuissent sancti, qui suis tribuissent ope-  
ribus, quicquid sibi Deus foret largitus (quod nemo sanctorum fecit vnquã)  
in sanctos blasphemant: ipsi verò hæretici propterea videantur pij, quod  
tantum tribuunt Christi meritò, vt sine vilo opere bono etiam contempto-  
res, ingrati & præuaricatores saluentur, in sanctos blasphemant. Potest  
quidem Deus sine opere bono (quod & facit infantibus, quando de opere  
bono proprie loquimur) saluare. At homo ratione vtens, & nolens operari  
bonum, vbi Deus præcepto ab eo id exoptulat, quomodo, nisi peniteat, in  
peccato possit saluari? Mandata enim habemus Euangelica, quæ nobis data  
sunt, non tantum vt sciamus ea, sed vt etiam eadem faciamus. Quæ vbi in-  
termittimus, iam non solum sumus negligentes, sed etiam præceptorum di-  
uinorum præuaricatores: qui regnum Dei durantibus his peccatis nostris,  
intrare non possumus. Accipiant quæso informationem ab hac Euangeli-  
ca vi-

ca vidua carnales illi Evangelici, discant eam imitari, audiantque vel intuitu Evangelium eius opera & studia bona commendare (propterea enim tam diligenter describuntur) atque prophetiae donum illis tribuere. Ideo enim bonis actibus & observationibus scripturae introducitur, ut ex prophetiae dono digna fuisset, & quae Christum praedicaret, crederetur. Sexta conditio Annae narratur, quod obsecrationibus in templo vacauerit. Iam dictum est supra, quod ieiunijs & orationibus aptam se fecerit, quae à Spiritu sancto imbueretur. Est enim laus, gratiarum actio, oratio quoque in multiplici etiam genere gratissimum Deo sacrificium.

Et haec ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.

Septima hic eius conditio laudatur, quod donum habuerit prophetiae. Loquebatur enim omnibus expectantibus redemptionem Israel, hoc est, consolabatur & roborabat in spe & expectatione firmae eos, qui Herodis tyrannide grauati, expectabant liberationem Israel per Christum. Hanc itaque Christum adesse iam natum, qui redempturus esset Israel, praedicabat. Reuera enim per Christum liberati sumus ac redempti, licet non à temporali subiectione & seruitute, cuiusmodi Iudaeorum multi expectantes frustra credebant, sed à captiuitate peccati, & tyrannide diaboli.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilaeam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in eo.

Non modo tantum, sed ab initio quoque conceptionis suae sapientia fuit plenus puer Iesus, qui nihil idcirco potuit agere vanum aut inhonestum. Et gratia Dei (quae illi data est absque mensura) erat in illo. Dicitur est autem ab Evangelista proficere, non in astutia sermonis, non honoribus & diuitijs, sed virtute & gratia, quae magis quotidie in eo lucebant. Iuxta enim aetatem permittit semper sapientiae plus erumpere, quo sese & manifestaret mundo, & attemperaret aetati. Itaque non sapientia creuit, sed qua semper plenus erat sapientia, hanc foras magis ac magis paulatim exhibuit puer Iesus, in secula benedictus, Amen.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

Quam multipliciter Christus nobis sit signum, cui contra dicitur.

**H**ic positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contra dicitur. Lucae II. Simoni sancto & seni legimus reuelatum & promissum (haud dubium pro magno eius desiderio videndi Christum) non visurum illum mortem, nisi videret Christum Domini. Annosus itaque quem diu expectauerat, ubi tandem illum adesse sentiret, in spiritu venit ad templum. Venit quidem corpore, sed in spiritu venisse dicitur, eo quod decepto aut impellente, quo Christum esse in templo cognouit. Spiritu venit, quia spiritali cogitatione, qua praeter Christum tunc nihil

VI.

VII.

Luce 2.

Ioan. 3.

In spiritu venisse in templum qui dicitur Simon.

Luc. 2.

nihil cogitabat aliud, & in Deo absorptus in templum venit, Christumque infantem in exultatione spiritus exosculans, & castissimo sibi amplexu attingens, quasi Dominum à promisso absolueret, dicit: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace. Qui viderunt oculi mei salutare tuum.* Hæc verba causam quare Dominum promissi absoluerit, indicant. Fateatur enim sibi fidelissimè, quod promissum fuerat, impletum. Atque ideò diutius viuere non desiderans, cum quod optauerat, propter quod diutius quoque vixerat, iam sibi concessum etiam ipse fateretur, dicit: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace.* Prophetavit autem Maria futurum, ut is in resurrectionem & in ruinam foret multorum positus. Erat enim Christus lapis sine manibus excisus, lapis, inquam, offensionis, & petra scandali in via omnibus expositus, in quem multi impegerunt, alij ad salutem, alij ad damnationem. Attulit quidem omnibus causam & precium salutis, nulli tamen ipse prebuit damnationis: quamuis multi eam sibi ipsi sua malicia sumperint: quare occasionaliter positus dicitur in ruinam multorum. Huiusmodi simile quid apud Ioannem legitur: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, ceci fiant.* Propterea certè Christus venit, ut non videntes omnes illuminaret. Verum, quia multi ad hanc lucem venire noluerunt, sed tenebras suas prætulere lucem, dum se videre putabant, ceci facti sunt. Venit etiam Dominus in signum nobis positus, ad quod affectionum nostrarum iaciamus sagittas, ad quem aspiremus, & quem imitemur: sed contradicimus huic signo. Est enim primo positus nobis in signum paupertatis & contemptus rerum caducarum. Idè pastoribus dixit Angelus: *Et hoc vobis signum: inuenietis infantem in pannis inuolutum, & positum in præsepio.*

Danie. 2.  
Psalm. 117.  
Esaie 12.  
Matth. 23.  
1 p. ch. 1.  
Acto. 4.  
1. Pet. 2.

Ioan. 9.

In signum  
quibus p. fi-  
tus fuit  
Christus.

I.  
Luc. 2.

Sapient. 2.

II.

Ioan. 13.

Exod. 15.

Hebr. 8.

Esaie 2.

Mich. 4.

Ad Tit. 4.

1. Ioan. 1.

Matth. 7.

Luc. 6.

Ioan. 4.

videant, & qui vident, ceci fiant. Propterea certè Christus venit, ut non videntes omnes illuminaret. Verum, quia multi ad hanc lucem venire noluerunt, sed tenebras suas prætulere lucem, dum se videre putabant, ceci facti sunt. Venit etiam Dominus in signum nobis positus, ad quod affectionum nostrarum iaciamus sagittas, ad quem aspiremus, & quem imitemur: sed contradicimus huic signo. Est enim primo positus nobis in signum paupertatis & contemptus rerum caducarum. Idè pastoribus dixit Angelus: *Et hoc vobis signum: inuenietis infantem in pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Vide hic in Christo paupertatem & omnium rerum mundanarum contemptum. Quid tenero infanti necessarium non deficit? Hoc signo nos voluit erudiri. Sed signum est cui mundus contradicit vniversus. Quis enim aut quotus est, qui non mundi quærat opes, qui non honores ambiat, aut qui non carnis quærat delicias? *Fruamur* (aiunt quidam) *bonis à iuuentute, quoniam hac est pars nostra,* & reliqua quæ ibi in libro Sapientie horum personam figurant. Secundo, est nobis positus in exemplum virtutum & operum omnium bonorum, tanquam signum seu chorda atque regula, qua dirigimur in operibus bonis. Proinde, dum discipulis pedes lauisset, non solum de hoc humilitatis opere, verum etiam de alijs quibuslibet loquens, dixit: *Exemplum de his vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hoc est signum seu exemplar, de quo Moïsen Dominus commonefacit: *Omnia, inquisiens, fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Montem Christum intelligimus, iuxta illud: *Erit mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* At in hoc signo Christo contradicunt plurimi. Nonne hodiè omnes gloriantur se Christianos, imò & Evangelicos? Sed responderetur multis, quod ore cõfitentur se nosse Deum, factis autem negant; Nolunt aduertere illud Ioannis, *Qui dicit se esse Christum, debet sicut & ipse ambulauit, ambulare;* Non aduertunt Christum loquentem: *Quid dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Itemque: *Qui seruat mandata mea, & facit ea, ille est qui diligit me;* Non dicit, qui legit ea, non dicit, qui prædicat, sed qui facit ea, hoc est, qui opere explet. Tertio, positus est in

est in signum sanitatis, quomodo in figura est Mosi dictum: *Fac serpentem* III.  
*anem, & pone eum pro signo. qui percussus inspexerit eum, vivet.* Ita Christus in Numer. 21.  
 passione nobis signum positus est, ut quisquis fide incurrat illum, salvetur.  
 Omnes enim morbo Adæ, hoc est, originali laboramus peccato, à quo nun-  
 quam liberabimur, sed peribimus, nisi hoc inspexerimus signum. *Quam-*  
*obrem Christus: Sicut, inquit, exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari* Ioan. 3.  
*oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam eter-*  
*nam.* Huic signo etiam contradicit mundus. Debet enim, quisquis sanari  
 vult, intueri Christum crucifixum oculis fidei & compassionis, recolens  
 verbi, quod scriptum est: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum,* 1. Pet. 2.  
*ut sequamini vestigia eius.* At omnes recusamus pati, & compati Christo. Vo-  
 lumus quidem eum sequi in delictis, sed in his non invenitur Christus nos  
 præcessisse. Viam enim duram hic ambulans, quæ carni sunt molestiora, e- Bernard.  
 legit. Propterea suis dicit imitatoribus: *Qui vult venire post me, abneget semet-* Math. 16.  
*ipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.* Non putes paruum militiæ esse ge- Luc. 9. & 14.  
 nus, si te ipsum abnegare contenderis. Desiderijs omnibus tuis bellum in di-  
 cas necesse est. Ibi quæ glossas omnes, quæ tibi blandiuntur, suadere quæ ni-  
 tuntur, ut scilicet hic & hic tecum dissimules, tibi parcas, hoc tibi bene lice-  
 re, hoc perfectioni non aduersari, & huiusmodi feruore constanti proficin-  
 das. Non declines à feruore & proposito proficiendi: rationale tamen sit Roma. 12.  
 illud & discretum, iudicio prælati moderandum & dirigendum. At quia  
 nunc penè omnes, quæ mundi sunt, sapiunt, Christo in hoc signo contradi-  
 cunt. Quarto, positus est nobis in signum discretionis, quo scilicet discer- III.  
 nitur inter filios gratiæ, & filios hominum. *Filij hominum, inquit, vique quo* Psalm. 4.  
*gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* Vnde subindica-  
 tur, quod filij huius mundi, qui prudeatioris sunt filijs lucis in generatione Luc. 16.  
 sua, diligunt & quærunt ea, quæ sunt in mundo, quæ enumerat Ioannes, di-  
 cens: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut est concupiscentia* Ioan. 2.  
*oculorum, aut superbia vitæ.* Porro, filij lucis, filij gratiæ, atque ut totum di-  
 cam, filij Dei, non ea, quæ mundi sunt diligunt. Semper enim in eorum cor-  
 dibus hæc vox auditur: *Qui diligit mundum, non est charitas Patris in illo.* Semper Ibidem.  
 audiunt: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Inter Ioan. 12.  
 virosque igitur filios, gratiæ scilicet & huius mundi, signum discretionis, id  
 est, Christus in sua passione positus est, quo ab alijs alij discernuntur. Chri-  
 stus enim eos sibi adoptat filios, quos sanguine suo sibi assignat. Cuius ha-  
 bemus figuram in Exodo, vbi de sanguine agni iubentur filij Israel tingere Exod. 12.  
 super liminaria domorum, ut hoc videns sanguine liminam domum Ange-  
 lus percussus, transeat, & immunem relinquat. Si quisquis huius mundi,  
 hoc est, omnium mundanorum effugere quærit excidium, signet se sangui-  
 ne agni immaculati Iesu Christi, quo vincere possit & elabi insidias dæmo-  
 num, & nequitijs spirituum malignorum. Vnde pari modo viris, qui de-  
 bebant percutere civitatem, dictum est: *Super quos videritis Thau* (quod est sig-  
 num crucis) *ne occidatis eos.* Signari enim ante Dominus fecerat frontes vi-  
 rorum gementium & dolentium signo Thau. Vnde ab illorum percussio-  
 ne, qui signati fuerant, viros, qui civitatem percussuri erant, deterruit, di-  
 cens: *Super quos videritis Thau, ne occidatis eos.* Hoc est quod dicimus, cru-  
 cem Do-

Auguſt. cem Domini ſeu paſſionem Chriſti ſignum eſſe, quo ſerui Dei ſignantur, diſcerunturque à filiis ſeculi in frontibus eorum. Et vbi-  
 cunque ſignum hoc fuerit inuentum, Angelus percutiens nõ habebit poteſtatem. Eſt ergo Chriſti paſſio nobis in ſignum, quod filij Dei ſumas, ſi tamen eandem (ve ſignum redemptionis noſtræ) circumferamus in cordibus noſtris. Verum huic ſigno quoque contradicitur à multis. Vtenim iam declaratum eſt, imprimi-  
 tur viris dolentibus & gementibus ſuper peccatis ſuis, & ſuper paſſionibus Chriſti. Qui igitur luxu mundi delectantur, neque de peccatis ſuis, neque ſuper Chriſti paſſione compunguntur, hi ſuis prauis moribus Chriſto vehe-  
 menter contradicunt. Chriſtus itaque alijs quoque rationibus nobis eſſe in ſignum poteſt oſtendi, ſed in ſignum, cui contradicitur. Vſcimus enim ſignum ſcopum aliquando, quo mittitur ſagitta. Hoc modo Chriſtus nobis ſignum factus eſt, quo in ſeiſpo ſignificet nobis, indicetque quæ ſit via ad regnum caelorum, qua ſit etiam eundem ad ſe. Vndè in ſua vita oſtendit nobis hoc vitale ſignum, quæ loquitur nobis, vt ad hoc ſignum Chriſtum curamus, ipſum imitemur, ſi optamus ſalutem. Ad quod exhortans nos Apoſtolus: *Curramus*, inquit, *ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, qui propoſito ſibi, & audio crucem ſuſtinuit, conſuſione contempta.* Eſt igitur reuera Chriſti vita regula quædam, iuxta quam ſic nobis viuendum. Quid enim in Chriſto videmus non imitandum? Quid inuenimus in eius vita, quod nobis non ſit ſignum, iuxta quod debeamus viuere? Pauperitas eius nobis eſt ſignum, quo ſpereto mundo, contemptisque diuitijs, paucis viuamus contenti. Humilitas eius nobis ſignum eſt, quo ſuperbiam vanamque gloriam declinemus. Et hoc modo de ſingulis eſt virtutibus cogitandum, quibus Chriſtus nobis in ſignum factus, quo eundem, quomodo ve ſit viuendum, ſignificat. At proh dolor, à permultis ſigno huic contradicitur. Contradixerunt Scribæ & Phariſæi. Contradidunt hæretici & mali Chriſtiani. De Scribis Phariſæiſque, quantum contradixerunt Chriſto, omnibus ex Euangelica hiſtoria eſt euulgatum. Hæretici quoque non conſentientes ſanæ fidei Chriſtiana, contradidunt Chriſto. Aliter enim aliaque hæreticorum atque Chriſti eſt eruditio, aliter quoque quam Deus eos docet, ipſi Deum prædicant. Vndè magis Chriſtum impugnant. Contradidunt poſtremo mali Chriſtiani. Ea enim, quæ verbo & opere docuit Chriſtus, malè viuendo mali impugnant Chriſtiani. Chriſtus humilitatem ac mititatem docuit, at Chriſtianus ſuperbiam exercens, Chriſto contradicit. Eſt aliquando ſignum aliquid nobis ſignificans, vt circulus ante tabernam ſignificat vinum ibi eſſe venale, cucullus ſignificat monachum, corona rafa in capite ſignificat ſacerdotem. Hoc modo iterum Chriſtus eſt ſignum. Significat enim nobis ſalutem ex ſe quaerendam, ſignificat nobis ſe lucem eſſe mundi, Dei Filium, Omnipotentem, miſericordiſſimum. Hæc enim omnia nobis ſignificant ſigna, prædicatio & opera Chriſti. In Chriſto itaque eſt veritas, vt quæ ſigna indicant, eadem ſint verè in Chriſto. Aliter autem nobiſcum eſt. Sæpenumero enim ſigna falſa abſque re præferimus. Nõne pariter omnes ſignum monſtrauimus Chriſtiana militiæ? Chriſto tamen, hoc eſt, Chriſtiana vitæ multi contradicimus. Circunferimus veſtem religioſam, qua nos ſpirituales, hoc eſt, ſpiritu viuentes ſignificamus, cum sæpenumero conuerſatio

fatio nostra adhuc sit in carne: quare magis mortui iudicandi sumus, quam viuentes, dicente Apostolo: *Si secundum carnem vixeris, moriemini. si autem spiritu facta carnis mortificaueris, viuetis.* Qui igitur carnem domat, qui desiderijs carnis imperat, qui iuxta spiritum viuit, loquitur, cogitat, & sic viuendum docet, spiritualis dicens est. Fallit itaque saepenumero signum externum, quomodo signum fallit indicans venale vinum, si non fuerit in domo vinum. Hoc modo externam saepe significamus pietatem, religionem, atque deuotionem, cum nihil, parumve horum sit in nobis, viuat verò in nobis mundus. Christi itaque vita & eruditio signum nobis est (vt dixi) quomodo imitando illum, nos esse oporteat pauperes, humiles, peregrinos, & aduenas super terram, nihil quò de hoc mundo amantes, sed corda nostra ad Deum semper erigentes. Verum contradicimus huic signo. Omnes enim, qui Christum imitari aut nolunt, aut non fatagunt, signo huic contradicunt. Videre vis an contradicas vitæ Christi, quæ tibi signum est, quod imiteris, quæ veluti exemplar in monte tibi constitutum est, iuxta quod agas? Vide quocurrat affectus tuus, quid libentius cogites, cui insistas diligentius, & quid tenacius serues. Si de gloria temporali, si de delectatione carnis, si de voluptate aut diuitijs sermo fiat, & tu mox sollicitus agis, in mentequæ tua versatur quomodo ea possis obtinere, si ad rememorationem rerum mundanarum incitatur exultatq; animus, si te audisse voluptatis quid delectat, & si eadem alijs recensere animum tuum iuuat, in via es mala, vbi Christo, vbi signo vitæ contradicunt. Perniciosissima est cogitatio, mundi spurcicias, illecebramq; meditari carnis cum desiderio obtinendi. Hic tamen à iuuenture vehementer Christo Domino nostro contradicunt. Non hoc nos Christus docuit. Nos enim in mundo quærimus oblectamenta, Christus pro nobis molesta & tormenta pertulit, suisquæ dixit imitatoribus: *In mundo presuram habebitis.* Item quæ: *Nolite mirari, si odio vos habet mundus, sed scitote, quia me priorem odio habuit.* Heu, quam rarus est hodiè, qui Christi vitam, hoc est, Euangelium audiens, intra se compunctus gemat, quod in hoc & in illo difformis Christo sit, quod à Christi vita tantum adhuc distideat. Quam rarus, inquam, est, qui ex toto corde Christi virtutes, si quando eas considerauit ex lectione Euangelica, optet, dicatquæ: *Vtinam pijssimè Iesu, in hoc imitari te possem.* O si me aliquando vincam, vt quomodo tu ambulasti, ita & ego ambulem. O quam paucis contingit, qui omnem suam sollicitudinem, & curam eo dirigunt, vt quomodo imitari ea, quæ in Christi vita didicerunt, quarant, sicut videmus eos sollicitos, atque studiosos mundi amatores, qui nihil negligunt, vbi opes, gloriam, luxum, aliave id genus terrena comparare sperauerint. Nihil illis difficile, modo obtineant, quod concupiscunt.

Quare pari studio, pari desiderio non incitantur, qui Euangelici hodiè volunt nuncupari? Quantum ad Euangelij literam attinet, sunt ipsi, qui se primos iactant & vocant Euangelicos, imò & studia sua pessima, pestilentissimasquæ machinationes, versutias, detrectationes, inuentiones virulentas, odio, inuidiaq; plenas, prædicationes quæ suas pessimas Euangelium vocant, & eos, qui in huiusmodi ipsis consentiunt, Euangelium dicunt amare. Quod Euangelium? Impunè peccare, ad omnem peccandi libertatem effrænos esse, carnalibus desiderijs suis satisfacere, & pessimis operibus insudare: quia

Vitæ Christi  
à quibus con-  
tradicitur.

Ioan. 16.

Ioan. 17.

In Euange-  
licos huius  
seculi.

K re: quia

re: quia opera bona, inquit, ad salutem sunt superflua & nulla. Et idē vbi de Christi imitatione agitur, Euangelium Christi quē vita illis est signum, cui contradicunt. Iuxta Euangelium namque viuere, carni & vitijs mortificandis insistere, Christi vitam imitari, atque in se exprimere, Papistarum, Monachorum quē esse volunt, non Euangelicorum. Neque enim propterea sunt Euangelici, vt iuxta Euangelium, & pro Euangelicā integritatis obseruantia viuant, sed vt sub Euangelij nomine liberius peccent, dum sub velamine Christianā libertatis, nihil obediunt Ecclesie, quam non solum persequuntur, sed impugnant etiam vita, moribus & eruditione Christum. A quorum contagione vos seruet Christus Dominus in æternum benedictus, Amen.

DOMINICA II. POST DOMINI NATIVITATEM, Epistola B. Pauli Apostoli, ad Romanos XII.

**O**bfecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, & rationabile obsequium vestrum. Et nolite confirmari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem. Et vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**O**bfecro, non per potentiam vobis impero. Nihil enim aliud ago, quam quod suscepi officium vos reconciliandi Deo. Quare obsecro vos per misericordiam Dei vobis factam. Vide hic, quanta se humilitate deicit Paulus, quanta mansuetudine rogat, qui iubere potuisset. Sciens nimirum humanum ingenium facilius blandis, sed veris persuasionibus ac lenitate duci, quam imperio austeriori impelli. Vnde quam stultē egerit Roboam liquet, qui derelicto consilio seniorum, benignitatem suadērium, iuuenum sequutus est consilia, & durē populo loquens, decem à se tribus Israel auerit. Itaque Paulus (vt mater ad eos, quos Christo generat) obsecro, ait, vos per misericordiam Dei factam (vnde salus nostra, & non ex vllis meritis nostris nobis consistit) vt vnusquisque vestrum seipsum mactet Deo in sacrificium, per abnegationem & mortificationem desideriorum suorum carnalium, vt corpora vestra Deo exhibeatis hostiam viuentem. Viuens hostia dicitur, quando ab hac vita homo non deficit, & nihilominus à carnalibus desiderijs Dei se amore occidit. Itaque hostia viuens dicitur corpus pro Deo afflictum. Viuit enim virtutibus, moritur vitijs. In hoc enim ab his, qui sub lege viuēbāt, nos sub gratia constituti, differimus, quod illi corpora brutorum offerebant animalium, hostiam mortuam, nos modo tempore Euan-

3. Reg. 12.  
1. Par. 10.  
Rom. 12.

gelij corpora humana nostra hostiam Deo offerimus viventem. Sequitur: Ideo exhibeatis Deo corpora vestra hostiam viam, hostiam sanctam, à delictorum contagio purgatam & mundam, Deo placentem. Tunc enim placet Deo, si quicquid facitis, in gloriam Dei, & ut illi placeatis, facitis. Videte quomodo nos docet Paulus corpora nostra sacrificare Deo per abstinentiam, per laborem, per vigiliis, per ieiunia, cæterasque id genus afflictiones, quibus caro subicitur spiritui & Deo, & operum bonorum virtutumque instrumentum, quod digna fiat in nouissimo die cum anima coronari, quæ hic in Dei seruitio quoque simul sunt in Dei holocaustum mactata. Deinde: Rationabile, inquit, sit obsequium vestrum, ne quid à vobis fiat nimium, ne quid immoderatum, ne quid denique imprudenter, & ne quid cuius rationem non possitis reddere, faciatis. Vitium enim, non natura persequenda est. Et sicut *qui delicatè nutrit seruum suum*, hoc est, carnem suam, *sentiet contumacem*, ita ediuerso de rapina offert holocaustum, quisquis corpus suum immoderatè afflixerit. Quapropter nobis necessarium esse sal discretionis Christus cognoscens, *Habete*, inquit, *in vobis sal*. Sequitur in epistola: Et nolite conformari huic seculo, hoc est, nolite formam huius seculi vobis imprimere, nolite hominibus mundum amantibus conformari. Hi enim carnalia, mundana, temporaliaque amant, quarunt & meditantur. Et quia mundum amant, ideo etiam mundus sunt. Huic enim assimilatur homo, quod diligit, sicut Augustinus ait: Si terram diligis, terra es: si aurum diligis, aurum es: si Deum diligis, Deus, hoc est, diuinus es. Vult ergo amorem & omnem actum seculi in nobis expiari, ac si cum Ioanne diceret: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Qui enim diligit mundum, non est charus Patri in eo*. Sed reformamini, inquit, ad imaginem Dei, quæ in vobis per peccatum deformata est. Hanc inquit, Dei similitudinem in Adam amissam, & ex proprijs quoque peccatis conculcatam, per Christum recuperate. Reformamini autem in nouitate sensus vestri, quo per studium lectionis & meditationis verbi Dei, sensus vester interior à Deo illuminetur, & semper magis ac magis crescat: vt probetis, atque re ipsa & gustu spiritus discatis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Qui enim virtuosam, internamque duxerit vitam, agnoscit gustu spiritus sui, cui pariter in hoc testimonium perhibet Spiritus sanctus, qui tranquillam eius reddit conscientiam, & hanc in bono confirmat, quo sciat, quæ sit voluntas Dei bona, quodve ab eo præceptum, quæ item sit beneplacens, aut quod eius consilium, quæ potestremo sit perfecta eius voluntas ad supererogationem & perfectionem pertinens. Dico enim vobis per gratiam, quæ data est mihi, hoc est, apostolica vobis autoritate præcipio omnibus, qui sunt inter vos, cuiuscunque hi sunt status aut conditionis, non plus sapere, aut inuestigare de occultis & mysterijs Dei, quam oportet. Datur hic intelligi quosdam inter eos fuisse, qui curiosius, quam oportebat, conabantur rimari secreta Dei, quos apostolica nunc corrigit autoritate. Non plus, inquit, expedit sapere, quam oportet sapere, & quantum ad fidem & religiosos pertinet mores, sed sapere ad sobrietatem. Scriptum enim est: *Fortior ate ne scrutatus fueris, sed qua præcepit tibi Deus*, Eccle. 3. *illa cogita semper*. Hoc enim est, quod monet sapere ad sobrietatem, ac si diceret: Sapite ad sobrietatem, vt quæ necessaria vobis sunt & salutaria, iuxta

vires, modum & captum intellectus vestri inuestigatis, ne sapientiæ nimis-  
tate mens vestra inebrietur, si in his, quæ supra vires humanæ sunt rationis,  
vos immerferitis. Sapite igitur, sicut vnique Deus diuisit mensuram fi-  
dei, hoc est, secundum modum & mensuram, quam fides docet seruandam,  
quo se in scientia scripturarum vnusquisque occupet exerceatq; iuxta sta-  
tum, iuxta ingenium, iuxta gradum quoque & officium suum. Huius rei  
adducens similitudinem, qua prædicta confirmet: Sicut enim, inquit, in  
vno corpore multa sunt membra, puta oculus, manus, pes, cor & reliqua: om-  
nia autem membra non eundem actum habent, sed singula quæque suos,  
quo vnusquodque membrorum suo deseruiat officio: ita in corpore  
quoque est Ecclesiæ (vnum enim corpus mysticum multi sumus) & diuersos  
singuli habemus actus. Alius enim verbo studet sapientiæ, alius eruditioni,  
alius consolationi merentium, alius reficiendis esurientibus. Quare fit, vt  
quum nemo singula habeat dona, per communicationem tamen, habeant  
omnes omnia, & singuli singula. Quicquid enim vnusquisque in se non ha-  
bet, per charitatis communionem hoc habet in alio. Vnum namque corpus  
(vt dixi) multi sumus in Christo. Singuli autem alter alterius membra, pu-  
ta, vt quemadmodum in corpore vnum membrum alteri seruit, & suo offi-  
cio alteri obsecundat, & diuerso alterius quoque officio & obsequio iterum  
eget, ita inter nos quoque alter alteri subueniat, & quodcunque habet à Deo  
munus, communicet proximo. Ad hoc namque nos charitas per vnitatem  
fidei in Christo compaginat, vt (sicut dixi) multi in Christo sumus vnum  
corpus.

EXEGESIS EVANGELII DOMINICÆ

eiusdem. Luca II.

**N**ON paucis cum sanctis, tum sapientibus viris visum est fratres mei,  
si mundus reformari aut Ecclesiæ deberet, id cum pueris, à quibus in-  
choandum foret, tentari oportere. Inueterati namque in vitijs at-  
que malè assueti, vix à suis possunt moribus auelli. Aetas verò tenera ante-  
quam mala imbuitur consuetudine, idonea est, si præceptores habeat virtut-  
um studiosos, non minus ad bonos mores, quam ad literas imbibendas.  
Legitur hodiè Euangelium nobis, quo, quomodo pueri sint instituendi à pa-  
rentibus, quomodo ve parentibus obedire debeant pueri, discamus. Narra-  
tur enim quomodo se puer habuerit Iesus ad suos parentes. Dicit itaque  
Euangelista:

Dan. 13.

Lucæ 2.

Ex d. 32.  
Festiuitates  
Iudæorum  
tres præci-  
pue quæ.  
Exod. 34.

Pascha Iu-

Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus  
illis Hierosolymam secundum consuetudinem dici festi.

Tres erant festiuitates præcipue Iudæorum (plures enim minores, sed  
hic de omnibus nihil est opus differere) de quibus præcepit Dominus in  
Exodo: Tribus vicibus in anno mihi festa celebrabit. In quibus omnes  
mares debebant apparere coram Domino, vbi erat eius memoria, quæ fuit  
post ædificationem templi in Hierusalem. Propterea dicitur in Exodo ite-  
rum: Ter apparebit in anno omne masculinum coram Domino Deo suo.  
Prima erat festiuitas Paschæ, quæ seruabatur quinto decimo die Lunæ pri-  
mi men-

mi mensis, hoc est, Aprilis, iuxta eorundem computationem. In hac festiuitate vniversus populus per familias & domos suas immolabat hædum, & similiter quælibet familia aut domus comedebat agnum ad vesperam. Hæc est festiuitas illa, quæ hodiè recensetur, ad quam Ioseph ascendit cum Maria coniuge & Iesu duodecim annorum puero: & vocabatur solennitas Paschæ seu Phasæ. Alia festiuitas Iudæorum fuit quinquagesimo die post illud Pascha, quæ erat Pentecoste: & vocabatur solennitas nouarum frugum. Tunc etiam lex eis olim per Moysen data fuerat.

Tercia fuit festiuitas Scenopegiæ, hoc est, fixationis tabernaculorum, & fiebat quindodecimo die Septembris. Exhibant autem domos suas, & habitabant in tabernaculis seu vmbraculis octo diebus. Hæ tres festiuitates inter alias erant præcipuæ, quibus apparere debuit omne masculinum coram Domino in templo. Nec poterant nisi per infirmitatem mares excusari, præsertim in festo Paschæ. Nam in duabus alijs festiuitatibus poterant tam per viæ longitudinem quam infirmitatem excusari. Ascendentibus igitur illis, ascendit puer quoque Iesus. Dicit quis: Quare Maria ascendit? Neque enim habuit præceptum. Dicendum eam non potuisse separari à Domino Iesu. Si enim vt aliæ matres habuisset filium hominem, putanda est propter viarum distractionem (quæ tamen quamuis illi haud poterant nocere, tamen solebat omnia vitare impedimenta) sola mansura domi. Modo verò, quando non solum festiuitatis deuotio hanc inuitabat, verum etiam pietas erga filium Deum eandem trahebat, quomodo potuit illum relinquere? Quis enim Deum secum habens præsentem, non libenter manebit cum eo? Aut quis non grauatur ferret, si à Iesu, si à Deo diuideretur? Vide autem deuotionis studium, quod Ioseph tam longam viam duxit puerum secum in Hierusalem ad festiuitatem. Quare putamus id factum, nisi vt detur posteris exemplum, quanto studio debeant parentes filios suos educare assuefacereque ad pietatem, ad cultum Dei, ad obseruantiam festorum, & ad omnia, quæ redolent virtutum religionem & pietatem? Ad Euangelium redeamus.

Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem.

Septem diebus durauit hæc solennitas, quibus manserunt in Hierusalem, <sup>Exod. 12.</sup> Discite tu quoque in templo in diuino officio perseverare, nec ante diuinæ laudis consummationem te subducere. Remansit puer Iesus in Hierusalem. Non casu id accidit, non parentum obliuione, vt remaneret in Hierusalem, sed studiosa pueri deuotione. Voluit enim exemplum nobis dare, vt quantum in nobis est, hoc est, si corporalis id infirmitas, si domestica necessitas, si denique proximi id ferret necessitas, semper optemus spiritualibus atque diuinis vacare exercitijs. Remansit puer Iesus in Hierusalem. Sed quare, inquis, illis Iesus non dixit, vt cum illorum consensu mansisset? Respondendum, parentes fuisse pro puero sollicitos & zelosos. Quare non reliquissent puerum post se, metuentes negligentiam accusari apud Deum, si Archelaus <sup>Matth. 23.</sup> fortasse Herodis filius in illum faceret, quod meditatus fuerat eius pater. Idcirco nescientibus illis mansit, ne vel parentum conscientiam grauaret, vel opus patris sui & voluntatem intermitteret.

Existimantes autem cum esse in comitatu, venerunt iter dici, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem requirentes eum.

Mos peregrinantium Iudaeorum quis tuigit.

Hæc erroris fuit occasio, quod filius tanta cura tantoque parentum amore educatus fuerat amissus. Erat enim mos ille apud Iudæos in huiusmodi peregrinationibus obseruatus, mares ambulare seorsum, & mulieres seorsum: pueros verò cum altero illorum, hoc est, aut cum matre aut cum patre. Consuetudo sane pulcherrima & sancta. Quæ si Christianis quoque esset hodiè in Litanis, processionibus & peregrinationibus, oratio Deo sæpe offerretur purior & acceptior. Iam verò quum mixcim vterque ambulet, sexus, fiunt multa quæ religiosum alioqui institutum hoc coinquinant, ac propemodum perdunt. Existimabat igitur mater puerum Iesum esse in virorum comitatu cum Ioseph, & Ioseph putabat eundem esse in comitatu mulierum cum Maria. Ambo decepti sunt. Vbi igitur iter vnus diei confecerant, viderunt quia neutrum esset comitatus. Simul Hierusalem urbem, hoc est, eadem die egressi fuerunt Ioseph & Maria. Altera igitur die quæ erat secunda, qua fuerant Iesum inter cognatos & notos, hoc est, inter consanguineos, affines, vicinos, contribules & notos, sperantes illum pro iuncta sibi amicitia apud eorundem aliquem detentum. Cum non inuenissent eum, redierunt tertia die in Hierusalem, qua necdum illum inuenerunt.

Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos & interrogantem.

Hæc quantus hoc temporis interuallo dolor virginum maternumque cor Mariae sauciauit? Quot lamenta, quot suspiria interim anxia mater fudit? Experimento enim tunc didicit sibi ipsi præfagiens, quantus suo cordi instabat futurus dolor, cum morientem esset visura filium, illum quæ amissura, quando iam tantam sensit cordis tristitiam, hoc triduo ab eodem separata. Tristabatur autem partim propter subtractionem sanctissimæ ac gaudiosissimæ contemplationis, quam habuit ex suavissima filij sui contemplatione. Tristabatur præterea ex humilitate, quia arbitrabatur se indignam, cui tam pretiosus fuerat commissus thesaurus, nec tantam se diligentiam adhibuisse, ac reuerentiam erga eum, quo digna fuisset eum retinere, sed propter suam indignitatem, amississet eum. Vides quantis omnium innocentissima & sanctissima angustiat doloribus in hac vita, cui nihil etiam pepercit filius, quin eidem æquæ & multo grauiorem imponeret crucem, quam cæteris, tamen foret innocens à peccato. Hoc enim Dominus suis electioribus dare amicis consuevit, ut in hac vita durius premantur, & crucem hinc multiplicem tolerent, gaudia illis non præsentis, sed futuræ vitæ potissima largiturus. Sed dubitatur hic à quibusdam, quid puer Iesus his tribus diebus comederit, quibus manebat in Hierusalem. Creditur enim miraculosè non abstinuisse à cibo, nec sibi etiam miraculosè prouidissimum, quia signa nulla fecit in pueritia. Primum eius signorum fuit conuersio aquæ in vinum in Cana Galilææ. Relinquitur igitur, quod ostentum mendic-

Tristandi beatissimæ virginis Mariæ quæ causa fuerint.

IOAN. 1.

Paupertas  
pueri Iesu  
quanta fue-  
rit in residuo.  
Bernard.

medicauerit: quod licet verecundum sit audire, est tamen piissimum ita fen-  
dite de Christo, quod nihil erubuerit honestum, licet mundo probrosum  
videatur, propter nos aequanimiter ferre. Audi Bernardum Christo lo-  
quentem: Per illud triduum ubi eras bone Iesu? quis tibi ministravit ci-  
bum, aut potum, aut hospitium? Vt per omnia te conformares nostræ pau-  
perati, & omnes in te humanas miseras susciperes, quasi vnus de turba pau-  
perum, & ipse per ostia mendicabas. Quis mihi dabit buccellarum tuarum  
participem fieri, & illius sacri edulij reliquijs saginari? Hæc ille. Circa quod  
maxima est erga nos Christi aduertenda dignatio. Non erubuit propter nos  
mendicare, ne nos quoque de paupertate, deformitate ac parentum vilita-  
te erabescamus, quemadmodum contra de diuitijs quoque de nobilitate  
pulchritudineque corporis nihil est gloriandum. Hæc enim & illa dantur  
à Domino bonis & malis. Nec propter illa laudandi nec reprobandi sumus.

Voluit autem Dominus Iesus suam nobis paupertatem commendare, at-  
que in seipso exhibere: nec solum paupertatem, sed & mendicitatem. Si qui-  
dem in eius persona Psal. dicit: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Voluit enim  
seipsum nobis ponere in exemplum. Idcirco paupertatem suam quibusdam  
ostendit ad instructionem, puta diuitibus, vt eo magis ad misericordiam  
eos prouocaret, scientes quicquid in pauperes essent facturi, hoc accepto fer-  
ri à Christo, tanquam sibi impensum, iuxta illud: *Quicquid vni ex minimis* Math. 10.  
*meu fecistis, hoc mihi fecistis.* Et alibi ad suos ait: *Qui vos recipit, me recipit, & qui* Lucæ 10.  
*me recipit, recipit eum qui me misit.* Deinde etiam honorantes Christi in ipsius  
personæ veritate, paupertatem & mendicitatem (quam his diebus osten-  
dit, & dum vltimum foret Pascha manducaturus, agnum, locum cetera que  
necessaria à quodam suo discipulo secreto per Apostolos quos præmiserat,  
emendicauit) eo forent erga pauperes clementiores. Si enim pauperum est  
regnum cælorum, tu qui diues es, idcirco temporalia tibi bona cognosce à  
Deo collata, vt à pauperibus illud tibi compares, adhortante ad hoc ipsum  
Christo, vbi dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt quum defeceritis,* Lucæ 6.  
*accipiant vos in æterna tabernacula,* haud dubium de elemosyna loquens. Se-  
cundo, quod Christus mendicauit in consolationem id fecit pauperum, vt  
paupertatem hi æquanimiter ferrent, aut etiam omnia propter se relin-  
quentes, paupertatem vltro amplecterentur. Voluit enim Christus nemini  
probrosam fore paupertatem, nemini mendicitatem exprobari, quando-  
quidem ipse mendicus fuit & pauper, ingenuè confitens. Vulpes foueas, & Psal. 39.  
cæli volucres habere nidos, se autem filium hominis non habere vbi caput  
suum reclinet. Est igitur magna consolatio ijs, qui paupertatem sufferunt,  
aut patienter, aut etiam libenter (vt sunt qui suis facultatibus sese propter  
Christum nudauerunt) propterea quod in suo rege mendicitatem & pau-  
peratatem meditantur, cuius amore ipsi quoque hic malunt esse pauperes  
quam diuites, vt Domino suo qui quum diues esset, propter nos egenus fa-  
ctus est, efficiantur conformes. Confortantur autem hac spe interim, quod  
credunt eius patriæ & regni fieri consortes, cuius hic exilij & paupertatis  
fuerit participes. Quis enim regum relegatus in exilium & in paupertatem,  
si inueniat aliquos milites qui sui amore cum eo vltro se tradant in exilium  
& mendicitatem, postquam ad regnum suum redierit, immemor suorum

T. VI  
21

erit militum, qui sese non ob aliud in exilium cum eo, quam propter ipsius amorem traderunt? Et quomodo tunc de exilio rediens iterum ad suum illos non recipiat regnum, qui cum eo laborum eius in exilio fuerunt participes? Est igitur suorum Dominus memor pauperum, qui dicit per Sophoniam: *Derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini. Pauperes enim semper habebitis, inquit, vobiscum.* Verum, quid illis promittatur pauperibus, quæ in Sophonia sequuntur, indicant: *Ipsi pascentur & accubabunt, & non erit qui exterreat.* Possit obijci ab ijs qui contradicere vellent mendicitati Christi, illud Deuteronomij: *Omnino indigenus & mendiculus non erit inter vos.* Et illud Proverbiorum Salomonis: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui mes necessaria.* Ecclesia quoque instituit nullum ad sacerdotium promovendum, nisi, vnde viuatur, sit prouisus propter vitandam mendicitatem. Vnde videtur Christus non mendicasse. Sed respondendum est quomodo S. Thomas Aquinas respondet in Summa contra gentiles, omnia hæc & huiusmodi alia vera esse, si loquamur de paupertate coacta, verecunda, aut scandalosa: non autem de paupertate voluntaria, qua se quis Dei intuitu cum habeat, aut cum possit bona habere temporalia, pauperem facit, nolens habere possessionem aut propria, sed vitæ aut sufferens, aut cupiens sentire paupertatem. Hæc enim paupertas, hæc mendicitas ex virtute oritur, & est voluntaria, idèd haudquaquam illicita. Secus de paupertate coacta & inuoluntaria.

Stupebant autem omnes, qui cum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt.

In medio sedit doctorum, quo omnes posset audire & interrogare. Quid tamen interrogauerit, quidve audierit, aut qua de materia disputatum sit, nihil certi habetur. Creditur tamen eos de Christo disputasse, an illius fuerit tempus impletum quo nasci deberet. Erat enim tunc rumor & mullicatio in populo, quod Christus iam esset natus. Diuulgatum enim fuerat, quod reges alienigenæ Christum quæsierint & adorauerint. Quæ etiam testimonio Simeon & Anna post pastores Christo præbuerant, multorum ore narrabatur. Quapropter cum in plebe foret quoque mullicatio, natum esse Messiam, & scripturæ monstrarent tempus adesse, disputauerunt inter se scribæ & legisperiti de hac quæstione. Cui Christus interfuit, & interrogando doctores erudiuit, & audiendo docuit. Quum enim interrogauit eos, non aliquid quæsiuit ab eis, sed tradidit illis sensum scripturæ, veram quæ sapientiam. Stupebat autem Maria hic inueniens filium inter doctores medium, & materna auctoritate alloquens natum, ait:

Et dixit mater ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

Non dicit arguendo, Malè fecisti, sed, quid sic nobis fecisti, admirando, quia in omnibus Mariæ verbis prudentia, discretio & humilitas inueniebatur. Vide virginis humilitatem. Coniugem suum honorat, primo eum nominando. Dolentes quærebamus te. Quanto quis rem quamuis amauerit, tanto plus eandem dolet amissam. Vehementissimè igitur quum diligenter parentes filium, idèd maiores dolores sentiebant etiam ex eiusdem

Sopho. 3.  
Math. 16.  
Marc. 14.  
Sopho. 3.

Deut. 15.  
Prover. 20.

Thomas  
Aquinas.

Matth. 2.  
Lucæ 1.

amissione. Multò autem acriorem habuit dolorem mater, quam Ioseph de amissione Iesu, non solum quia illi erat filius, sed etiam quia erat ei perfectus nocuus. Volunt aliqui plus consolationis Mariam accepisse ex intuitu filij, quam Adam ex contemplatione amœnitatis paradisi. Volunt etiam nonnulli Mariam nonnunquam admissam contemplari filij sui diuinitatem, quia eius diuinitas resplendebat ac redundabat in carne.

Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum.

Voluit se Dominus his verbis ostendere filium Dei, cuius præferendus esset honor, præferendaq; voluntas matri homini, & patri putatio. Parentes tamen eius non intellexerunt hoc verbum. Non enim consueuerat Dominus de sua diuinitate loqui. Et fortasse beatæ Mariæ insueta erat hæc loquutio, seu loquendi modus, idè non intellexit. Aut si intellexit eum de cælesti Patre loquentem, non tamen horum verborum finem, hoc est, causam, quare scilicet hæc loqueretur, intellexit.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.

Tanti fecit obedientiam Christus, tantum honorauit voluntatem matris, vt suam abnegaret voluntatem, matrisq; perficeret. Noluisset enim sibi dilectissimam contristare. Charissimi, omnibus nobis quærendus est Christus, sed quærendus ibi est, vbi inueniatur: neque enim inuenitur in terra sua vterque viuendum. Non inuenitur in voluptatibus carnis, tamen aliqui ibi quærant eum. Dicis, qui sunt, qui in delitijs quærent illum? Hi nimirum, quorum Deus venter est, & gloria in pudendis eorum, qui de potu ciboq; delicato, qui de carnis voluptate cogitant assidue, & in his suum æstimant bonum, hi ventrem suum pro Deo colunt. Illum enim colunt pro Deo cui magis obtemperant, vero Deo posthabito. Illum pro Deo colunt, cuius desiderijs acquiescunt. Illud vt Deum habent, quod plus quam Deum diligunt. Atque idè Paulus auaritiam idolorum nuncupat seruitutem. Quærendus igitur est in templo. *Nescitis*, inquit Paulus, *quia templum Dei sanctum est, quod estis vos?* In te ipsum igitur ingredi, ibi in corde tuo Deum quære. Quære diligenter. Noli desistere à quærendo, donec inuenias. Quære vt famelicus panem. Hoc pane confortatus Helias, dormiens sub iunipero, ambulauit in illius fortitudine, quam scilicet hic panis ei præstabat, quadraginta diebus & totidem noctibus, vsque ad montem Dei. Quærite igitur Dominum, & viuet anima vestra. Bonus est enim Dominus sperantibus in eum, & animæ quærenti illum. Quærite etiam citò, hodie & nunc scilicet, non differendo. *Qui manè*, inquit Sapiencia, *vigilauerint ad me, inuenient me.* Quærite Dominum in hac vita, dum inueniri potest. *inocate eum, dum* (per gratiam & misericordiam) *propè est.* Si cum fatuis virginibus post clausam ianuam quæseritis, cum eisdem vobis etiam respondebitur: *Nescio vos.* Reminisce mini diuitis epulonis, qui in tormentis constitutus, & videns Lazarum, quem hic dum viueret, vtroque oculo compassionis intueri nolebat, rogauit extremo digiti eius aqua intincto, suam ardentissimam linguam refri-

L gerari

Quærendus  
vbinam sit  
Christus.  
Iob 28.  
Phil. 2.

Coloss. 2.  
1. Cor. 5.

1. Reg. 9.

Psal. 62.

Thren. 1.

Prou. 5.

Esaie 55.

Matth. 15.

Luc. 16.

gerari. Sed quid impetravit? Quid audiuit? Fili, recepisti bona in vita tua. Dicitur etiam tibi: Tu si hic recipere vis bona in vita tua, recipies cum epulone haud dubie aeterna mala. Citò igitur ad Dominum conuertere, vti templo cordis tui illum inuenias possideasque in aeternum.

SERMO DE EADEM DOMINICA.

*Per qua amittatur Dominus Iesus: quomodo item sint proles erudienda.*

**R**Emansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius, Lucae II. Ostendere nobis voluit deuotionis suae exemplum Christus, quo suo nos exemplo cohortaretur, inuitaretque, vt in prima aetate, a tenerisque annis nos diuino cultui mancipemus. Hanc enim teneram aetatem conuenit Deo, non mundo dedicari. Bonum namque est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua, vt in Threnis dicitur: nimirum de iugo hoc loquens, de quo apud Matthæum Christus, Tollite, inquit, iugum meum super vos. Atque ideò puer Iesus mox vt esset duodecim annorum, ascendere voluit Hierosolymam: quod certè puero longum erat iter, sed nihil Christo vnquam fuit molestum quod in aedificationem nobis conduceret, aut nostram inuaret redemptionem.

Thren. 3.

Math. 11.

Perseuerantia quanta sit opus in diuino obsequio.

Bernard.

Ecl. 1.

Iesum a matre quaerere. Quatuor sunt, quorum occasione homines amittunt Iesum, quamuis horum nullum sit ascribendum parentibus Iesu, licet aliquo modo hic nobis

Deindè quod alijs recedentibus ipse non recessit, sed manserit in Hierusalem, & in templo in medio resederit doctorum, docens & interrogans, quid aliud nos docere voluit, quam deuotionis perseuerantiam & feruorem? Inueniuntur enim qui spiritu interdum deuotionis aguntur: verum quia perseuerantia deest & feruor, citò perit quod radicem nõ fixit. Sunt qui misericordiam integram, aut horam cantandam non possunt stabiliter, atque in templo perseueranter audire. Contra eos igitur est hoc antidotum, qui ex choro, qui ve ex templo elabuntur propter deuotionis inopiam. Omnia enim tunc alia peregrina magis delectant, interim quod diuino interesse deberent officio. Quod planè diaboli est artificium. Semper enim vbi aliquid teneris facere, interim faciendum aliud suggerit, vt eius quod interim negligis, acufationem culpamque habeas, & eius quod interim, quamuis speciem habeat pietatis, facis, amittas laborem pariter ac fructum. Gratium enim nunquam spiritus sanctus id habet, aut accipit, quod illi offers, si huius occasione non nihil interim quod debes, neglexeris: quin etiam pro eo quod negligis, quod interim facere debuisses, peccas: & hoc quod interim facis, licet alioqui bonum, nihilo secius perdis, quia in tempore non ordinato, & cum culpa facis. Vtraque igitur virtus aequè est necessaria viro deuoto, vt perseuerantia sit in opere bono, & discretio sit in modo. Neque enim nimium debet fieri (sicut scriptum est, *Noli iustus esse nimis*) ne virtus inquinetur vitio: neque minus, ne non possit esse virtus, hoc est, ne à virtute opus deficiat. Nò debet denique illi quod præceptum aut necessarium est, arbitrium quid præferri: nec quod fieri debebat, propter opus quamlibet nobile, est intermittendum. Postquam igitur Maria aduertit abesse Iesum, vtroque parente ex Hierusalem sine Iesu reuertente in fine diu primæ, tristis cepit eum quaerere. Quatuor sunt, quorum occasione homines amittunt Iesum, quamuis horum nullum sit ascribendum parentibus Iesu, licet aliquo modo hic nobis

T. VI  
21

nobis cogitandi materia tribuatur, quod his Iesus occasione ab anima recedit. Primo, amittimus Iesum per ineptam læticiam aut prosperitatem. Hæc enim minus cautum, minus vigilantem, minusque reddit hominem providum. Hoc quamvis in neutro fuerit Christi parente, tamen significatur nobis in alijs id esse vnam ex multis occasionem amittendi Christum, per hoc, quod in festiuitate illum amiserunt. Secundo, amittitur per distractionem & turbationem. Hæc enim reddit æquè alienum à se hominem, vt sui improvidus sit, quod significatur, quod Maria illum in turba amisit. Tertio, amittitur in nimia fiducia de sapientia, fortitudine, aut de donis à Deo collatis. Siquidem propter hanc quoque minus efficitur timidus, minusque sollicitus animus. Innuitur illud quoque hic per illud quod Maria sperabat Iesum esse in comitatu cum Ioseph, & ediuerso perindè confidebat quoque Ioseph. Quarto amittitur Iesus per ignorantiam eorum quæ Dei sunt. Vbi enim ignorantia locum habet, citè potest committi, quod Iesus, saltem ad tempus, recedat de mente tua, præsertim quo ad sensum, aut spirituales consolationem. Hoc insinuat per hoc quod dicitur: Et non cognouerunt parentes eius. Deindè sequitur, quod quaesierunt Dominum inter cognatos & notos, sed non inuenerunt. Frustra ibi quaeritur, quia amici ferè omnes ad hæc instruunt suos consanguineos, hæc optant filiis & nepotibus, hoc illis precantur; per hoc gratulantur & laudant, quod prudentes iuxta seculi astutiam & mundi gloriam sint, quod mundi honores obtineant, quod acquirant diuitias, quod denique magni euadant & opinione & literatura. Eam ob rem Abraham dixit Dominus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua & de domo patris tui.* Item in Psalmo: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui.* Christus quoque, *Si quis, inquit, venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, non potest meus esse discipulus.* Inueniebatur autem Iesus in Hierusalem, & in templo. Hierusalem visio dicitur pacis. Et scriptum est: *In pace factus est locus eius.* Vbi enim scelus & contentio, vbi ira & iurgia, ibi non inuenitur Iesus. Nichil enim tam studiosè commendauit Christus mundum intrans & exiens, nisi per resurrectionem quoque rediens, quam pacem. Sed prospiciendum quoque vobis, qui proles habetis, ne amittatis eos per negligentiam vestram, qua non corripitis, non arcetis, non docetis, non inuitatis & non compellit filios vestros ad disciplinam & deuotionem, ad humilitatem, ad castitatem, ad verecundiam & timorem Dei. Quare hortor vos in Domino quotquot proles habetis, vt summoperè eos studeatis promouere, inuitare, vestroque exemplo trahere ad opera charitatis, ad opera pietatis & misericordiae, & ad omnia virtutum (quæ absque operibus data occasione seruari non possunt) genera. Iuberis clauso super te ostio orare in abscondito. Verum hac in re non prohibendus, sed monendus es, vt ores coram filiis tuis Deum quos verbo & tuo ipsius exemplo inuites, moneas atque compellas tecum orare Deum, Quid dicam? Etiam munusculis conducas, vt tot psalmos, tot orationes Dominicas dicant, totiesque beatissimam virginem saluent. Interrogas quare? Eam ob rem profectò, vt consuetudinem accipiant orandi, laudandi Deum. Ridebit fortassè hæreticus, aut indeuotus quispian, quæ dico. Nonne magis ridendus, imò execrandus est ipse, qui suos fi-

I.

II.

III.

III.

Quærendus  
vbinam Christi-  
nus.

Gene. 12.

Psal. 44.

Luc. 14.

Psalm. 75.

Iacob. 1.

Luc. 2.

Lucæ 24.

Ioan. 20.

Proles quibus  
to illud. pietas  
tate que nunc  
trienda & in-  
stituentia.

Matth. 5.

Hæretici Lu-  
therani quo-

modo proles  
suas instituit  
matr.

lios astutias, dolos, nugas & reliqua id genus mundana docet, qui ad prolium suarum vafrities, leuitates, dolos mendaciaque ridet, qui que gratulatur puero quod ex studijs huiusmodi illum seculo cognoscit fore idoneum, quamuis in Deum impius credatur futurus? Quid quod matres pueros docent cantica lasciuia & obscena, quae ab amicis parentibusque magno audiuntur plausu? Quid quod maledicentibus, iurantibus, blasphemantibusque filijs parentes quidam nullam opponunt censuram? Vbi zelus tuus in huiusmodi est pro Christo, pro Euangelio, cum quotidie digladietur os tuum contra Papam, contra monachos, contra sacerdotes, & contra quoscumque deuotos homines, qui virtutum studiosi, nolunt tecum in carne viuere? Potes ferre filium tuum blasphemantem, iurantem, maledicentem, & non potes ferre monachum orantem? Legis in Euangelio omnem proximum diligendum, & ferre potes, si audias filium tuum sacerdoti, aut pio cuiquam insulrantem? Euangelicam paupertatem profitenti illudis, & Euangelicus es? Cuiusmodi hoc sit Euangelium, verè nescio. Scio tamen Christi non esse. Verum ad Deo deuotos reuertamur.

Matth. 21.  
Marci 12.  
Luca 10.

Parentes  
quomodo filios suos docere debeant.

1. Reg. 4.

1. Reg. 8.

Gen. 18.

Impendite quaeso, curam filijs vestris, vt Deum timeant, peccata euitent, Dei mandata seruent, quicquid est in honorem Dei festinanter efficiant, quicquid in consolationem, aut utilitatem proximi, libenter & misericorditer agant. Hoc enim à vobis requiret Deus quomodo docueritis, quomodo ve corripueritis filios vestros. Habetis quod Heli propterea quod indulgentior foret in filios suos, interminatus sit, quid ei accederit, quid perferit. At ediuerso Samuel qui suos filios, quia vitam suam imitari in Dei timore noluerunt, honore priuauit, abiecit & detestatus est, laudatur. Abrahæ quoque secreta sua fatetur Dominus propterea reuelanda, quod sciret eum dociturum ac imperaturum filijs suis timere Deum. Videmus quam rare est felicitas filiorum Deum timencium, quanta verò è regione turba Deum absque iugo & disciplina post tergum suum proijcientium. Cæterum, ex eisdem filijs quam rara, imò quam misera parentibus sit iucunditas, compertissimum est quoque. Quod non ob aliud illis contingit, quam quia filios suos non erudierunt ad timorem Dei, nec delinquentes castigant. Itaque omni diligentia erudiendi, monendi, atque quamdiu in teneriori sunt ætate, cogendi sunt filij ad honestatem sanctam, ad candidos mores, ad misericordiam, ad Dei timorem & amorem, & maxime ad castitatem, quomodo Ecclesiasticus monet: *Filij tibi sunt, erudi illos, & cur a illos à pueritia eorum* Hoc Dominus in Deuteronomio quoque præcipit parentibus docere præcepta Dei filios suos & nepotes. Quod studiosè Tobias suo præstitit filio, dicens: *Fili, omnibus diebus vita tua in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Dei nostri.* Item quæ: *Fili pauperem quidem vitam gerimus, sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum & fecerimus bene.* De Susanna quoque legimus filia Helchiz, quod parentes illius cum essent iusti, docuerunt filiam suam secundum legem Mosi timere Deum. Quæ eruditio quantum illi tulerit fructum, in duobus senibus, postea cum viro esset nupta, eius amore captis manifestatum est. Bonarum atque nobilium mentium est eruditione iuuari, verecundia corrigi, timori arceri, & laudibus inuitari. At duris & obstinatis verbera adijcienda. Negligentibus quo-

Ecl. 7.

Deut. 11.

Tobiz 4.

Ibidem.

Dan. 13.

que disciplina est imponenda, & vniuersa pueritiæ iniicienda sunt fræna. Scitur est quod Sapiens admonens, *Noli, inquit, subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Ante quoque dixerat: *Qui parit virga, odit filium suum.* Ad id pueris virgæ sunt necessaria, ad id disciplina. Conuenit autem vt non verbis tantum filios tuos erudias, verum etiam tuis moribus instituantur. Vita tua exemplum sit eis virga, quæ à malis eos operibus arceat. Ita te illis exhibe, vt te timeant, & nihilo minus ament. Et id sit virga prolium tuis, quæ eas absque vlla exhortatione probè agere compellat. Videant in te virtutem, quam in se exprimant imitando. Satagent tibi placere, & gratiam tuam ac laudem apud te habere cupiant, certentque inter se, dum harum quauis studiosius tuam implere voluerit voluntatem in virtutum obseruatione. Tolerandus est hic gloria appetitus, & nonnunquam fouendus, quo pueri ad virtutem incitentur. Paulatim subindè discant in gloriam Dei fieri debere omnia: & nihilo minus seruandam gratiam parentum. Quapropter de profectu filiorum in Dei timore se gaudere parentes nonnunquam ostendant, quo filij ad exhilarandos parentes fiant virtutis studiosiores. Sunt enim vbi egerint malè, siue arguendi siue monendi, siue etiam obiurgandi: & vbi tenerior est ætas, verberibus coercendi. Sunt item blanditijs familiariter & laudibus interdum confortandi. Maximè autem facit ad illorum integritatem, vt nihil in parçibus audiant videantve, quod dedecet. Sunt (vt dixi supra) alliciendi munusculis, dum adhuc verba discunt formare, ad orandum. Sic etiam vbi paulò sunt prudentiores, nihil cupitum abs te impetrent, nisi primum orauerint. Monendi igitur, vt Deum rogent, qui inspiret matri patriue, vt hoc illudve dilectum tribuant: aut vt illud, quod oderint, puta virgas increpationesve duras, euadant. Hoc modo assuefaciendi sunt pueri, vt confidant in Deum, vt ad illum in desiderijs suis aut timoribus orantes confugiant. Si eleemosynam tu tribuere volueris, non tua, sed pueri manu tribue. Fac vt certatim pueri accurrant, vbi egenis est aliquid tribuendum, & prolium vnaquæque pro egeno supplicet, quæuis munus expostulatum sataget hoc ferre mendico. Te xenodochia & infirmos visitante, comitentur pueri, qui te pro pauperibus importunitate sancta rogent, atque dare etiam volenti, sint tibi vt plus tribuas molesti. Sunt enim ita docendi exercendique ad misericordiam. Tecum templum ad Dei verbum audiendum adeant, nunquam etiam, postquam indè fuerint reuerfi, quid in concione memoria retinuerint, non interrogentur. Zellentur parentes pro filiorum filiarumque castitate, & si quomodo id possunt prouideant, vt quisque prolium dormiat solus. Incredibile est enim, quid pueritia curiosa teneat. Non sinant parentes vt mundana amatoriâ carmina siue cantilenæ à pueris discantur. Puellis, quia non possunt alienæ semper esse à cantu, ingerantur cantilenæ & carmina religiosa, vt sunt de passione Domini, de beata virgine, & de sanctis. Vbiunque autem fuerint pueri, prouideatur ne audiant colloquia obscena & vitiosa. Hæc dicta sint de bonorum studio parentum, vt suos liberos satagent seruare innocentes & pudicos. Renera enim plurimum refert pueros adolescentulosque probè, an vitiosè assuefieri. Circa hos igitur summoperè parentum cura vigi-

Prouer. 23.

Prou. 15.

Proles bonis  
parentum mo-  
ribus insti-  
tuendas.Proles que-  
modo casti-  
tatem doce-  
antur.T. VI  
21

Monasteriū  
ingredi quā-  
do filijs lice-  
at sine paren-  
tū contentu.

Exod. 20.  
Deut. 5.  
1 cele. 7.  
Math. 15.  
Marci 7.  
Ephes. 6.  
Eccl. 1.

Math. 10.  
Gregor.

Hieron.

Math. 4.

lantiaque versari debet. Voluit præterea Dominus Iesus in templo manens, nescientibus parentibus pueros erudire, absque parentum consensu id sibi licere, vt monasteria ingrediantur, religionem assument, diuinoque se cultui mancipent, nisi parentes sint in tanta penuria necessitateque constituti, vt seipsum iuuare non possint absque labore subsidioque puerorum. Tunc enim debet quis manere & iuuare parentem, animoque esse religiosus. Mandatum namque Dei est: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Quod certè non solum de cultu reuerentiæ intelligitur per signa exteriora, sed etiam de subsidij & charitatis officijs, per beneficia parentes quo ad poterit, alendo, iuuando & eis seruiendo. Scriptum namque est: *Mala fama est, qui derelinquit patrem,* scilicet in necessitate. Porro, si puer iam esset religiosus, aut in monasterio constitutus, potest tamen nihilominus de consensu sui prælati, imò debeat (si aliquid sciverit in auxilium parentis operari absque monasterij præiudicio) illud conferre parentibus in auxilium. At verò vbi parentes filiorum ope possunt carere, aut vbi nõ egent, propter carnalem sensualeve parentum amorem non debent filij manere inter pericula, & inter peccandi occasiones in mundo, nec propter illos à Christi seruitio debent abstinere. Est namque cauendum, quod Christus minatur: *Qui, inquit, amat patrem vel matrem plusquam me, non est me dignus.* Amandus certè est genitor, sed multò omnium maximè præferendus creator. Hic enim locum habet, quod vehementer admonet diuus Hieronymus, ad quendam scribens, ne à perfectione, aut perfectionis instituto lachrymis matris, aut parentum se retinere patiatur dolore: *Licet enim, inquit, paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quæ te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, percalcato perge patre, sicis oculis ad vexillum crucis coela.* Pietatis genus est in hac re esse crudelem. Gladium tenet hostis, vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? Quanti autem monachi, dum patris matrisque miserentur, suas animas perdidit.

Recolendum postremò, quod Christus cuidam dixit: *Sequere me.* Et quum ille responderet: *Domine permittite me primum ire & sepelire patrem meum,* adiecit Dominus: *Dimittite mortuos sepelire mortuos suos.* Tu autem vade, & annuncia regnum Dei. Ac si diceret: Non desunt alij qui in anima mortui sunt, qui tuum (vbi tempus aduenerit) sepeliant patrem. Tu vocationem tuam suscipe, & annuncia regnum Dei. Neque enim tibi licet hanc negligere propter amicos. Maior igitur debetur obedientia Deo, quam parentibus. Quam vt reddamus Deo deuotissimè, largiatur nobis obediens puer Iesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA III. POST DOMINI NATIVITATEM,  
Epistola B. Pauli Apostoli, ad Romanos XII.



**H**abentes donationes secundum gratiam, qua data est nobis, differentes: siue prophetiam, secundum rationem fidei: siue ministerium in ministrando: siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in sollicitudine: qui miseretur, in hilaritate. *Dilectio sine simulatione, edentes*

entes malum, adherentes bono: charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem praeuenientes, sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino feruientes, spe gaudentes; in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, fletum cum fletibus. Id ipsum inuicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

## PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM

**H**abentes donationes secundum gratiam, &c. Vbi proxima dominica defuit epistola, hic hodierna incipit, eundemque sensum continuat ibi relictum. Vltimum autem illius fuit epistolae, quod vnum corpus multi sumus, singuli autem alter alterius membra. Quod sic intelligendum est, ut quomodo in vno corpore multa sunt membra, diuersos actus habentia, vniuscuiusque tamen membri opus officiumque non pro seipso exercetur tantum, sed alijs quoque membris aequè ut sibi seruit. Verbi gratia: quomodo oculus in corpore non sibi tantum, sed alijs quoque membris videt, ita nemo hominum sibi natus est tantum, nec dona gratiasque gratis datas, & singularia Dei munera alia, quae tam bonis, quam malis sunt communia, pro se diuina accepit, sed ut alijs quoque membris illa communicans, diuidat. Sumus enim singuli huius corporis membra (ut dixi) habentes singularia quoque dona differentia secundum gratiam, quae vnicuique puta alteri maior à Deo, alteri minor est collata, quae in vtilitatem aliorum membrorum conuertenda sunt. Siue enim prophetiam quis habuerit ad praenoscenda, vel obscura, vel futura, in hoc alijs sit membris tanquam in corpore oculus prophetans, futuraque prauidens mala, quae ab alijs caueantur. Verum haec prophetia fiat secundum rationem fidei quo nihil fidei contrarium, nihil extra regulam fidei sapiat aut loquatur: Siue habuerit quis ministerium, alijs vtilem se faciat ille membris in ministrando. Siue quis doceat per hoc quod erudit alios, sit membrum vtile corpori & membris ijs maximè, quae docet. Qui verò exhortandi gratiam accepit, vtile se membrum faciat alijs in exhortando. Qui tribuendi copiam à Deo accepit, tribuat in simplicitate, nihil ab illis repetens, sed propter Deum etiam seipsum impendens. Aut ita: Qui tribuit id faciat in simplicitate, non propter vanitatem, aut gloriam, aut aliud aliquid, sed purè propter Deum. Qui praestit à Deo constitutus rector aliorum, praestit & vtilem se alijs membris praebat in sollicitudine, quam pro alijs gerit. Qui miseretur afflicto, & compatiens beneficio eidem subuenit, id faciat in hilaritate, certus quod ea quae dedit, non amiserit, pro exiguis recepturus maiora. Dilectio, Dei scilicet & proximi, in nobis sit sine simulatione, sicut Ioannes monet: *Non diligimus uerba neque lingua, sed opere & veritate.* Simulata enim aequitas (teste Augusti-  
no) duplex est iniquitas. Omnis autem dilectio, quae non est secundum Deum, simulata & ficta est. Sitis (inquit) odientes malum, in vobis & in proximis vestris. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Adherentes bono, adeò ut nulla vos possit tentatio auellere. Sitis quoque inuicem dili-  
gentes,

L. 4: gentes,

gentes, charitatem fraternitatis studiosi prouocare & fouere, quæ vos mutuo fœderet ut fratres. Sitis honore inuicem præuenientes, hoc est, alius alium honore præueniat, nec honorari se, quantum in se fuerit, ab alio permittat, sed illum, imò omnes reueretur, atque honore ut digniores præueniat. Si enim tuum proximum oculo consideras simplici, semper debet & potes in veritate illum tibi præferre. Sentiens enim ipsum Deo ad eum acceptum, ad eum dilectum, ut pro illo Deus sanguinem fuderit, pro eorum mortuus fuerit, credensque illum, quamlibet modo negligens sit, iuxta prædestinationem adhuc coram Deo maximum in eius gratia & amicitia futurum, non potes illum contemnere, non potes non honorare, & tibi (si te ipsum in peccatis & infirmitatibus tuis consideres) non præferre. Sequitur autem: Sitis (quod verbum, ut alia quedam hic sæpius subaudienda sunt.) Itaque sitis sollicitudine non pigri, pro vestra aliorumque salute nihil negligentes eorum, quæ ad salutem pertinent. Sitis spiritu feruentes, ut nihil tepidum aut remissum sit in vobis: & Domino, non priuato amori, aut proximorum adulationi seruientes, ut quicquid feceritis, in eius gloriam faciatis: Sitis etiam spe gaudentes, ut non ad præsentia, quæ videtis, sed ad futura quæ expectatis, per fidem respiciatis in quorum honorum gaudeatis expectatione. Nihil enim felicius homine Christiano, cui regnum promittitur celorum. Quomodo autem expectatio poenarum aut tristium rerum generat merorem seu tristitiam, ita gaudiorum expectatio etiam in hac vita præbet lætitiā. Sitis igitur spe gaudentes, in tribulatione patientes, ut æquanimiter ea, quæ vobis occurrunt aduersa de manu Domini accipiatis, nullo propterea odio nullave ira in peccatiorem excitandi, ac haudquaquam murmuraturi. Quod in vobis ut fiat semper, sitis orationi, ne in tribulationibus deficiatis, instantes. Vbiunque enim humanum deficit, tum consilium, tum auxilium, vbiunque humana succumbit infirmitas, ibi diuinum auxilium oratione præcipue implorandum est. Nec iam dicta vobis sufficiant, sed estote præterea sanctorum necessitatibus communicantes, ut illis honestè, non sicut his, qui à vobis stipem probrosè postulant, sed vltro alacriterque de bonis vestris, quæ necessaria sunt, impartiamini. Beneficentiæ igitur (ut alibi habetur) erga huiusmodi nolite obliuisci. Ad hæc hospitalitatis estote studiosi, iuxta illud, *Egenos vagosque, induc in domum tuam.* Quo non eos tantum, qui à vobis id rogant, sed etiam eos, qui nolunt, aut non præsumunt rogare, inuitetis, ut ad vos intrare consentiant. Benedicite persequētibz vos. Nolite illis, qui vobis sunt molesti, detrabere, nolite vlcisci, nolite denique indignari, scientes hæc, quæ ab illis patimini, vobis in fructum animarum esse vestrarum à Deo ordinata. Eteadē honorificationē repetens Apostolus, quo intelligamus, quam utile nobis, quam ædificatorium proximis, quam Deo denique sit acceptum pro malis bona reddere, ait: Benedicite & nolite maledicere. Gaudere vos decet cum gaudentibus, puta de illorum spirituali profectu, & flere cum flentibus. Neque enim de quouis gaudio stete proximatorum hoc debet intelligi, sed tunc solum gaudium vestrum iungatis gaudentibus, & flentibus vestras lachrymas societis, vbi proximi vestri religioso gaudent gaudio in Deo, aut vbi ea flent, quæ plangenda sancto sunt luctu, puta aut sua, aut aliorum peccata lugentes. Postremo, id ipsum sentiat, quo nulla

1. Cor. 16.

Hieron.

Hebr. 13.

Esaia 58.

inter

inter vos resideat discordia, nulla discensio. Nec alta sapiatis vnde tumeatis inflati cordibus & moribus, sed humilibus estote consentientes. Quod fieri non potest, nisi ipsi sitis quoque mites & humiles corde.

Matth. 11.

## EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM

Dominica. Joannis 11.

**S**upra triginta annos iam latuerat Iesus, humana præcipue ostendens, & nihil diuinum, ita vt filius putabatur Ioseph, & filius fabri à mundo, propterea quod nihil operabatur gloriosum, aut diuinitatis ostensuum, adeo vt nisi omni scientia & sapientia illuminata fuisset Maria, nihil mirum fuisset, si in fide titubasset, videns tanto tempore & tot annis filium nihil prædicare, nihilq; eorum propter que in mundi redemptionem venerat, operado decedove præ se ferre. Verum, hodiè suam manifestare cepit gloriam, mutado aquam in vinum, quo omnibus se Deum & vniuersorum probaret conditorem, qui sicut creaturas ex nihilo facere, ita vnam in aliam posset mutare. Nobis autem fidelibus hominem se monstrauit & Deum. Conuersabatur enim inter homines homo Deus, edebat homo, bibebat homo, sed miraculum agens, hoc est, aquam mutans in vinum, ostendit se Deum. Huius igitur primæ ostensionis suæ refertur hodiè miraculum in hunc modum.

Lucæ 1. & 3.  
Matth. 11.  
Marc. 6.

Batuch 7.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi.

Legimus Dominum Iesum nuptijs interfuisse hominum, legimus quoque, quod mater erat Iesu ibi, virgineum vt pote Domini templum, & illibatam sancti Spiritus sacrarium. Venerat enim Dominus colligere filios suos dispersos, atque adeo misericordem ac perbenignum sese omnibus ostendit, quo omnes sibi attraheret. Non est mirum igitur, quod iuit ad nuptias, qui ad conuiuia sedit publicanorum & peccatorum. Nobis quoque vbi similis cum Christo datur occasio, cum gentibus non prohibetur inire conuiuium, præcipue si nostræ fidei, si aliorum conuersioni, si denique Dei cultui charitate suadente ita congruat.

Ioan. 11.

Matth. 9.

Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias.

Obserua, quod Iesus vocatus est ad nuptias, non erat absq; ratione. Haud dubiè nuptiæ hæc probatissimorum fuerunt hominum, qui inuitarunt Christum, quando nondum omnibus eius nomen fuit notum. Vnde coniecitur sponsum aut sponsam consanguineam fuisse Christi. Creditur enim à multis sponsum fuisse Ioannem Iesu consobrinum, & matris Iesu Mariæ fororis filium: quare refertur Mariam fuisse ibi, nimirum quasi vnam de præcipuis consanguineis. Neque enim legitur inuitata vt Christus, quare datur intelligi, quod vna fuit ad quam pertinebat simul curare de nuptijs. Nonnulli volunt quoque Ioannem hic sponsum vocatum esse à nuptijs, secutum esse Christum, mansisse virginem: & idcirco à Christo familiarius dilectum. Putatur quoque à nonnullis Ioseph hac vita defunctum, & Christum in custodia habuisse suam matrem. Neque enim hic, neque postea Iosephi est memoria, vnde vixisse credatur. Sunt autem in hoc Euangelio multa, quæ ad pietatem nos instruunt. Primum, quod Iesus nuptijs interfuit.

Sponsum in  
hiscè nuptijs  
quis fuerit.

I.

M Quo

T. VI  
21

entes malum, adherentes bono: charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem praeuenientes, sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino feruientes, spe gaudentes; in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, fletis cum fletibus. Ipsam inuicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

## PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM

**H**abentes donationes secundum gratiam, &c. Vbi proxima dominica defuit epistola, hic hodierna incipit, eundemque sensum continuat ibi relictum. Vltimum autem illius fuit epistolae, quod vnum corpus multi sumus, singuli autem alter alterius membra. Quod sic intelligendum est, ut quomodo in vno corpore multa sunt membra, diuersos actus habentia, vniuscuiusque tamen membri opus officiumque non pro seipso exercetur tantum, sed alijs quoque membris aequè ut sibi seruit. Verbi gratia: quomodo oculus in corpore non sibi tantum, sed alijs quoque membris videt, ita nemo hominum sibi natus est tantum, nec dona gratiasque gratis datas, & singularia Dei munera alia, quae tam bonis, quam malis sunt communia, pro se diuina accepit, sed ut alijs quoque membris illa communicans, diuidat. Sumus enim singuli huius corporis membra (ut dixi) habentes singularia quoque dona differentia secundum gratiam, quae vnicuique puta alteri maior à Deo, alteri minor est collata, quae in vtilitatem aliorum membrorum conuertenda sunt. Sive enim prophetiam quis habuerit ad praenoscenda, vel obscura, vel futura, in hoc alijs sit membris tanquam in corpore oculus prophetans, futuraque prauidens mala, quae ab alijs caueantur. Verum haec prophetia fiat secundum rationem fidei quo nihil fidei contrarium, nihil extra regulam fidei sapiat aut loquatur: Sive habuerit quis ministerium, alijs vtilem se faciat ille membris in ministrando. Sive quis doceat per hoc quod erudit alios, sit membrum vtile corpori & membris ijs maximè, quae docet. Qui verò exhortandi gratiam accepit, vtile se membrum faciat alijs in exhortando. Qui tribuendi copiam à Deo accepit, tribuat in simplicitate, nihil ab illis repetens, sed propter Deum etiam seipsum impendens. Aut ita: Qui tribuit id faciat in simplicitate, non propter vanitatem, aut gloriam, aut aliud aliquid, sed purè propter Deum. Qui praestit à Deo constitutus rector aliorum, praestit & vtilem se alijs membris praebat in sollicitudine, quam pro alijs gerit. Qui miseretur afflicto, & compatiens beneficio eidem subuenit, id faciat in hilaritate, certus quod ea quae dedit, non amiserit, pro exiguis recepturus maiora. Dilectio, Dei scilicet & proximi, in nobis sit sine simulatione, sicut Ioannes monet: *Non diligimus* 1. Ioan. 3. *verba neque lingua, sed opere & veritate.* Simulata enim aequitas (teste Augusti- August. no) duplex est iniquitas. Omnis autem dilectio, quae non est secundum Deum, simulata & ficta est. Sitis (inquit) odientes malum, in vobis & in proximis vestris. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Adhaerentes bono, adeò ut nulla vos possit tentatio auellere. Sitis quoque inuicem dili- Psal. 10. gentes,

L. 4: gentes,

inter vos resideat discordia, nulla discensio. Nec alta sapiatis vnde tumeatis inflati cordibus & moribus, sed humilibus estote consentientes. Quod fieri non potest, nisi ipsi sitis quoque mites & humiles corde.

Matth. II.

## EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM

Dominica. Joannis II.

**S**upra triginta annos iam latuerat Iesus, humana præcipue ostendens, & nihil diuinum, ita vt filius putabatur Ioseph, & filius fabri à mundo, propterea quod nihil operabatur gloriosum, aut diuinitatis ostensuum, adeo vt nisi omni scientia & sapientia illuminata fuisset Maria, nihil mirum fuisset, si in fide titubasset, videns tanto tempore & tot annis filium nihil prædicare, nihilq; eorum propter que in mundi redemptionem venerat, operado decedove præ se ferre. Verum, hodiè suam manifestare cepit gloriam, mutado aquam in vinum, quo omnibus se Deum & vniuersorum probaret conditorem, qui sicut creaturas ex nihilo facere, ita vnam in aliam posset mutare. Nobis autem fidelibus hominem se monstrauit & Deum. Conuersabatur enim inter homines homo Deus, edebat homo, bibebat homo, sed miraculum agens, hoc est, aquam mutans in vinum, ostendit se Deum. Huius igitur primæ ostensionis suæ refertur hodiè miraculum in hunc modum.

Lucæ 1. & 3.  
Matth. 11.  
Marc. 6.

Batuch 7.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi.

Legimus Dominum Iesum nuptijs interfuisse hominum, legimus quoque, quod mater erat Iesu ibi, virgineum vt pote Domini templum, & illibatam sancti Spiritus sacrarium. Venerat enim Dominus colligere filios suos dispersos, atque adeo misericordem ac perbenignum sese omnibus ostendit, quo omnes sibi attraheret. Non est mirum igitur, quod iuit ad nuptias, qui ad conuiuia sedit publicanorum & peccatorum. Nobis quoque vbi similis cum Christo datur occasio, cum gentibus non prohibetur inire conuiuium, præcipue si nostræ fidei, si aliorum conuersioni, si denique Dei cultui charitate suadente ita congruat.

Ioan. II.

Matth. 9.

Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias.

Obserua, quod Iesus vocatus est ad nuptias, non erat absq; ratione. Haud dubiè nuptiæ hæc probatissimorum fuerunt hominum, qui inuitarunt Christum, quando nondum omnibus eius nomen fuit notum. Vnde coniecitur sponsum aut sponsam consanguineam fuisse Christi. Creditur enim à multis sponsum fuisse Ioannem Iesu consobrinum, & matris Iesu Mariæ fororis filium: quare refertur Mariam fuisse ibi, nimirum quasi vnam de præcipuis consanguineis. Neque enim legitur inuitata vt Christus, quare datur intelligi, quod vna fuit ad quam pertinebat simul curare de nuptijs. Nonnulli volunt quoque Ioannem hic sponsum vocatum esse à nuptijs, secutum esse Christum, mansisse virginem: & idcirco à Christo familiarius dilectum. Putatur quoque à nonnullis Ioseph hac vita defunctum, & Christum in custodia habuisse suam matrem. Neque enim hic, neque postea Iosephi est memoria, vnde vixisse credatur. Sunt autem in hoc Euagelio multa, quæ ad pietatem nos instruunt. Primum, quod Iesus nuptijs interfuit.

Sponsum in  
hiscè nuptijs  
quis fuerit.

I.

M Quo

T. VI  
21

- Gene. 1.** Matrimonium à Deo institutum & commendatum à Christo.
- Galat. 5.** Virginitas quam sit excellens virtus.
- Hieron.**
- 1. Cor. 7.**
- Hieron.**
- Ioan. 19.**
- Matth. 6.**
- Luc. 14.**
- Matth. 9.**
- Matth. 8.**
- Luc. 14.**
- Matth. 19.**
- II.**
- Quo statum voluit commendare matrimonij in paradiso institutum, & quamdiu sub velamine agebatur veteris testamenti (virginitatis gloria nondum propalata) celebrem. Nam in nouo quoque testamento ita laudatam esse voluit virginitatem, vt non damnaret statum conjugalem, sed licitum & bonum ostenderet. Virginitas quidem coniugio est inferior, nec status ei adæquari potest conjugalis: atque idem in nouo testamento, quando spiritui magis seruire debemus quam carni, commendatione diuina coniugium egebat, quod sua Dominus præsentia corporali dignatus est honorare. Habet tamen virginitas honorem multo digniorem à Domino: quippe quæ summa cum laude etiam in coniugio potest obseruari. Neque enim desunt nobis exempla in Ioseph & Maria, in sancto Henrico & Cunegunda eius coniuge virgine. In beatissima quoque Regina Edildrida, Hunobronensium regis Ecgfridi coniuge, quæ cum duobus maritis conseruauit virginitatem, idque orando à maritis, quos alioqui multum amabat, impetravit. Hodie quoque coniuges, qui vel in continentia Deo seruiunt, vel in virginitatis proposito manserunt, inueniuntur. Quapropter inter nuptias & virginitatem tantum esse discrimen ait post Paulum Hieronymus, quantum est inter non peccare & benefacere, aut quantum inter bonum & melius. In nuptijs enim sollicitudo est, quomodo vxor placeat viro, & vir vxori, & mens vtriusque diuisa est à Deo. Porro, *vi go & innuptia cogit at, qua Deum sunt.* sollicita quomodo pura inhæreat mente Deo. Dicit fortasse hereticus quispiam, Dominum non interfuisse professioni monachi, non monialis sua præsentia commendasse velationem, quo monachatum coelibatum ve calumnietur. Dic satis coelibatum à Christo commendatum, qui matrem habere voluit virginem, qui nisi virgini, Ioseph loquor, vt Hieronymus ait, & ab omnibus hodie creditur, eandem voluit esse desponsatam. Post cuius mortem ipse eius habuit curam, donec Ioanni virgini commendaret eandem. Qui denique sanctorum testimonio sponsum, cuius hodie interfuisse refertur nuptijs, virginem seruans à complexu sponsæ, & à carnalibus desiderijs abstraxit. Caterum, monachatum non vno in loco commendans docuit, dum illum perfectionem nominat. *Si vis, inquit perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus & sequere me.* Itemque: *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quis enim alius hodie suis renunciat bonis, Christumque sequitur, accipiendo suam crucem, abnegando seipsum, & faciendo se eunuchum propter regnum Dei, quam status monastici professores? Neque enim dicit Christus: *Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest esse Christianus, nec dicitur non potest esse saluus, sed non potest meus esse discipulus, id est, perfectus Christianus.* Itemque: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut agrum, & cetera, centuplum accipiet in hac vita, & vitam æternam possidebit.* Verum de hoc alias. Hic dixi nuptias à Christo honorari debuisse, ne altioris continentie gloria aded obfuscarentur, vt putarentur (quod à quibusdam factum est hærenicis) illicitæ. Secundum quod hic ædificat, est, quod Dominus non interfuisse legitur nuptijs diuitum, sed pauperum ac honestorum. Nihil enim in his aduertit potest nuptijs aliud, quam honestas, sobrietas & paupertas. Modica enim vini prouidentia ibi erat, Ided sequitur:



*& gemitus meus à te non est absconditus.* Hic quæri potest, quare nunc ad primum hoc miraculum excitauit mater filium? Quare non ante eadem fuit vsa pietate pro impetrandis miraculis? Dicendum, hæcenus Christum se habuisse, vt alij se habent homines, salua tamen modestia & religio sitate, nihil quæ ostendisse in se, quo Deus esse probaretur. Quamdiu igitur se latere voluit, non inducit illum mater ad miraculum, nec prodere antequam vellet, illum tentauit. Porro, vbi modo cœperat manifestari (Nam à Ioanne receperat testimonium, quod esset agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quod esset filius Dei, & aliquos iam discipulos susceperat) cognouit Maria manifestandæ tempus adesse diuinitatis. Quintum, quod nos instruit, non facile aut leuiter petenda esse miracula aut expectanda, quandoquidem duriores in respondendo se exhibet Christus matri sollicitanti pro miraculo. Idè sequitur:

Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.

Ioan. 1.

V.

Naturas duas probari in Christo.

Duas naturas sub vnitæ personæ constat inesse Christo, vnam diuinam, alteram humanam. Vnde iuxta vtramque naturam, quædam conueniunt Christo. Quemadmodum igitur homini diuersa conueniunt, secundum diuersa (Siquidem intelligere conuenit ei propter animam. Hoc enim non ex corpore, sed ex anima habet homo. At verò edere aut bibere conuenit homini ex corpore) sic pari modo miracula facere Christo conueniebat secundum naturam diuinam, quam accepit à Patre: pati verò & mori competit eidem Christo iuxta humanam naturam, quam recepit à matre. Itaque roganti matri vt miracula faceret, respondit: Quid mihi & tibi est mulier, scilicet commune? Nihil à te accepi, vnde meum sit miracula facere: sed vnde possim pati, mihi tecum commune est. Ibi te cognoscam matrem, dum tempus patiendi mihi aduenerit. quæ tamen hora nondum venit, ac si diceret: Non hanc naturam qua miracula facio, ex te recepi, sed illam qua sum mortalis & passibilis. Cuius hora dum aduenerit vt pariar, apparebit quid ex te sim. Aut secundum Chrysostomum. Vini cura neque ad me, neque ad te pertinet, sed ad eos qui nuptijs præsumt. Quid mihi & tibi est mulier de hoc curandum? Si tamen vis vt succurram, nondum hora adest qua subueniam. Oportet enim primum manifestare defectum, vt miraculum, Dei beneficium agnoscat. Quod quo magis fuerit necessarium, tanto etiam magis erit gratum. Volunt nonnulli nihil vnquam beatam petijisse virginem à Christo, quod negauerit ille. Nec mirum. Habuit enim donum sapientiæ, imò dona Spiritus sancti omnia, quo siebat, vt nihil non rationabile, nihil quod Deo displiceret, rogaret. Hic sexto instrui mur beneficia esse conferenda prudenter, puta eo modo & tempore, vt agnoscantur beneficia. Quicquid enim beneficiorum non roganti offertur, gratis sæpe numero impenditur, nec beneficium agnoscitur. Vt ergo ingrati tudinis vitio is cui benefacere statuis non inquinetur, non imprudenter fit vt egenis necessitas (tametsi prærogare ex misericordia beneficium alioqui velis) expectetur. Homines enim ingrati non sentiunt, neque agnoscunt sibi beneficium, nisi omni auxilio & spe destituti iam non habeant, vbi sperare possunt.

Ioan. 19.

Ioannes Chryso.

VI.

Beneficia in quos conferenda sint.

Beneficia in quos conferenda sunt. Quicquid enim beneficiorum non roganti offertur, gratis sæpe numero impenditur, nec beneficium agnoscitur. Vt ergo ingrati tudinis vitio is cui benefacere statuis non inquinetur, non imprudenter fit vt egenis necessitas (tametsi prærogare ex misericordia beneficium alioqui velis) expectetur. Homines enim ingrati non sentiunt, neque agnoscunt sibi beneficium, nisi omni auxilio & spe destituti iam non habeant, vbi sperare possunt.

sint. Quamobrem prudenter sit, ut ijs quibus etiam bene volumus, benefi-  
 cium tam diu differamus, donec beneficium hoc agnoscant. Hoc modo  
 Christus miraculum prorogavit, donec necessitas, nec aliud consilium ad-  
 fect. Postulabat hoc etiam ratio miraculi. Quippe quod non aliter agnosce-  
 retur miraculum, nec aliter edificaret, nisi postquam auxilium aliud defe-  
 cerit omne. Septimum quod nos instruit, est, quod ubi Christus decrevit  
 facere miraculum, per Mariam voluit impetrari, ut nos doceret, nos inui-  
 tarer, nosque alliceret ad venerationem suæ matris. Quo voluit quoque  
 dedicamus ea que petimus, interuentione piissimæ dilectissimæque matris  
 esse nobis impetranda. Discamus oportet nos indignos qui exaudiamur  
 agnoscere, matris huius piissimæ interuentioni nos, causasque nostras com-  
 mittere. Ipsa enim nunquam non exauditur, quam filius in omnibus hono-  
 rat. Videatur hic fortasse quibusdam durum, quod non magis dulciter, ami-  
 cabiliterve Iesus sit suæ locutus matri, nominans eam generali vocabulo  
 mulierem. Dicendum, beatam virginem miro feruore amoris erga filium,  
 hoc est, erga Deum suum vulneratam, quæ in Canticis, *Vulnerata*, inquit, Cant. 4.  
*charitate ego sum*, ad eum ut corpore non nunquam (ut quidam volunt) debilis  
 fieret. Eam ob rem Christus materno vocabulo sæpè abstinuit, proinde  
 cum ipse post magna charitate & pietate ingenti stantis sub cruce curam ha- Ioan. 19.  
 beret matris, quando maxime tamen nostro iudicio suæ benignus dulcis-  
 que esse debuisset matri, non matrem, sed mulierem appellauit, cordis eius  
 sciens teneritudinem, quod facile ruptum fuisset, si vel paulo dulcius ma-  
 trem eam nominasset. Sic modo quoque cum pietas matris vehementer sibi  
 placeret, non tamen benignitate est usus verborum, ne pietate affectam fer-  
 uentius accenderet, & vnde corpore langueret, occasionem daret. Octa-  
 uum quod nos edificat, est fides constans Mariæ. Quomodo enim credit  
 certa eum hoc posse, credidit etiam ipsum hoc velle, alioqui nihil eidem de  
 vino suggestisset: & postquam durius sibi filium audierat respondentem, ni-  
 hilo tamen secius credidit illum beneficium daturum. Quamobrem de fi-  
 lio certè nihil que hæsitans, in fide loquitur ministris, ut sequitur:

VIII.

Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, fa-  
 cite. Erant autem ibi lapideæ sex hydrice posite secundum pu-  
 rificationem iudeorum, capientes singule metretas binas vel  
 ternas. Et dicit eis Iesus. Implete hydrice aqua. Et impleue-  
 runt eas vsque ad summum.

Vides, quia mater nihil hæsitans futurum expectat miraculum? Vides ne  
 quoque quam benigniter filius suæ condescendit obtemperatque matri? Er-  
 rant autem ibi sex hydrice posite replete quidem manè aquis, sed inde pro-  
 lauantes interim exhausta erat aqua, ut tunc non essent plene. Erat enim  
 consuetudo iudeorum crebrius se lauare iuxta suas traditiones, quare in il-  
 lum usum, & hydrice ibi posite erant & aqua, ut loturi paratam semper in-  
 uenirent aquam. Quapropter ut notius fieret miraculum, dicit ministris  
 Iesus: Implete hydrice aqua. Capiebant autem singule metretas binas vel  
 ternas. Metreta mensuræ nominant genus iuxta illius regionis consuetudi-  
 nem, ut si diceretur hic, duo aut tria quartalia, aut aliquid huiusmodi, &

M. 3. imple-

impleuerunt eas vsque ad summum. Quot Dominus Iesus hic habuit ministros, tot eosdem habuit & miraculi testes. Est autem non vile miraculum, quo ipsius virtute ipso sedente, tacente, ac ita fieri tantum volente, aqua in vinum mutata est.

Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino.

**IX.** Hic nono instruit nos Dominus Iesus in hoc, quod architriclino primum gustandum vinum misit, deferre his qui præsunt honorem, quod Apostolus quoque monet Paulus, dicens: *Cui honorem, honorem*, hoc est, cui honorem debemus, demus honorem, *ut vult g. l. velligal* impendamus. Neque enim personarum est hæc acceptio, si vnusquisque iuxta suum statum & viuendi gradum tractetur. Nam & his qui in officio, in potestate, aut in honore à Domino sunt constituti (*Per me enim inquit, regnant Reges, &c.*) debemus tanquam à Domino Deo constitutis honorem impendere. *Omnia enim potestas à Deo est, & qui potestati resistit, orationi diuina resistit.* Et qui, inquit, bene præsunt, duplici honore digni sunt. Simus ergo humiles, & nihil in oculis nostris, quibus si vlla debetur salus, hæc à sola gratia & beneuolentia speretur & expectetur Christi.

1. Cor. 12.

1. Tim. 5.

2. Reg. 6.

Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset: ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primo bonum vinum ponit, & cum inebriari fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque ad huc.

Hæc omnia Christus sponso prædicere potuisset, sed noluit propterea, vt ignorante sponso, ignorante nuptiarum præposito architriclino, vnde hoc venisset vinum, perscrutatio fieret seruorum necessaria. Quibus vt res gesta erat responderibus, ex bonitate id Christi didicerunt gloriosè quidem, sed sibi misericorditer factum miraculum. Hic itaq; congruentior erat modus miraculi euulgandi, quo pedetentim multis interrogatis, & discussis veritas, tacente Christo, tacente eius quoque matre, elucesceret.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli eius.

Hoc primum certè Christi astruitur miraculum, in quo sicut mirabile est Dominum Iesum (quem ad prædicandam sobrietatè voluptatemq; confutandam, & contemnendam in mundum constat venissi) voluisse hoc primo miraculo totum illud conuiuium exhilarare optimo vino, ita satis dictum non potest, quantum humanis necessitatibus pronus sit subuenire. Nam vt hoc faceret miraculum, nulla vrgebat viuendi necessitas (Hæc enim tunc ibi aberat) sed sola tuendæ verecundiæ famæque honestas. Hoc autem piissimò cordi Iesu sufficiebat, vt gloriam hoc miraculo commendaret Patris, & ad salutem veniret hominum, quod & factum est. Nam non solum perfectius in eum crediderunt posthac discipuli, sed multis quoque alijs hoc miraculum credendi occasio in Christum fuit, qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*De gloria contemnenda, & cuiusmodi siue conuinci siue esse debeant conuicia.*

**M**anifestauit gloriam suam. Ioannis II. Latuit Dominus Iesus triginta annis in hoc mundo, quibus ut filius Ioseph putabatur inglorius, Luc. 9. nec illi præ ceteris hominibus aliquid ascribebatur. Post hoc autem signum, quod eius signorum omnium initium fuit, dicit Euangelista, quod Esaie 52. manifestauerit gloriam suam. Certè scriptum est: *Gloriam meam alteri non dabo. Solum igitur Deo debetur omnis honor & gloria.* Quapropter Christo licuit 1. Tim. 3. manifestare suam gloriam. Nemini autem nostrum id licet, ut quærat suam gloriam. Vndè enim homo agnosceret sibi deberi gloriam? Vndè gloriari quis potest? *Quid habes quod non accepisti? Cur igitur gloriaris quasi non acceperis?* Quicquid ex te, aut à te habes, peccata sunt, de donis autem tibi collatis gloriari non potes. Siquidem Dei dona tua non sunt, sed Dei. Pro his gloriam Deo debes. Nónne igitur vanissimum est in huiusmodi gloriari quæ aliena sunt, quæ nescis quoque quam diu tecum sunt? Quare quisquis suam gloriam querit, quisquis usurpat sibi, seipsum in hoc quærens, furatur Deo hanc. Est autem duplex gloria: Mundana & quasi carnalis una, spiritualis altera. Gloriam blasphemiam accipit. Sunt enim qui gloriantur in diuitijs, in vestibus, in potestate, in pulchritudine aut sapientia. Sed horum gloria nulla, neque enim hæc omnia in quibus gloriantur, eos iuuare possunt, aut liberare in die mala. Nihil hic tecum permanet, recedunt à te cuncta etiam te nolente. Imò potius tu ipsa desereres, & ab illis recedes, vel nolens. Propterea Prophetæ auscultandum est momenti: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur diues in diuitijs suis, sed in hoc gloriatur qui gloriatur: scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra.* Non igitur in vlla re caduca, neque etiam in amicis ponas spem tuam, neque in vlla creatura glorieris, nisi in Domino Deo tuo, omnis enim creatura mendax est & fallit. Hoc vitio laborasse videtur Hiezechias, qui nuncijs à rege Babylonis ad semissis omnia ostendit, quæ erant in domo sua, 4. Reg. 19. Esaie 38. hoc est, quæcunque habebat pretiosa. Verum, Dominus illum oburgans ei per Prophetam prædixit omnia hæc transferenda in Babylonem. Est autem gloria inanis spiritualis, quæ ex contemptu mundanæ gloriæ nascitur. Gloria inanis periculum est qua. Verbi gratia: Quia diuitias fortasse & honores reliquisti, quia mundum & gloriam mundi contempsisti, incipis iam tibi placere, & quasi rem magnam feceris, nec nisi paucis imitabilem, in teipso gloriari: item si tentatorem omnium honorum superasti, puta de luxuria, degula, alioque vitio te instigantem, de victoria gloriaris, atque quod tam fortiter restiteris, tibi placet, tibi blandiris, & fortasse hoc non alijs esse non cupiens, propterea in teipso magis gloriaris. Vndè sæpè fit, ut qui ex vitijs non potueris superare, ex virtutibus infirmes. Hoc namque vitium inter omnia maximè latet, quandoquidè ex profectu atque ex mortificatione vitiorum aliorum nascitur. Vbiq; occurrit homini virtutum studio. Si ieiunas, adest, si cantas, adest, si palam facis laude quid dignum, vult ab alijs id videri, si hominum aspectum declinas, de humilitate tibi blanditur, & nihilominus quasi inuitum te op-

M. 4. tas de-

T. VI  
21

Bernard.

1. Reg. 16.  
Aduersus  
vanam glo-  
riam reme-  
dium.

Matth. 4. 16.

Marc. 8.

tas deprehendi. Reliqua vitia vel ætate, vel infirmitate, vel assiduitate pug-  
næ aut fatigantur, aut prosteruntur, vt minus seuiant. Hoc vitium, quo-  
ties aliud vitium superas, ex victoria crescit, nascitur ex sua morte. Com-  
paratur hoc idcirco hydræ serpenti, cui vbi vnum caput amputaueris, plura  
repullulant. De hoc vitio expugnando pulcherrimum sermonem scribit  
Bernardus Deo deuotissimus, de victoria Dauid cõtra Goliath Philistæum,  
alludens ad huius pugnæ similitudinem, quod Dauid humilis iactabun-  
dum Goliath interemit proprio illius pugione. Hoc modo vanam hanc  
gloriam quoque docet superandam, verbi gratia: Si hac peste fatigaris &  
vbique gloriandi materia, vbique tibi fuerint insidia posita, arguas teip-  
sum, iudices quæ superbissimum, à quo nihil procedat superbia non inquit-  
matum. Dic te omnium bonorum destructorem, omnium gratiarum Dei  
per superbiam tuam euacuatorem. Dic te Deo ingratisimum, qui ex donis  
Dei superbis, qui pro Dei beneficijs contumelias rependis. Mirare pacien-  
tiam Dei, qui superbissimum te tanta longanimitate tolerat. Hoc modo vbi  
te hostis diabolus, aut naturale hoc vitium tuum eleuare, vt tibi placeas, aut  
in te glories, persuadere nititur, inde teipsum humiliandi, contemnendi,  
odiendi, atque non aliter de teipso, quam de superbissimo aliquo sentiendi  
materiam sumas. Inde fiet vt teipsum superbium iudicando humilis fias,  
inanis quæ gloriæ appetitum gladio suo, id est, materia quam ministrat, puta  
si viliter de te sentias atque iudices te superbium confodias. Sunt qui nimi-  
um passione hac fatigantur, adeo vt nihil efficere possint, absque vanæ glo-  
riæ pulsu, nihil tentare. Sunt præterea, qui etiam pusillanimes fiunt ad in-  
choandum perficiendumve opus aliquod bonum, quare mox vbi bonum  
aliquod cœperint, admouet se vana gloria, quæ suum quid ibi querere  
molitur aut stabilire. Inde conterriti non audent in ceptis bonis pergere  
ad perficiendum, & retrahunt manus iam bene operantes. Tentat enim va-  
rijs modis diabolus, vel vt hac peste vitiosos & infirmos sibi subijciat, vel vt  
innocentes à bonis studijs impediatur, quem enim fallere non potest vt sibi  
placeat, nec vt oculis placere quærat alienis, hunc têtando perplexum facit,  
vt nihil audeat boni facere, ne gloriæ vanæ, laudatum aliquid faciendo,  
feruire videatur. Quem igitur non potest inducere ad peccatum, nititur per  
timorem, ne peccet, impedire à bono. Haudquaquam igitur hoc modo pro-  
fliganda est vana gloria, vt pro huius euitatione à captis bonis desinas, sed  
vt potius gloriam ipsam vanam contemnas. Optimum igitur contra va-  
nam gloriam remedium est, vt primum firmissimo pacto statuas in animo  
tuo, nihil contra humilitatem, nihil ex vana gloria agendum, non vt quic-  
quid cum appetitu inanis gloriæ suggeritur, mox contemnas, sed vt gloriæ  
appetitum contemnas, vt eo animo quo suggeritur, id est, ex motu inanis  
gloriæ nihil facias. Sit igitur propositum tuam firmum atque constans,  
per vanam gloriam nihil agere, sit etiam simile propositum propter timo-  
rem vanæ gloriæ nihil velle omittere, sed studia bona continuare, inten-  
tionem facere rectam, & sibilos illos vanæ gloriæ contemnere. Dic passio-  
ni huic vitiosæ, illam exhibens. Propter te hoc opus non faciam, neque et-  
iam intermittam, faciam autem id quod facturus sum propter amorem Do-  
mini mei Iesu Christi. Vade retrò Satana. Vana itaque gloriæ contemptus  
est ne-

est necessarius, ut tam vilem passionem minoris aestimes, quam ut propter illam facias quicquam, aut propter illam vitandam boni aliquid intermittere. Sentire motus vanæ gloriæ non est rationis, sed sensualitatis, consentire vero est rationis. Quamobrem nihil tibi damnationis est, sed in virtutis tibi vertitur exercitium, si impugnaris. Neque enim sentire idem est, quod consentire. Si tibi illusionem aut phantasias vanæ pateris gloriæ, displiceant tibi & nihil propterea, quod alioqui non esses factururus, agas, sed & propterea quod eras factururus bonum, haudquaquam postponas. Hæc obiter dicta sint, quare legimus quod Dominus Iesus manifestavit gloriam suam. Hic manifestare potuit, quia humilis & mitis est corde, hic potuit manifestare, quia illi soli debetur. Manifestavit autem in signo hoc, quo mutavit aquam in vinum, & in alijs miraculis inde sequentibus. Miraculum hoc factum est, de quo præfens ait Evangelium, dum annum ætatis suæ agere Iesus inciperet tricesimum primum in die Epiphaniæ. In eodem die, anno superiori, quo Christus annum incipiebat tricesimum, fuit baptizatus idem à Ioanne. Quo die etiam primo suæ natiuitatis anno idem Dominus à tribus fuerat Magis visitatus. *Nuptiæ igitur factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi, ut mulierum vna ad quam pertinebat disponere de nuptijs. Vocatus est autem Iesus vel ideò, quod consanguinitate esset sponso iunctus, vel quod religio, ac eius sanctimonia mundo iam incipiebat manifestari, atque in opinionem venire hominum. Narrabatur enim Ioannis testimonium de eo, euulgabatur, quæ Nathanaeli secreta atque ipsius abscondita nunciauerat, & quod discipulos colligebat. Quia igitur mundo iam notus fieri incipiebat, vocatus est ad nuptias, ut propter sanctitatis ipsius præsentiam nuptiæ timentium Deum benedicerentur. Inde quoque factum est, ut rationale matri videretur Iesum Filium suum inducere ad miraculum faciendum, quo fidelium horum ac piorum hominum, qui vocauerant Iesum, consolaretur remunerareturque deuotio. Ingenti namque compassione pijsima Iesu mater mota ad bonos illos homines, qui filium suum honorauerant, cum eis videret vinum deficere, filio locuta est, vini defectum, simulque sponsi & sponsæ verecundiam eidem nuncians. Quod tamen paucissimis effecit verbis, nihil de eius Omnipotentia hæsitans, nihil de illius dubitans charitate ac pietate, quem confidentissimè credebat facturum, quod ipsa subindicabat: adeò ut precem iungere superfluum illi videretur. Simul tamen etiam nobis ostendere voluit se, quæ tam sollicita fuerit vel vtrò circa egestatem alienam, quam prompta, quam diligens, quam compatiens denique nobis sit, in necessitatibus nostris spiritualibus inuocata. Quam benignè pro nobis loquatur, quam fideliter roget, quam efficaciter impetret, quam demum misericorditer, quod impetrauerit, nobis impartiat. Considerandum hic Christum venisse ad nuptias, quo honoraret matrimonium, quod est Ecclesiæ sacramentum. Significat enim coniunctionem Christi & Ecclesiæ, significat quoque vnionem Christi cum qualibet fidei anima, maxime autem significat vnionem verbi cum humana natura. Duæ enim naturæ, puta diuina & humana, in vnâ personam in Christo vnitæ sunt. De nuptijs carnalibus si cum Dei agantur timore, verum est illud: *Honorable connubium in omni* *ho, & thoru immaculatu.* Cuiusmodi autem esse debeat connubium seu ma-*

Matth. 11.

Lucæ 3.

Matth. 2.

Ioan. 2.

Ioan. 4.

Hebr. 13.

Matrimo-

N trimo-

nium quale esse debeat. I. trimonium, aut in voluntate contrahendi, hoc est, in intentione, aut in conjunctione, aut in conuictu, paucis dicam. Primo enim necessaria est pura sanctaque intentio, vt vir vxorem ducat, aut femina nubat viro præcipue propterea, vt prolem, proles ve accipiat, quas in Dei timore & ad diuinum cultum erudiat, & quantum in se est, cogat: cupiens Dei honorem & colentium Deum numerum in hoc augere. Hac est præcipua sanctissimaque intentio, & contrahendi & consummandi matrimonij. Est alia intentio similiter licita, non tamen pari gradu meritoria, vt quis contrahat cum vxore, quo refranare se possit ab illicito concubito fornicario, aut ediuerso. Ita enim loquitur Paulus, quamuis id non dicat iuxta imperium, sed iuxta indulgentiam: *Vnusquisque vir vxorem suam habeat, & vnusquisque suum virum habeat, propter fornicationem, scilicet vitandam.* Hac intentione firmata, quæ præcipua sit, quæ moueat ad contrahendum, si aliquid tunc sinistra coinciderit, puta vt formosam malit, quam deformem vxorem, diuitem quæ egenam (modo Dei contemptricem & facinosam nolit) veniale est, aut si modo licito Deoty subiecta voluntate id optetur, potest (vt spero) absque omni peccato desiderari. Secundo, in conjunctione opus est, vt in Dei timore coniungantur timentes & orantes Deum, à quo sibi detur, vt illi primum mereantur coniungi, nec aliter nisi in Deo se diligere, atque cuncta quæ sibi eueniunt, omnia quæ faciunt, in Dei beneplacitum ac gloriam dirigere proponant. Legant conjunctionem Tobia: iunioris & Sara: sanctorum coniugum. Septem enim viros, qui Saram propter eius pulchritudinem iniqua concupiscentia duxerant, prima nocte dum illi vellent concumbere, daemon interfecit. At verò dum iunior Tobias venisset eius cognatus (cui secundum legem debebatur ipsa vxor) cui ex Angeli iussu est coniuncta, & quia vt instruebatur ab Angelo, fecit Tobias, nihil mali passus à damone est. Nec solum non est correptus, verum etiam improbo spiritu penitus fugato accepit virginem cum timore Domini. Hoc autem eo factum est modo. Tobias dum audisset Saram viris subindè septem nuptam, & eosdem ad vnum viros omnes à damone mox præfocatos, eam propterea accipere recusabat, ne sibi quoque id ipsum contingeret, timens. Quare ab Angelo hortatus est dicente: *Audi me, & ostendam tibi qui sunt quibus præualere potest demonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excutiant, & sua libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, habet potestatem demonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* Et paulo post: *Transacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus.* Hanc Angeli exhortationem Tobias diligenter audiens, cum ad virginem esset sponsam introductus, eandem hortatus est, dicens: *Sara exurge, & deprecemur Deum, hodie, & cras, & secundum iras, quia hodie tribus noctibus Deo iungimur, tertia autem transacta nocte, in nostro coniugio erimus, sicut quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum. Surgentes autem pariter instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur ei. Dixit quæ Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, &c. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuria causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedixit tui nomen tuum in seculum.* Sic locutus est Tobias ad suam sponsam,

T. VI  
21

sum, scilicet in Dei timore illi coniunctus est. Cuiusmodi nuptiarum formam  
 videntur omnes, hortandi sunt. Terrio, in conuictu coniuges se opus est  
 vt integrè sancteque diligant. Nihil tamen coniugis est amore faciendum,  
 quod Deo displiceat. Amor hic & concordia coniugum si fundatur in Dei  
 amore, leuem facit omnem tribulationem. Qui si coniugibus defecerit,  
 nullæ eos consolantur diuitiæ, nulli honores, nulla denique felicitas terre-  
 na. Debent itaque simul coniuges viuere vt in nulla re alteri alter consentiat  
 contra Deum, in reliquis omnibus concordet. Seipfos mutuo ad virtutum  
 profectum, ad obseruantiam præceptorum, tam Dei, quam Ecclesiæ, ad om-  
 nem iustitiam, ad omnem misericordiam, ad iniuriarum obliuionem, ad  
 continentiam, ad deuotionem bonis persuasionibus cohortentur. *Vir, vt in-*  
*quit Apostolus, vxori debitum reddat, & vxor viro.* Laudandus tamen est vter-  
 que, si alter eorum, cui continentia magis placet, licitam aliquam occasio-  
 nem alteri non petendi debitum aut præbeat, aut continendi, salua tamen  
 semper obedientia & iure vtriusque. Contentionum & irarum materia  
 alter alteri amoueat, offensum placet, statuta Ecclesiæ & ieiunia iuxta suum  
 statum obseruent. Itaque debet vxori maritus dilectionem sicut corpori  
 suo, debet instructionem (propterea iubet Apostolus mulieres, si quid discer-  
 re volunt, domi viros suos interrogare) debet correptionem ex charitate  
 procedentem, debet regimen & directionem, præsertim in rebus magis ar-  
 duis, debet pacificam, socialemque cohabitationem, ad extremum carnalis  
 debet debiti solutionem. Pari modo vxor viro post illius amorem & ho-  
 norationem debet subiectionem & thori fidem. Non tamen decet virum  
 suam habere vxorem vt ancillam, nec dirè ei dominari, sed agnoscere con-  
 sortem, eamque vt sororem modeste dirigere, consolari & consilia cum ea-  
 dem sua tractare. Sciant coniuges debitum posse reddere absque vilo pecca-  
 to propter obedientiam, posse etiam exigere cum merito causa prolis, aut  
 causa fornicationis euitandæ in se, aut in altero. Informentur, si ita libidi-  
 nosè alter miscetur suo coniugi, vt simili modo, cuiusque alteri paratus  
 foret extra coniugium copulari, non discernens inter vxorem & mulie-  
 rem, aut inter virum & maritum, peccare eos mortaliter, quia vir vtitur sua  
 coniuge, non vt coniuge, sed vt meretrice, & mulier viro non vtitur vt vi-  
 ro, sed vt lenone. Si tamen ex libidine conueniant, ita tamen, quod neuter  
 eorum consentiret in carnalem actum extra matrimonium, nec limites iu-  
 ris coniugalis, nec naturæ ordinationem, legesque diuinas excedant, non  
 sunt dicendi peccare mortaliter. Videant tamen & in secreto moneantur  
 coniuges, quando quidem tam multa scæda, inordinata, & iuxta coniugij le-  
 ges inueta atque contraria sæpenumero exercent (maximè vbi fuerint iu-  
 uenes & libidinosi) absque timore Dei viuentes, qui suis spurcitijs & abo-  
 minationibus grauius offendunt Deum, quam si eadem extra coniugium  
 agerent. Vbi verò Dei fuerit timor, hic docet in omni statu, quomodo sit,  
 viuendum. Propterea vos hortor omnes, vt timeatis Deum, horrentes il-  
 lum offendere, qui est benedictus in secula, Amen.

1. Cor. 7.

1. Cor. 14.

**N**olite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes charissimi, sed dare locum ira. Scriptum est enim: *Mibi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed et si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum, in Christo Iesu Domino nostro.*

Deut. 32.

## PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Rom. 12.

Matth. 10.

1. Pet. 4.

Prover. 6.

1. Pet. 3.

Matth. 5.

Luc. 6.

**H**AEC epistola eundem sermonem, quem superiori dominica audistis, continuat. Vbi enim prior epistola finit: *Non ait a sapientes, sed humilibus consentientes*, ibi hodierna incipit: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*. Vbi non omnem prudentiam insectatur, quandoquidem scriptum: *Estote prudentes sicut serpentes*. Et Petrus dicit: *Estote prudentes & vigilate in orationibus*. Sed hanc prudentiam reprobat, quæ est apud seipsum. Itaque vbi tenacitas proprii est sensus, ibi nulli consilio acquiescitur, vbi consilium proprium placet, ibi est prudentia apud seipsum. Dicit itaque Paulus in epistola: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, seu in æstimatione vestra*. Nolite vobis prudentiam arrogare. Qui enim sibi ipsi prudens esse videtur, hic cum arrogantia stultus est. Nulli malum pro malo reddentes. Qui enim malum pro malo retribuit, aut simile, aut gravius peccatum admittit. Ille enim qui alteri malum prior intulit, fortasse malum, quod intulit, malum esse nesciuit. Hic autem qui malum reddit, hoc ipso, quod ad vltiscendum se parat, probatur malum sensisse, quod lædenti se reddere tentat. Hoc idem Sapiens monet: *Ne dicas, reddam malum pro malo: Expecta Dominum, & liberabit te*. Et Petrus ait: *Non reddentes malum pro bono, sed e contrariò benedicientes*. Christus quoque: *Benefacite*, inquit, *his, qui oderunt vos*. Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Non satis sit vobis, inquit, synceram bonamque habere coram Deo intentionem, nisi & provideatis, quantum in vobis est, ut quod facitis, id proximo abique scandalo sit. Non tamen hoc necessarium est, ut opera vestra hominibus placeant, sed opus est, ut à vitio specieve mala sint aliena, ne scandalizent. Et quamvis difficulter fieri possint, quantum tamen fieri potest, & quantum ex parte erit vestra, cum omnibus pacem habere. Difficile enim non erit in pace esse iustis: ab omnibus autem pacem habere, & omnium sentire charitatem, vix possibile est. Nam verba iustorum & opera sunt iniquis contraria. Maximè autem, quia haud rarò coguntur boni peccata reprehendere aliena, dissentire, repugnareque voluntatibus aliorum: quare non possunt non offendere. Verum si aliena corda turbantur, quantum ad vos attinet, inquit, vestra sint corda in pace. In qua tunc rectè sunt, cum propter

Deum

T. VI  
21

Deum ab omni cauetis offensione proximi, quando charitatis iura proximo servatis integra, quando quicquid illi deberis, exsoluitis, quando denique propter Deum ubi oportet hominem offendere, non timeas. Est enim ex charitate odium, non quidem odium, sed zelus, qui odium sanctum, aut perfectum dicitur, propterea quod iniquitatem odiat. De quo in Psalmo: *Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi.* Hoc odio etiam offenderat homines, qui dixit: *Perfecto odio odieram illos*: puta iniquos. Quod nisi faceret, in pace non constitueretur. Sed audi quid sequitur: *Inimici facti sunt mihi.* Propterea dicit Paulus: *Quod ex vobis est, pacem cum omnibus habeatis.* Ut videlicet iniuriosa omnia causatis, charitatis ubi oportet, impendatis officia, nec quando debetis eruditionem correptionemque negligatis, à peccantibus dissentientes omnibus. Quod si persecutionem propterea patiamini, audite Paulum quid moneat: *Non vosmetipsos sitis defendentes charissimi, quia & contentiones, rixæ ac pugne ad nihil aliud, nisi ad subversionem audientium profunt.* Vestrum quidem est neminem lædere, sed si quis vos lædere voluerit, date vos locum iræ. Cedite hosti, ac finite illum, quam voluerit in vos iram explete. Scriptum est enim: *Mibi vindictam & ego retribuam.* Non prohibet tamen velle, si tibi iniustitia fiat, ut hoc ab eo, qui debet, puniatur, sed ut vlciscendi animo neque velis, neque reddas cuiquam malum. Neque enim fas est, ut appetas vindictam, sed delinquentis correptionem. Iussi namque suos magis cupiunt inimicos corrigi, quam puniri.

Sed audi benignum corrigendi modum: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, porum da illi.* Et hoc modo similia in alijs eius indigentis fac illi. Hoc enim faciens congeres carbones ignis super caput eius, id est, in mentem eius vrentes accumulabis cogitationum stimulos. Dolebit enim se iniuriam fecisse ei, à quo bona recipit, indeque ipsum lucraberis, ut deposito odio te diligit. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Cum malo, hoc est, cum vitijs non tantum permittitur nobis, sed iubemur etiam, ut pugnemus saltam, non vincamur. Certamen bonum est pugnaque salubris, quo tu bonus vitio & malo te opponas. Quod si victus fueris, & malo confenseris, iam duo erunt mali. Itaque si tibi displicet malus, noli fieri malus, noli illum imitari, sed vince in bono malum. Erga hominem patientes esto, & patientia vince malum. Nam si tua patientia inimicum, aut iracundum feceris mitescere: Si mansuetudine tua, ut iniuria persequutione ve abstineat, illum induxeris, malum vicisti.

## EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM

*Dominica. Matthæi VIII.*

**A**n te Evangelium huius dominicæ legitur Dominus Iesus ascendisse in montem, in quo octo beatitudines, hoc est, legis Evangelicæ perfectionem docuit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* *Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram,* & reliqua, in quibus nobis perfectionis constituit regulam. Siquidem opus sibi à Patre commissum, quo ovem perditam recuperaret, quoque dispersos Dei filios congregaret in vnum prædicando exordiebatur, propter quod in mundum missus venerat. Idcirco posthac sibi non pepercit manè & serò prædicans.

N. 3. vadens.

2. Cor. 5.

vadensq; de ciuitate in ciuitatem, de loco in locum, quo tempus nobis ad se nunciaret acceptabile, tempus euangelizaret salutis, exhiberet se mundo lumen, inuitaret nos à tenebris ad lucem, vt ambularemus in semitis eius. Postigitur illum, quem in monte fecerat sermonem, ijs, quæ prædicauerat, adhibere voluit testimonium, & prædicationi suæ facere fidem apud auditores, quo verbis suis veritas, virtus & salus inesse crederetur, de monte ad facienda miracula descendit. Miracula enim & signa, quæ fecit Dominus Iesus, sunt tanquam sigilla in literis, quibus confirmatur veritas prædicationis eius. Quamobrem; *Si non*, inquit, *opera fecissem, quæ nemo alius facere potuit, peccatum non haberent, in me scilicet Iudæi non credendo.* Item quæ: *Opera quæ ego facio illa testimonium perhibent de me.* Item: *Si mihi non creditis, operibus credite.* Itaque de monte descendens Dominus duo mox parauit miracula, quæ Euangelium recitat hodiernum. Dicit itaque Euangelista:

August.

Ioan. 15.

Ioan. 10.

Ibidem.

Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

In hoc monte sermonem Dominus de perfectione benè longum tenuit, duob; est miracula operatus. Mons enim ille nō fuit Oliueti, sed mons quidam Galilææ, fortassis mons Thabor. Secutæ sunt autem eum turbæ multæ. Alij vt diutius illum audirent, perfectiusq; ab eo instruerentur. Alij propterea, quod in eius pulchritudine, in venustissimis eius moribus, in suauissimæq; eius conuersatione delectabantur. Quidam etiam ex vanitate sequebantur, quo perciperent noua. Alij ex necessitate, vt curarentur à languoribus suis.

Et ecce leprosus quidam veniens adorabat eum dicens: Domine si vis, potes me mundare.

Leuit. 13.

Pulchrè miraculi post sermonem occasio datur, vt supernaturalem eruditionem Christi operatio confirmaret supernaturalis. Si enim mala docuisset, si mendacium esset locutus, nullo modo Deus faciendo miraculum testis foret eius mendacij. Leprosus iste non interfuit sermoni Domini in monte, quia secundum legem à populo excluderetur, credidit tamen secundum aliquos Dominum Iesum Messiam, Christum atque Deum, idè adorauit eum, dicens: *Domine si vis, potes me mundare.* Nondum viderat miraculum, sed fama inuitatus eruditionis Christi opem sibi ferendam ab eodem petiuit. Vide tamen, qua modestia vitur ac sapientia, suam petitionem in Domini transferēs arbitrium, desiderio suo ante insinuato. Dicit enim: *Domine si vis, potes me mundare.* Quasi diceret: Domine, tu recisti cælum & terram, & omnia, tu omnia potes. Voluntas tua, ipsa est potestas tua & opus tuum: opera enim tuæ obediunt voluntati. Te aliquid velle, est perficere. Ego quidem desidero mundationem lepræ, sed nolo tibi esse molestus, nolo tuæ esse voluntati contrarius. Nescio quid tibi placeat, quid mihi expediat, ambiguus sum, nisi quod tuæ voluntati obedire certissimam scio esse mihi felicitatem. Quicquid igitur vis, erit mihi id ad salutem, erit mihi bonum. Vnde si vis, potes me mundare. Veruntamen tuæ id prouidentia committo. Desiderium quidem meum tibi manifesto, at illud tuæ voluntati subijcio. Videte quam plenus est fide, qui nullo adhuc viso miraculo Dominum credidit.

Hebr. 11.

T. VI  
21

dit Omnipotentem, ei se commisit vt sapientissimo, vt benevolentissimo  
 sibi subiecit. Nihil de potestate dubitat, nec de eius habitat bonitate, idcirco  
 non pro sua orat emundatione, sed orandi tantum desiderium, & impetrā-  
 ti salutem indicat. Si vis, inquit, potes me mundare. Credo quia tu es, qui  
 Nahaman Syrum mundasti à lepra. *Quis enim potest alius facere mundum de*  
*mundando conceptum semine? Nōne tu qui solus es?* Potes igitur non solum à Deo  
 impetrare mihi sanitatem, vt Prophetæ fecerunt sancti, sed potes, si vis, ipse  
 me mundare. Subest enim tibi, cum volueris posse. Disce hic orandi formā,  
 disce quam resignato debeas animo accedere ad orādum Deum. Vide etiam  
 quam verecundē suum insinuat leprosus hic desiderium. Postremò, vide  
 quam utilis illi fuerit infirmitas. Indè enim motus est querere Iesum. In-  
 dè motus est Iesum adorare. Indè est motus Iesum confiteri Deum. Recedē-  
 igitur Psalmista dicit: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.*  
*Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Nouit hoc  
 benignissimus Pater, quid suis expediat filijs. Vbi enim corda sentit dura,  
 vbi mundanis inuenerit rebus atque amoribus corda nimis implicata, solet  
 illis plerunque mittere aduersitates, per quæ ad se redeant arumosi, quo-  
 niam venire nolebant sani. Hoc est verbum illud, quod in alia parabola ser-  
 uo mandat Dominus, qui cenam fecerat magnam, dicens: *Compelle intrare,*  
*vt impleatur domus mea.* Pro hac charitate singulares sunt Deo gratiæ agenda,  
 quod non sinit te licentiosè iuxta desideria tua viuere, atque impunè pecca-  
 re, sed iuxta Prophetam, sepit viam tuam spinis, vt cum velis, non præua-  
 leas etiam peccare, ne peccandi vias antiquas inuenire possis. Obices e-  
 nim & impedimenta vijs & desiderijs tuis opponit, puta infirmitates, igno-  
 miniam, paupertatem, calamitatem, qua errantem reuocet, hallucinantem  
 sistat, pereuntem reducat atque restauret. Propterea idem dicit Psalmogra-  
 phus: *In chamo & frano maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

4. Reg. 5.  
Iob 14.  
Sapient. 11.  
Psalm. 35.  
Psalm. 82.  
Lucæ 14.  
Osee 2.  
Psalm. 34.

Et extendens Iesus manum tetigit eum, dicens: Volo, mun-  
dare:

Quis Iesum dubitet mundationem agere potuisse leprosi sine tactu ma-  
 nus? Quod & paulo post fecit cum seruo Centurionis, quem solo natu pro-  
 nunciavit sanum, nisi qui non perfectè credit in eum? Voluit tamen sape-  
 numero vti humanitate tanquam medio atque organo quodam ea, quæ di-  
 uina sunt virtutis, & quæ ad nostram spectant salutem, operans. Nihil præ-  
 terea mireris, quod Dominus leprosum tetigisse legitur, cum in lege sit Mosi  
 prohibitus tactus leprosi. Quia Christus non erat legi subiectus, sed Domi-  
 nus legis, nec præceptum hoc in Christo hic habuit locum. Prohibitum e-  
 nim erat non tangere leprosum, ne tangens inquinaretur. Christus verò nō  
 potuit inquinari, sed tactu dextræ suæ lepram fugabat, quare tactus ipse non  
 fuit contra præcepti intentionem. Tetigit etiam Dominus leprosum, tametsi  
 absque tactu beneficium præstare potuisset, vt superbiam nostram, aut ni-  
 mis delicatam consuetudinem argueret, qui infirmos nimium horremus,  
 docens nos neminem debere spernere, neminem non consolari.

Math. 8.  
Exodi 29.

Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide,  
neminem dixit.



Non solum lepra corporis, verum etiam animæ ei ablata est, puta interioris hominis. Vide, inquit, nemini dixeris. Hoc intelligendum est, vt nemini se dicat mandatum, nec euulget miraculum, antequam à sacerdotibus agnoscat iudiceturque mundus. Noluit enim cæcis, hoc est inuidis, quantum in se erat, scandalum præbere Dominus Iesus. Videtis humilitatem Domini Iesu, qui potuit leprofos mundare, quomodo omnes depellere potuit morbos, tamen noluit eos, quos curauit (vbi exigebatur sacerdotum iudicium) absque iudicio eorundem, vt mundos haberi, sed diuinam suam quoque virtutem (quæ operabatur miracula) iudicio subiecit sacerdotum: quando quidem quos diuina virtute ipse curauit, sacerdotum iudicio adhuc examinandos, an verè scilicet mundi essent, subiecit. Potest autem & alius quoque hic esse intellectus, quare nemini voluerit dici miraculum. Certè quod omnes videbant (turba enim erat ibi hominum maxima) non potuit latere. Quo ergo attinebat, vt prohiberet miraculum seu beneficium diuinum nemini dicendum? Credendum est, aut ante iudicium sacerdotum, vt dixi, nemini se ostentare, iactare ve debere pro mundo, aut illud præceptum non fuisse prohibituum, sed indicatum & instructiuum. Quare eius non fuerit voluntas mandato præcipere, vt taceret, sed nobis omnibus indicare, quod manifestari non cuperet, nec hominum gloriam affectaret. Potuit sustinere, vt homines miraculum scirent, nunciarentque ad animarum suarum ædificationem, sed prohibendo euulgari, id solum voluit, vt scirent sibi à gloria vana (*cui soli omnis debetur gloria*) timuerit, sed quia nobis metuebat, ne imponeret nobis gloria inanis, auferetque boni operis à nobis omnem fructum. Ideò docuit nos, cum bona opera fecerimus, non esse gloriæ audios, sed potius desiderare nos manere in occulto & absque gloria, quam manifestari aut laudari, tamen si opus factum sit in publico. Non ergo hoc modo præceptum erat, vt occultaret, nec manifestans delinquebat, sed nobis ex verbis his: Vide nemini dixeris, eruditio inferebatur, vt appetamus non prædicari aut laudari.

Matth. 3.

1. Tim. 1.

Sed vade, ostende te sacerdotibus, & offer munus tuum, quod præcepit Moses in testimonium illis.

Sacerdotes te videant & iudicent, qui si mundum videntes, te inter homines viuere decernant, ac mundum pronuncient. Hic Christus nos sub lege gratiæ viuentes docet, quanquam ipse sit, qui nos mundet à lepra peccati, idque per contritionem, quæ sæpenumero, vt debet, præcedit confessionem, nihilominus tamen mittimur, quamuis coram Deo mundati, ad sacerdotem, cui nostra confiteamur peccata. Quibus auditis, & perspectis nobis, an plaga hæc lepræ, hoc est, an voluntas peccandi in nobis curata sit, iudicat nos mundos, & iustos pronunciat.

Cum intrasset autem Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans & dicens:

Lucæ 7.

Capharnaum ciuitas fuit ac metropolis Galiliæ. Quod verò accessit ad eum Centurio, non intelligendus est in sua persona accessisse, sed Iudæorum seniores misit legatos, vt Lucas ait, pro se. *Qui cum venissent ad Iesum, rogabant*

*hanc eum sollicitè dicentes: Dignus est, ut illi hoc præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse edificavit nobis. Quod lucidius, pauloque post in eodem loco monstratur. Sequitur enim, quod Centurio renunciari fecerit Christo: Membrum non sum arbitratu dignum, ut venire ad te. Per internuncios igitur loquens Centurio dixit:*

Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum.

In Luca dicitur eo processisse infirmitatem, ut naturali modo aliud non superesset, quam mori. Vide hic, quam fidelem se præstet Dominum Centurio, imò magis patrem, quam Dominum erga servum infirmum. Et ait illi Iesus, scilicet per internuncios: Ego veniam & curabo eum, hoc est, paratus sum venire ad domum tuam, & tuum curare servum, si vis aut optas. Non enim assertivè hoc loquitur Christus (quia futurum præsciebat, quod non esset in eius domum venturus) sed dicit id benevolentiam ostendendo, qua, si optaverit, paratus sit venire. Multæ huius Centurionis virtutes hic ostenduntur. Habuit enim magnam fidem. Nam credidit Christum etiam absente solo imperio infirmitates posse curare, utpote cui obedirent omnia, nec tantam grassari posse in homine infirmitatem, quam curare non posset. Fuit mirum in modum humilis, idèd ex humilitate ad Dominum venire abstinent, arbitrans se indignum (cum esset gentilis seu paganus) venire ad tam sanctum Dei. Non audebat alloqui, non audebat domo sua suscipere Christum, non quod non desideraret, sed quod indignum ad hoc se æstimaret. Habuit præterea magnam charitatem, qui tam ferventer, tam constanter, tamq̃ affectuosè rogavit pro suo seruo, quem præ ingèri dilectione puerum nominavit, non ignarus illius Ecclesiastici: *Servus fidelis sit tibi quasi anima tua.* Vide hic quoque humilitatem Christi. Rogatus à regulo, ad ipsius filium venire noluit: non rogatus ad Centurionis servum venire paratissimus fuit, adèd personarum haudquaquam acceptor. Christi responsione accepta, audiens quod ad domum pararet se Iesus venire illius, mox renunciat Centurio humillimè, dicens ut sequitur:

Centurio is virtutes quomodo sint imitandæ.

Eccle. 11.

Ioan. 4.

Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.

Sciebat Centurio, quam abominabile esset viro Iudæo in domum ire Pagani, idèd molestum nimis putabat Christo futurum, ut ad se veniret. Non dubium est Centurionem illustratione diuina fuisse imbutum, qui virtutes diuinas haberet infusas, utpote vir religiosus, bonus ac timens Deum, quem admodum de Cornelio in Actis Apostolorum legitur. Nam quod Iudæis synagogam edificauerat, indicabat, quod vnius Dei veri cultor, animosq̃ Iudæus erat. Explicat autem fidem suam plenius, qua credidit Christi corporalem præsentiam non esse necessariam, sed virtutem, hoc exemplo.

Act. 10.

Luc. 7.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites. Et dico huic: vade, & vadit: & alio, veni & venit: & seruo meo fac hoc, & facit.

O

Quasi

Quasi diceret: Haudquaquam id rogo, vt Dominus Deus meus fatigaret, aut humiliet se ad domum venire Pagani & incircumcisi. Neque enim id est necessarium, cum ex potestate, quæcunque vult operari, possit omnia, & hoc multò plus, quam ego, qui multò sum indignior, non Dominus, sed sub potestate humana maiori adhuc constitutus. Quia tamen sub me milites habeo, quando dico huic: vade, vadit: alteri si dico: veni, venit, & omnes mihi obediunt, quanto magis tibi & homines & Angeli obediunt, qui tuum exquantur beneplacitum?

Audiens autem hæc Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.

Audiens Iesus verba Centurionis, quæ sibi nunciabantur, miratus est, hoc est, ad modum mirantis se habuit, vt nos admirari faciat gentilis & incircumcisi hominis fidem, ostendatque nobis, quantum sibi placeat hominis Pagani huius fides, quantum Iudæorum contra displiceat infidelitas. Miratur igitur Dominus, quia mirandum nobis insinuat. Idem sequentibus se turbis dixit: Non inueni tantam fidem in Israel. Non putes Christum prætulisse Centurionis fidem fidei suæ matris, aut fidei Apostolorum, quia loquebatur de his, qui ex prædicatione eius generali credere cœperant, non de his, qui etiam ante eius prædicationem in illum credebant. Alio quoque potest dici modo Dominum sua verba voluisse intelligi comparatè, vt diceret se non tantam inuenisse in Israel fidem, quantam in Centurione. Dignum autem erat maiorem esse & inueniri apud Iudæos, quam apud gentes. Et tamen iuxta conditionem vtriusque plebis & singulis expensis, maior fuit fides Centurionis, quam Iudæorum, non simpliciter, sed collatus, quia maior erat pro gentili homine in sua sorte & conditione, quam Iudæorum in sua vocatione: hæc enim multò debuit esse maior, quam gentium, quia nondum erant vocati. Est autem similis locutio, quomodo si alicuius rustici laudetur prudentia, quæ maior sit, quam hominis docti, aut ciuium, ac philosophorum, hoc intelligeretur verum in genere suo, puta quod rustici prudentia in gente sua maior apparet, quam oppidani, aut philosophi inter ciues, aut sapientes, & doctior inueniatur rusticus, non inter philosophos, sed inter rusticos, quam philosophus inter philosophos.

Dico autem vobis, quod multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno caelorum. Filij autem regni eiciuntur in tenebras exteriores.

Dico autem vobis, quod multi venient ab Oriente & Occidente ad fidem per prædicationem Apostolorum, & per illuminationem spiritus diuini & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno caelorum: filij autem regni, quia non hi qui ex semine sunt Abraha, dicuntur filij, sed qui fide sequuntur Abraham, eiciuntur in tenebras exteriores. Filij regni, hoc est, Iudæi, & omnes vocati, quibus ex vocatione deberetur (si iuxta suam viuerent vocationem) regnum Dei: si suam vocationem negligunt, eiciuntur in tenebras exteriores. Ante cum intelligerent periculum suum, peccatis abstinent.

E. VI  
21

vere noluerunt, sed in tenebras inciderunt interiores, vnde quo ambulent, non vident, sed tenebræ eos comprehenderunt, quia odiunt lucem, amant verò suas tenebras. Faciamus nos aliter. Docent nos ambo, tam leprosus, quam paralyticus, hic ad medicum fugere, qui non minus paratus est mederi animabus, quam corporibus nostris. Propterea rogavit Dominum Psalmista: *Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Leprosus verò hic à Domino petiit munditiam. Cunctis ferè est hominibus naturale ac infirmum, diligere munditiam. Vide si non omnia optes munda? Mundam cupis habere vestem, mundum cibum, mundum lectum, vas mundum, domum & omnia alia munda. Quare non item animam quærimus mundam? quare cor non seruamus mundum & conscientiam? *Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Qui igitur immundo sunt corde, Deum non videbunt. Quotidiè igitur ad Dominum clamer vestrum vnusquisque: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Exterior immunditia corporalis nõ coinquinat hominem. Nam etsi omnia forent immunda externa, quamdiu anima non inquinatur, nihil refert. Placet Deo innocentia, placet etiam pœnitentia, vnde si non omnes seruamur mundi, saltem Deo reconciliemur mundandi.

Psalm. 40.  
Munditia quam sit optabilis.  
Math. 5.  
Psalm. 50.  
Math. 5.

Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

Pissimum cor Iesu nullo vnquam tempore in se potest confidentes deserere. Nam fides quæcunque poscit, impetrat. Nobis igitur qui multis circumdamur malis, & fides insuper modica est, expedit pro fide Dominum rogare. Quod Apostoli quoque fecerunt dicentes: *Domine adauge nobis fidem.* Quidam præterea filium suum Domino cum obrulisset sanandum ab eo audiuit: *Si potes credere, impetrabis.* Omnia enim *possibilia sunt credenti.* Qui procidens, *Credede, inquit, Domine, adiuua incredulitatē meam.* Hoc modo nos quoq; tametsi minor, quam æquum sit fides nostra, nobis augeri roborariq; fidem rogemus. Quæ vbi nobis adfuerit, haud dubiū quæcunq; desideramus, impetrabimus per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula, Amen.

Luc. 17.  
Marc. 9.

SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Quæ Christiana sit vita, quid Christum imitari, & cuiusmodi seruanda oratio.*

**C**um descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turba multa. Matth. VIII. Christus de monte sancto suo descendit ad nos, à summo enim cælo egressio eius. Vnde descendens *exinuit semetipsum formam serui accipiens, factus vt eum possent sequi turba multa.* Assumpsit enim naturam nostram in qua à nobis posset videri, audiri & tangi, in qua nos posset docere, & ad viam instituere salutis: in qua denique pro peccatis nostris posset satisfacere, posset pati & mori pro nobis. Tunc secuta sunt eum turba multa. Ante non potuerunt eum sequi. Postquam autem seipsum præbuit exemplum, & factus est nobis via, inuitat nos ad sui imitationem. Idcirco enim venit in mundum. *Quid est igitur sequi Christum? Post eum ambulare, & sicut ambulauit, ambulare.* Quomodo, inquis, ambulauit, & quo illum debemus sequi?

Matth. 8.  
Philip. 2.

O 2 Si quis,

rigetur,  
non id est  
& hoc  
sub po-  
tes ha-  
mili  
um ex-  
s fe di-  
el.  
atus est,  
is & in-  
ominis  
as. Mi-  
tibus se  
im præ-  
quia lo-  
at, non  
io quo-  
arauit,  
urione:  
ud gen-  
is, ma-  
llacit,  
Iudæo-  
ntium,  
licius  
iuum,  
ood ru-  
osphi  
hilofo-  
Occi-  
in re-  
s exte-  
fidem  
uinam  
autem  
fide so-  
est, lu-  
a viue-  
neur in  
s absti-  
nerit.

**Luc. 9.** *Si quis, inquit, vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.* Vides quia sui abnegatio, crucis susceptio & vitæ Christi imitatio sic Christiana vita, sic sequi Christum. Tria certè hæc sunt ardua, sed nobilissima tamen, quæ Christi hic faciunt discipulos & imitatores, haud dubium quin in vita futura etiam cohæredes, & regni confortes. Quid est inquit, abnegare seipsum? Attende & observa desideria tua. Vide quid te delectet aut afficiat, quid tu desideres aut concupiscas, ad quid inclinatum aut pronum te inuenieris. Si te delectant cogitare mundana, obscœna aut carnalia, si superba, vt honores officiaq; appetis. Si in illo, illo ve statu esse appetis, si noxia desideras, aut agenda, aut saltem cogitanda, abneges te, vt hæc nolis cogitare, repugna his omnibus, non acquiescas concupiscentiæ huic, aut delectationi. Dic Ego nolo hæc cogitare, nolo his desiderijs consentire, mala sunt, noxia sunt, & in interitum mergunt. Ite, ite turpes bestia, non audiam vos. Non faciam, Deus adiutor meus. Ite, Nolo vos, nolo. Quare quia Christo meo hæc displicent, quia Dominus Iesus hæc odit, hæc prohibet, quia Dominus meus Iesus hic pauper fuit & despectus, quia carnem suam hic affligens maceravit, non blandiens fouit. Eam ob rem ego Domini mei voluntatem sciens, & quid pro me passus sit, quid mihi prohibuerit, quid me docuerit, debeo me illi conformare. Nolo igitur cor meum huiusmodi immunditijs odiosis inquinare. Hoc modo faciendo te abnegas, quia non vis, non admittis quæ libenter velles, quia impugnas quæ diligis, propellit quæ desideras, vis carere his quæ appetis. Obserua præterea quid horres, fugis, quove libenter velis carere, aut exonerari. Si ad Christi est gloriam, noli hoc abijcere aut fugere, si tibi missum est, si iniunctum, sustine. Senti laborem te grauantem, habes quod te inquietat officium. Toleras, qui tibi est molestus hominem, audis tibi detrahentem: Et his omnibus velles aut liberari, aut carere, aut alijs imponi. Dic tibi ipsi: Haudquaquam. Tu non facies voluntatem tuam, non saties desiderijs tuis, quia Christus non venit facere voluntatem suam, sed Patris sui qui in cælis est. Christus pro te dura sustinuit, Christus odientibus se benefecit, odientes dilexit, pro te laboravit, fatigatus est, esurijt, sitiijt, in mortem vsque obediuit, & ego nihil sustinebo? Si Christus non venit facere voluntatem suam, quomodo ego tunc faciam voluntatem meam? Christus non suam, sed voluntatem fecit Patris, & ego non faciam voluntatem meam, sed Domini mei Iesu Christi. Si ipse ab hac me molestia liberare decreuerit, liber ero. Si liberare noluerit, si me aduersa sustinere voluerit, nec ego me liberabo, sed sustinebo & tacebo. Quis sum ego vt repugnem voluntati diuinæ? Quod ego nollem secundum carnem, iam volo secundum spiritum. Quod nollem alioqui propter me, iam volo propter amorem & beneplacitum Domini mei Iesu Christi. Ecce hoc est abnegare seipsum, frangere, negare sibi desideria sua. Portare verò crucem est omnem aduersitatem, molestiam, tentationem, laborem, infirmitatem, & contrarietatem quamcunque super te venientem, libenter accipere de manu Domini, hæc æquanimiter, & si non potes semper hilariter, ferre. Cogitanda est queuis tribulatio crux esse Domini à Deo tibi missa. Crux, inquam, est tua. Nec iuberis aliam quam tuam ferre crucem. Restat autem tertium, quod iuberis sequi Christum. Quid est sequi Christi-

**Rom. 8.**  
Abnegare semetipsum quid.

**1080. 6.**

**1080. 5.**

**Crucem portare quid sit.**

T. VI  
21

sum? Imitari eius vitam & actus virtutis, quibus te docuit & verbo & exemplo. Si auscultas loquentem, audis: *Discite à me. quia mitis sum & humilis corde.* Ecce hic verbo te docet, & ex suis moribus iuber descendum, quia oportet esse mitem & humilem corde. Vbi vita ac moribus hoc docet? Nusquam locus est, nullum tempus, quo id non exhibeat. In presenti Evangelio namque nonne humillimi ac mitissimi cordis erat, quod leproso: *Domine si vis, potes me mundare,* dicenti, continuò respondit: *Volo mundare.* Nonne humilitatis fuit & mititatis, quod leprosum benedicta sua manu tetigit? Quid tam à superbia alienum, quam quod ad Centurionis seruum accedere paratus fuit? *Ego ventum, inquit, & curabo eum.* Porro quando Iudæi illum calumniabantur, dicentes: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & deum non habes?* Respondit: *Ego demonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.* Quid humilius, quid mitius potuisset responderi? Quod voracem, potatorum vini, amicis publicanorum, & reliqua id genus nomina in illum blasphemum sibi usurpant, num propterea vnquam Dominus maiestatis irasci vilis est? Nunquam. Tacuit & nihilominus illis benefecit, qui de se mala loquebantur. Non indigeremus idcirco alijs multis libris. Vna vita Christi liber nobis esset informatio. Secuta sunt itaque Saluatorem turba multa. Refertur autem ibi quoque fuisse leprosus, qui omnium infirmorum speciem obseruat. Quomodo autem lepra corporalis est infirmitas, ita etiam quædam est anima lepra, quæ in corporali lepra significatur, nõ quemcunque peccatorem indicans, sed eum, qui est manifestus & alijs contagiosus. Sunt enim quidam peccatores, quorum colloquia mala bonos corrumpunt mores, quorum vita scandalizat, & quibus plerunque non satis est, vt ipsi impiè agant: nisi & alios secum ad peccata trahant. Hi sunt leprosi, atque propterea vitandi. Confortium enim illorum inquinat. Potest autem hic quoque vniuersum genus humanum, quod erat leprosum, intelligi. Quotquot enim ex Adam nascimur, ex parentibus infectis pariter & nos infecti originali peccato nascimur. Sumus ergo à regno calorum vt immundi excludi, nisi mundet nos Saluator noster Christus Iesus. Itaque leprosi nascuntur omnes, & nemo mundus à sordè. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens.* Clamauit autem natura humana, lepra scilicet infecta, per prophetas & in paribus: *Domine si vis, potes me mundare.* Non exigit debitum, sed gratiam erga se prouocat & beneuolentiam, quia misericordie est diuine, quod non sumus consumpti: multò maioris autem quod sumus redempti. Quando ergo sibi placuit, descendit ad nos de monte suo cælesti. Distulit incarnari, quia voluit primo morbum satis agnosci. Extendit dexteram suam, & tetigit nos. Quomodo naturam nostram tetigit? Quando incarnatus est, quando eandem sibi naturam, vniuit. Itaque mundauit nos, dicens: *Mundare.* Non verbo solo hoc dixit, sed opere & veritate. *Dilexit enim nos & lauit nos in sanguine suo.* Potest autem hoc modo de singulis peccatoribus exponi. Habemus nihilominus in hoc leproso, hoc est, in hoc infirmo, omnium infirmorum typum sanitatem optantium, & figuram modumque orandi. Nos enim cum infirmi sumus, non aliud clamamus quam: *O Domine vti-nam essem sanus, Ah Domine sana me.* O si tu scires, quanta tibi bona ad-

Sequi Christum quid sit. Matth. 11.

Matth. 8.

Ioan. 3.

Matth. 11.

Lepra mystica quæ sit.

1. Cor. 5.

Genus humanum vt fuerit leprosum.

Iob 12.

Esaie 1.

Thren. 1.

Apoç. 1.

Infirmis  
quæ bona  
adorat.

ferre infirmitas, nequaquam eandem tibi velis abesse. Potius orares: O Domine da mihi patientiam, ut æquanimiter sustineam infirmitatem. Vis scire quid tibi conferat infirmitas? Vide quando melior sis, id est, quando magis te à peccatis contineas, sanus an infirmus. Hunc igitur qui tibi salubrior est, statim dilige. Si infirmus es, primò à gulæ peccato liberaberis. Infirmus enim nec edendi appetitum habens, quomodo potest gulæ peccato labi aut falli, cum ex osium iam præ infirmitate habeat cibum? Aegrotum non desistant risus & gaudia, non est ei cura de vestituum præciositate. Multa denique quæ oblectare te solebant, ex infirmitate intereunt. Multa quæ desiderare solebas, fastidis. Dolores te premunt, & contemptibilis factus es. Nam ultra superbies, aut minaberis? Quando ergo sentis infirmitatem, meminisse debes, quod à Deo ad mundi ante cecideris amicitiam: quare vanitate aut iniquitate deliqueris. Inde ergo pissimus medicus te nititur reuocare. Quamobrem nullo est pacto ei resistendum. Dicendum potius: *Sana me Domine quia peccavi tibi.* Amouenda infirmitatis causa, peccatum. Hoc modo leprosus ille veniens, non audebat Dominum rogare pro sanitate, sed dixit: Domine si vis, potes me mundare. Tu quidem potes, sed ego sanitatem petere non audeo, quamdiu mihi tua est voluntas incomperta. Simili pene modo oradi, sunt vsq; Maria Magdalena & Martha. Lazaro enim fratre suo aegrotante miserunt ad Dominum IESVM, dicentes: *Domine quem amas, infirmatur.* Non rogant ut sanetur, sed infirmum significant, atque quid agendum sit de illius infirmitate magistro committunt. Sic orauit Mardocheus dicens: *Domine in ditione tua cuncta sunt posita. Si decreueris saluare, continuo liberabimur.* Hoc modo Christus quoque orauit, postquam naturæ humanæ infirmitatem ostendisset, qua optabat, si Deo ita placeret, non pati, subiungit quod in oratione erat præcipuum, & quod omnino volebat. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Itaque sunt quædam, quæ nobis non possunt nocere, de quibus etiam certum est ea placere Deo. Hæc licetè possumus omni tempore orare, vsq; sunt, veniam petere de peccatis, contritionem, emendationem vitæ, gratiam Dei, virtutes, beatitudinem & huiusmodi alia, quibus non possumus non bene vti. Hæc semper exaudit Deus, si perseveramus orantes. Etsi aliquando videamur nobis derelicti & à Deo proiecti, haudquaquam tamen derelinquimur, sed sæpenumero nos derelinquimus ipsos & Deum, hoc est, hanc partem hominis neglectam relinquimus, quæ erat in Deo. Modo enim seruenter oramus, paulo post adeo procul à Deo tendimus, ut prioris bonæ voluntatis vix moueat memoria. Quando ergo nos ab oratione deficimus, quando his pro quibus orauimus, aut quæ petuimus à Deo, contraria agimus, quomodo exaudiemur? Necessè est igitur in oratione perseverare, non ut semper ad orationem stemus, sed ut desideria sancta non deficient, prouidendum, ne ab oratione ad noxia & contraria labamur. Qui enim semper in desiderio est, semper orat. Qui semper Deum, Deique gratiam ac virtutes desiderat, quamdiu nihil ab his diuersum admittit, etiam dormiens orat. Differt tamen etiam interdum Dominus quod præstare vult, ut doni necessitas dignitasq; dantis, item charitas & suscipientis infirmitas plenius agnoscat. Non enim absque conatu & industria nostra vult Deus sua nobis dona infundere, ne ignoremus, à quo

Psalm. 40.

Joan. 11.

Esai. 13.

Math. 6.  
Marc. 14.

Orate quæ  
secutus pos-  
sumus.

Quis semper  
orat.

recepte

recepimus, magisq; efficiamur ingrati. Nec dona sua in nobis vult esse o-  
nosa aut carere fructu, sed terram nos esse vult bonam & optimā, quæ red-  
dit fructum centuplum. Vbi ergo orantes perseveramus, vbi omnem cona-  
tum nostrum expendimus, & agnouimus post vniuersos labores nostros  
pro virtute exantlatos, ex sola Dei misericordia nobis virtutem prouenire,  
laborem & conatum nostrum quidem à Deo requiri, sed ferè nihil hunc ni-  
hi ad agnitionē nostrī & humilitatem suffragari, ab omnipotentis verò ma-  
nu beneuolētissima omnia expectari, tunc à Domino in his, quæ nobis pro-  
sunt exaudimur. In secundo miraculo per paralyticum nobis homo ace-  
diosus significatur, qui acedia, hoc est fastidio tædioquē in diuinis suscepto,  
quicquid deuotionis est, nauset. Periculosa valde est hæc tentatio, & repi-  
dis familiaris. Quæ tepiditas multo magis est noxia, quàm frigiditas. Qui  
enim grauioribus & lætalibus peccatis tenentur captiui, interdum gem-  
unt sub oneribus, & agnoscunt suam captiuitatem, hi quoque sæpenume-  
ro humiliores sunt, citiusq; aut frequentius compunguntur, quàm tepidi &  
accidiosi, quia se agnoscunt peccatores, seipfos corrigunt, & feruentes ex pri-  
orum delictorum conscientia fiunt. Porro tepidi iusti, propterea quod nõ  
grauium sunt peccatorum sibi conscij, viuunt absque feruore, nec valde ti-  
ment, quasi sua innocentia cõtenti, ideo raro ad meliora proficiunt. Qui au-  
tem in eiusmodi veniunt tepiditatem sic perseverantes, ferè semper pericli-  
tantur, potissimum religiosi. Tædet enim eos tanquam paralyticos manus  
admouere ad bona opera. Grauar eos in oratione stare, laus eis est diuina in-  
spida, deuotionem nesciunt simplicitatē ridet. Quicquid pium est, fastidi-  
unt. Vbi possunt à templo, à choro, à sermone, & ab officio abesse diuino oc-  
casionem quarunt. Nouitates & rumores mundanos audire affectant. Hi et si  
alia peccata grauiora non habent, ipsa indeuotio, acediaq; ad grauem eis cul-  
pam imputabitur, quia in Dei seruitio se tam habuerunt infideliter, quam  
negligenter. De hac infirmitate in Apocalypsi cuidam Dominus facit nun-  
tiam: *Vtinam esses calidus aut frigidus* (hoc est, vtinam per deuotionem ferue-  
res, aut saltem frigidus, te peccatorem & reprobū agnosceres, citius tibi ap-  
propinquaret salus, quàm quod tepidus es) *sed quia neque calidus neque frigi-  
dus es, incipiam te euomere de ore meo.* Hæc tentatio non curatur fugiendo, aut  
occasionem euitando. Quanto enim te plus abstraxeris à deuotionis exerci-  
tijs, tanto semper sterilior, pigrior atque diuinorum eris fastidiosior. Si  
igitur vincenda est hæc passio, contra te ipsum te erigas oportet, & omnem  
occasionem quaras te stabiliendi in diuino officio, in pijs exercitijs, cogen-  
ditq; te ad studia deuota ac pia, licet inuitum. Hic te non cõuenit tecum dissi-  
mulare, sed inferre vim tibi ipsi, & nouis quotidie oneribus, acediam tuam  
grauare. Dic tibi ipsi: Tu stabis & manebis in hac missa in his vespers, in  
hoc sermone, etiam si catena te cogat cõstringere. Imo cum quod debes no-  
his, cogam te etiam facere plura quàm debes. Si vim itaque inculeris tibi ipsi,  
videbit Dominus certamen ac laborem tuū, & dabit victoriam tibi, vt ace-  
dia spiritus abs te abscedat, ad iunctusq; eius grata libereris per eum, qui  
pro te pendit inter duos dolores in cruce, Iesus Chri-  
stus Dominus noster benedictus in secula.

Amen.

O 4: DOMI-

F. VI  
21Paralyticus  
quid inuidentTepiditas  
quàm sit pe-  
riculosa.

Apoc. 3.

Quomodo  
curatur hæc  
tentatio.

DOMINICA V. POST DOMINI NATIVITATEM, Epistola B. Pauli Apostoli, ad Romanos XIII.

Exod. 10.



*N*emini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instruat. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Roma. 17.

**A**nte hæc verba Apostolus Romanos, imò & mortales cunctos pramonuerat, ut omnibus sua redderent debita. Cui tributum, tributum: cui vestigal, vestigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: & hoc modo singulis quicquid deberent, redderent. Nemini aliquid deberent, nunc reddendum: quia absque iniuria non sit, si alicui debeas aliquid & reddere posses, si non reddideris. Quo periculum peccatumque intelligitur, præcipuè horum, qui cum habeant quod debent, & liberare se possint, non tamen quod debere se fatentur, etiam soluunt. Grauatæ enim nimis ferunt à pecunia exonerari. Dicit itaque priorem sententiam confirmans: Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Cum enim alia fuerint à vobis reddita omnia, puta pecunia, vestigal, honor, timor, & id genus plura, vnum manet quod semper debetis, ut vos mutuo diligatis. Nullum namque tempus est, quo non debeamus nos diligere mutuo. Alia enim quæ debentes reddimus, à nobis transeunt ad alios, quibus damus. Charitas verò nunquam satis redditur, ut liberemus nos semel, posthac nõ dilecturi: sed manet debitum, ut quantumuis soluimus, quantumuis reddimus, semper æquè debitores maneamus, nec etiam charitas, cum reddimus eam, aut impendimus, à nobis ad alios transit, ita ut nos deserat, sed quo plus soluimus, eo plus retinemus. Est ergo sensus: Cætera omnia soluente, ut nihil debeatis. Charitatem autem ita soluente, ita effundite, ut semper eam habeatis & debeatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Charitas enim sola est quæ legem implet, sine qua lex nulla impleri potest. Nihil autem obstat, quod solam dilectionem proximi hic commemorat, quia dilectionem Dei neutiquam tacet, quisquis dilectionem mandat proximi obseruandam propter Deum. Non enim ea dilectio nobis proximi præcipitur, quæ ex affectione est naturæ, aut sanguinis propinquitate, aut sociali, familiarive contracta consuetudine, sed quæ propter Deum concipitur, fouetur & impenditur. Dilectio itaque proximi legem impleuit. Nam non adulterabis, quid aliud est quam proximum dilige? Qui enim proximum diligit, eius non debonestat vxorem. Itaque, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, nõ concupisces rem proximi tui: & si quod aliud est mandatum, impletur perficiturque in hoc verbo: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quis enim eius vxorem adulterat, quis illam occidet, quis ei furabitur, quis falsum contra illum testimonium

Dilectio proximi quæ præcipitur.

Exod. 10.

Matth. 22.

T. VI  
21

nium proferet, aliave iniuria, aut contumelia lædet, quem diligit? Omnia igitur hæc legis præcepta de dilectione proximi, in hoc vno coadunantur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quapropter quomodo te diligere debes, hoc modo etiam proximum dilige, puta ad virtutem, ad salutem, ad Dei honorem, ad iustitiam quoque: hoc est, quia iustus es, aut ut iustus fias te, ac proximum dilige. Dilectio enim proximi, malum nõ operatur. Caritas enim non peccat. Sed vide quæ dilectio sit caritas, ne alia quàm charitatis dilectione hominem diligens seducaris. His enim qui ex professione Dominum Deum solum volunt diligere. multa sese obijciunt, quibus fallitur, irretiturque animus ad diligendum, quæ sub fuce quidam se putant charitatis amare, ad quæ tamen caritas non trahit, sed carnalis, sensualis, naturalis, vitiosusque amor ut diligantur. Porro ubi vera est dilectio, ubi vera caritas, ibi plenitudo, impletio, consummatioque est legis, dilectio.

## EXEGETIS EVANGELII EIVSDEM

Dominica, Matthæi VIII.

Post leprosi & paralytici serui, scilicet Centurionis, curationem, ubi Petri à febris socrum curauerat, aliosque multos demoniacos & languidos, videns turbas iuxta se, voluit in alteram partem lacus transfretare, in omnibus volens nos docere, atque quomodo non solum in terra, sed etiam in mari potens esset miracula facere, cui quia Dominus erat vniuersorum, forent subiecta omnia, ostendere. Ait ergo Euangelista:

Math. 7.  
Luce 4.

Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.

Quod Christus ultra mare (sic enim quemuis lacum magnum aut aquatum congregationem Iudæi vocant) recedere voluit, quasi turbas fugiturus. non ideo fecit quod secreto loco, solitudineve posset iuari, sed nobis, ut alia omnia, hoc monstrauit in exemplum, quo turbas, hominumque aspectus vbicunque potuerimus, declinemus. Nobis enim timuit, ne popularis fauor, turbarum acclamatio, laus, gloriaque hominum imponeret: ideo in se docuit nos eligere secretum, & ab hominum occursum aspectuque nos subducere. Alia quoque potuit esse ratio (nihil enim nos non docere voluit) ut post multas fatigationes turbarum in alium secederet locum, ultra scilicet mare Galilææ, quo infirmitatem humanam requie interdum egeremonstraret, quomodo alibi Marcus illud suis dixisse refert: Venite seorsum in desertum, & requiescite pusillum. Voluit præterea Dominus hic præcipue prælatos & eos, qui aut docere, aut prædicare alijs solent, docere, quomodo, ubi necessitas est, alijs viuant, verum ubi satisfecerint alijs (quibus sua opera subuenerunt) sese ad se, hoc est, ad locum secretum, ad abstractam vitam atque mentis secessum recipiant. Neque enim alijs tantum, neque sibiipsis solum nati sunt, sed à Deo in curam, in regimen, & in ædificationem sunt in ultorum constituti, pro quorum eruditione & pabulo verbi Dei, ipsi quoque sapius redire habent ad pastum, hoc est, ad lectionum, orationum, meditationumque secreta silentia: ubi propriæ vacent conscientie discussioni, ubi deuotæ studeant compunctioni, & in seipsis discant quod alios sunt docturi. Sciendum autem nihil hic in terris Dominum egisse quod non doce-

P ret,

ret, quod non ædificaret, quod nobis non loqueretur. Humilitatis enim magister humilia nos vult libenter amplecti, quod suo nos propterea exemplo docuit. Siquidem nusquam nauem cortinis operitam, nusquam negotiatorum nauem aliquam sumptuosam, sed piscatorum tantum legitur nauiculas intrasse. Quo nos humilia, viliora quoque docet amplecti, ipse superbis atque pomposis.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt operiretur nauicula fluctibus, ipse verò dormiebat.

Voluit suam virtutem, omnipotentiãque monstrare nobis, cui omnia cogentur obedire elementa: idcirco fortasse, non naturaliter, sed eius dispensatione singulari tempestas in mari, hoc est, in stagno Genezaret, quod transibat, exorta est vehemens adeo, vt submersi fuissent, nisi à Domino id magno prohibitum fuisset miraculo. Voluit enim discipulos maris aduertitate, periculorum mortis exterreri, quo compulsi confugerent ad orationem. Est enim præcipuus hic stimulus reuertendi ad Dominum, eiusque opem querendi, dum tribulamur. Manifesta: hoc, qui dicit: *Exaudi me Domine quoniam benignus est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulus, velociter exaudi me. Intende anima mea & libera eam.* Propterea alibi quoque refert Psalmista: *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.* Ipse verò dormiuit, & vt alius habet Euangelista, in puppi super nauicula, in futuro miraculo virtutem ostendere voluit diuinam, ideo dormiendo naturam exhibuit humanam. Neque enim dormiuit secundum intellectionem, sed iuxta sensitiuam animæ portionem: idcirco non coactè aut inuitè, vt alij homines, qui somno solent obrui, sed sponte & deliberata ratione. Rationis enim iudicio & imperio voluntatis, corporalis natura sensitiuam animæ pars per omnia obediebat in Christo, tamen causa somni, à quibus oritur naturaliter somnus, puta vaporum ascensio in caput corporalisque naturæ fatigatio, verè fuerunt in Christo. Dormiuit itaque Dominus in naui dissimulans discipulorum metum atque pericula. Sciebat enim quid futurum erat, & eo perducebat eos, vt illos instruens sibi ipsi ostenderet. Irerunt igitur sentientes periculum, & importunitate quadam ad Dominum currunt.

Et rogauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. Dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei?

Domine, inquit, salua nos, perimus, hoc est, nisi tu nobis subuenaris, peribimus omnes à tempestate maris. At illis respondens Iesus: Quid timidi, inquit, estis modicæ fidei? Non omnino nullam habuerunt fidem de Christo discipuli, sed adhuc modicam. Nam timore inordinato timebant perire Domino Iesu dormiente. Dormiebat enim in naui Dominus maris, sed magis dormiebat in eorum cordibus. Quem excitabant, vt ipsius virtute tempestatibus imperante, maris euaderent pericula. Videtis quantula eorum erat fides. Domino credebant vigilantem, vt sub ipsius cura euaderent pericula: dormienti non confidebant, ideo excitabant quasi de periculis & tempestate maris nescientem, aut quasi fuisset

Psalm. 33.

Psalm. 115.

Matth. 4.

ius virtus & diuinitas somno oppressa. Quid timidi estis modicæ fidei? An vobis me dormiente quicquam euenire possit periculi, quod non eueniret me vigilante? An vigilans vos tueri possum, dormiens non possum? Quod si mors irrueret, nonne hanc constantissimè deberetis sustinere? Et quare ipsi non imperatis mari, vt quiescat? Si fidem haberetis, diceretis huic monti, Tollere, & mitte te in mare, & fierat, *Omnia enim*

*Marc. 16.  
Marc. 9.*

*possibilia sunt credenti.*  
Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

Surgit à somno, imperat ventis, hoc est, autoritate diuina præcepit eis, vt quiescerent, & facta est tranquillitas magna, tam magna, vt maior ante nunquam visa sit in mari. Quæ enim miraculo sunt diuino, magnificentiora, perfectiora quæ sunt his, quæ naturali sunt ordine. Facta est autem hæc tranquillitas subito, vt omnibus manifestaretur virtute facta diuina. Marcus ita refert: *Exsurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, & obmutescit.*

*Marc. 4.*

Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia mare & venti obediunt ei?

Mirantur hominem dormientem, Deum imperantem, creaturam obediens, ideo dicunt: Quis est hic, id est, quantus est hic, quia mare & venti obediunt ei? Hoc dixerunt illi homines. Qui fuerit hi homines? fortasse nauæ, aut discipulos vocat hic homines, quia nondum perfectè potentiam nouerant Saluatoris. Videre hic, quàm studiosè Dominus discipulorum, omniumque nostrum diligit queritque profectum. In naui dormire voluit, & quasi per somnum tempestatem non aduerteret, dissimulauit, quo discipuli exterriti, quod in cordibus eorum erat, tunc proderet, sibiipsis manifesti fierent, & seipsos agnoscerent corrigerentque imperfectos. Habemus hic instructionem, quod homo in necessitatibus, famis, pressuræ, aut alijs periculis aduersitatibusque constitutus (quibus seipsum iuuare non potest, nec habet, vnde iuuetur ab alio) non debet pusillanimis ac deiectus fieri, sed Deo se committere, Deum inuocare, Deo confidere, Deo se resignare & relinquere, quandoquidem discipuli non de timore, sed de fidei pusillanimitate hic arguuntur. Docemur quoque in omnibus cogare Deum. Dissimulauit enim dormiens, vt discipuli orarent. Hoc modo multis nos periculis exponit, vt cogat nos ad orationem. Quando enim (vt Iosaphat dixit) ignoramus, quid agere debeamus, hoc vnum nobis relictum est, vt manus nostras leuemus ad cælum. Per aduersitates igitur Dominus inducit in timorem & anxietatem, per timorem in agnitionem desperationemque infirmitatis nostræ, per desperationem nostri consilij reuocat nos ad considerationem diuinæ suæ bonitatis, ex hac consideratione rursus nos erigit ad spem & fiduciam erga se. Inde oritur nobis ad ipsum oratio, quæ nobis est utilis, tum propter humilitatem, quia de nobis dissidimus, tum propter fiduciam ad Deum, qua Deum honoramus bene de eodem sentientes. Hæc autè fiducia inde augetur in nobis, quando sentimus nos à Deo adiutos nostramque orationem auditam. Moraliter potest hoc Euangelium

*Confidere  
scilicet Deo  
committere  
quatenus  
quisque de-  
beat.*

*2. Para. 10.*

Nauicula vt  
designet pœ-  
nitentiam.

exponi, vt per nauiculam intelligatur pœnitentia, quia quisquis in eam intrauerit, ducitur ad portum salutis. Est autem pœnitentia adeo omnibus necessaria, vt nemo mare huius seculi transire possit, qui hanc non intrauerit nauiculam. Figurata est namque per arcam Noe, extra quam quisquis ad illam non receptus fuerat, vt periret, necesse erat. Hoc modo, quia peccauimus omnes, & nemo se dicere potest mundum absque peccato, nisi nauiculam hanc intrauerimus pœnitentiâ, peribimus omnes. Vita nostra quotidiana (verè & verè dico) nihil aliud est, nobis adhuc infirmis, nobis adhuc imperfectis, tamen pœnitentibus & bonæ voluntatis, quàm peccatum. Quid enim aliud agimus, quicquid agimus, quàm quod semper deficientes, nihil ad plenam iustitiam perfectum, nihil non inquinatum, imò nihil dignum

Deo offerimus. Nihil reuera vnquam agimus, de quo quod sanum, quod sit emaculatum, possimus gloriari. In quouis opere nostro inuenimus, quod doleamus, cuius pœnitamus. Aut enim nimium est, aut minus, aut aliud accessit vitiosum, aut in modo & ordine defecimus, aut certè non satis pura intentione moti sumus ad opus. Omnes igitur intrare hanc nauiculam pœnitentiæ necesse est: & omnes Christo nos miserante, Christo nos prosequente, Christo nos ducente oportet nauigare. Nauigando autè per hoc seculum, per huius vitæ pericula, per ambiguos anfractus, atq; per processus solas tempestates, & tentationum fluctus, non minus impossibile est tempestatibus aduersitatum, tentationumq; nos cœcuti, quàm eos qui nauigant mare. Contra enim eum, qui se parat ad Christi militiam, armatur non solum diabolus, verùm etiam mundus totus. Necesse igitur est eum, qui pœnitentiæ introire vult nauiculam, aut terrenis omnibus abrenūciat, hosti què diabolo simul ac carni suæ indicat bellum. Certissimū est enim, vt recedente à se

Exod. 13.  
Eccl. 2.

persequatur Pharao, siue mundus, siue diabolus cum omni exercitu suo, quomodo scriptum est: *accedens fili ad seruiturè Dei, st in timore Dei, & preparat animam tuam ad tentationē.* Alius enim, quod incipis relinquere mundi vani, & pœnitentiæ facere opera, te ridet, alius detrahit, alius obiurgat, alius dehortatur & dissuadet, alius te suo exemplo scandalizat, & e centum non inuenies vnū, qui te confortet, promoueat, extimuletq; ad bonum perfectio-

Tempestates  
mythice quæ  
sunt.

nis. Hæ itaq; tentationes vndecunq; veniūt, aut aduersitates, quid aliud sunt, quàm maris motus & tempestates? Hæ exurgunt, & nimio terrore molliuntur submergere nauem. Verūtamen quamdiu Iesus in nauicula est, licet dormiat, nulla tamen præualebit tempesta. Caue ne Iesum extra nauē abijcias. Quod si feceris, impossibile erit te non mergi. Verùm, vt dixi, licet dormiat, tu tamè nõ mergeris, quamdiu tecū est Dñs. Pulsat voluptas, insurgit ira, fœuit inuidia, luxuria æstuat, exurgitq; aduersum te omne genus nequitie, tam humanæ, quàm diabolice, non timeas, quia nihil tibi nocebunt omnia hac modò Iesus tecum sit in naui. Est autem Dominus Iesus tecum in naui, quamdiu audis tu tuæ salutis studes ea, quæ fecisti mala, plangere, vt etiam summopere caueas quicquid Deum offenderit admittere, satagens concert inueniri in omnibus diuinæ voluntati. Dormit autem, si te graui tentatione pulante, dissimulās auxilium subtrahit manifestum, licet occultè bonam voluntatem nunquam deserat, sed confortat, vires & consilia ei facta administrans. Hunc igitur dormientem excitare te oportet

Quando dor-  
miat Chri-  
stus, mystice.

vt int-

imperans ventis fiat tranquillitas magna. Excitatio enim eius per clamorem fit orationis. Porro clamor cordis magnum est desiderium. Dominus inquit, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perveniat. Ora igitur ad Dominum: Domine salua me, quia non est in me virtus, eni perco, velocius exaudi me. Et sicut habet Psalm. Exurge quare obdormis Domine? exurge & respellas in sinem. Quare faciem tuam avertis? Oblivisceris inopia nostra & tribulationis nostrae? Itaque vigilare & excitatus Christus dicitur, quando spiritualis eius in corde gratia sentitur, vnde motus compescuntur tentationum, omniaque tunc tranquilla in homine conquiescunt. De hoc Augustinus loquens, dicit: Intran ventis in cor tuum, vti que vbi nauigas, vbi hanc vitam tanquam procellosam & periculosam pelagus transis, intrant venti, movent fluctus, turbant nauem. Qui sunt venti? Audisti conuictum, irasceris. Conuictum ventus est. Iracundia fluctus est. Periclitaris, disponis respondere. Disponis maledictum maledicto reddere. Iam nauis propinquat naufragio. Excita Christum dormientem in nauis. Idem enim fluctus & mala pro malis reddere praeparas, quia Christus dormit in nauis. In corde enim tuo somnus Christi obliuio est fidei. Nam si excites Christum, id est, si recolas fidem, quid tibi dicit tanquam vigilans Christus in corde tuo? Ego audiui, Demonium habes & pro eis orauit. Audit Dominus & patitur, audit seruus & indignatur? Sed vindictam vis. Quid ego enim sum vindicatus? Hae dum loquitur fides tua, quasi imperat ventis & fluctibus, & fit tranquillitas. Hae Augustinus. Vita igitur Christiana est vita crucis, & vita poenitentiae, quam exerceri oportet tribulationibus & aduersitatibus. Omnes enim, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur, Patientur à carne, quasi tempestatum commotiones. Patientur à mundo, quasi turbationes maris. Patientur à diabolo, quasi impulsus ventorum: sed Christus inuocatus, & quasi à somno excitatus imperat ventis & mari, & fit tranquillitas magna: non vt omnino non sentiantur, sed vt cum tranquillitate, cum pace & silentio cordis tolerantur, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Quomodo respicienda semper sit prouidentia diuina, & quomodo ferenda tentationes.*

**D**omine salua nos perimus, Matthaei VIII. Neminem puto fidelium charissimum, adeo vel praesumptuosum, vel ignarum, qui non ex Christi sola misericordia & protectione speret salutem. Scimus enim, teste Propheta, quam contemptibiles sint omnes iustitiae nostrae, quae panno mestrata comparantur. Quare licet mandata Dei (sine quibus aequè non est nobis salus) seruauerimus, quod nunquam nisi ex maxima protectione & Dei adiutorio faciemus, egemus tamen nihilominus quotidie, misericordia Dei pro delictis, quae nulla non hora committimus. Vnde nobis quotidie; imò assidue quouis die clamandum est: Domine salua nos, perimus. Hoc enim vnum est nostrum, nobisque semper adhæret, peccare, Dei beneficia destruere, Dei negligere dona, & gratiae eius ingratos esse. Ideo ex nobis nihil habemus, nisi vnde perimus.

VI  
21

Mari cur se-  
culum com-  
paratur.

Iacob. 1.

Ioan. 6.

Aduersitates  
de manu Dei  
accipiendas.

Math. 11.

Exod. 1. 1.

4. Reg. 4.

Ierem. 17.

Viuius præterea in hoc mundo non aliter, quam in procelloso mari, in quo multis naufragantibus vix pauci ad portum euadunt salutis. Comparatur idcirco non iniuria mari seculum hoc, seu mundus. Si quidem quomodo in mari pisces maiores deuorant iuniores, ita quoque in hoc seculo, qui potentiores sunt, opprimunt inferiores. Proinde Iacobus ait Apostolus: Nōne dicites per potentiam opprimunt vos? Deinde in mari quam rara est tranquillitas, tam rara, & multo minor est etiam in mundo. Eam ob rem Christus suis prædixit: In mundo pressuram habebitis. Postremò, tribulationes eodem fermè & ordine & causa eueniunt nobis in mundo, quo in mari tempestates. In mari namque oritur tempestas, vel quia inducit hanc causa superna, puta stellarum & planetarum morus, occurfus seu recessus. Aut quia ab imo tumet feruetque mare: aut à causa media, hoc est, à ventis, mare concutiente. Pari modo tentationes, aduersitatumque tempestates hominibus in mundo eueniunt. Quædam enim à causa veniunt superiore, hoc est, à Deo permittente. Quandoquidem dispensatione ita agitur diuina, vt ille & ille habeat pati. Nemini tamè iubet Deus iniquè agere, nec vult quempiam facere iniquitatem fratri suo, quamuis non semper impedit, sed relinquit hominem, dum satis monitus inspirationes sanctas, monita scriptura, & exhortationes pias respicit, arbitrio suo. At verò illum, qui sustinere habet molestiam, iubet nequitiam pati alienam, vt pro patientia illius habeat, vnde iuste eum coronet. Quamùm igitur attinet ad inferendam molestiam, non est à Deo aduersitas. Nemini enim iubet, vt te persequatur. Verum quantum spectat ad sustinendam aduersitatem, sapissimè, imò nunquam non est à Deo. Quare consultissimùm nobis est, vt semper hanc accipiamus à Deo, imò tanquam è manibus eius, nostrum vniciquique dicentis: Fili hec sustine propter peccata tua, & propter me. Ego hæc tibi mitto patiendâ. Esto mitis & patients mei amore. Legimus Nabuchodonosor quomodo afflixit, torfit, & in captiuitatem abduxit filios Israel, qui castigatione erât diuina digni propter peccata sua. Misit enim Deus filijs Israel & Iuda virgam disciplinæ suæ in hoc rege Nabuchodonosor, quem voluit vt ferrent, cuique se captiuos traderent, quia eo utebatur ad castigationem peccatorum ipsorum, dispensatiuè permittens, non iubens eum persequi, affligere, captiuosque abducere filios Israel. In hoc igitur minister fuit diuinæ iustitiæ Nabuchodonosor rex, quia afflixit, qui diuina iustitia & peccatis suis exigentibus erant castigandi, & propterea in scriptura à Domino vocatur seruus suus, & virga furoris sui, quia per eum puniuit filios suos. Nō tamen ita minister fuit Dei, vt idcirco persequeretur, quo diuinæ voluntati iustitiæque seruiret, aut vt eo suæ persecutionis referret intentionem, quo diuino obtemperaret iudicio, sed dum suæ satisfaciebat tyrannidi ac crudelitati sæuiens in Iudæos, in hac nesciens Dei exequabatur sententiam, & afflixit quos Dominus voluit esse afflictos. Eos afflixit ex suæ voluntatis malitia, quos afflictos voluit Deus ex misericordissima iustitia. Vnde licet in hoc vocaretur seruus Dei, quod fecit id quod permisit Dominus fieri, quodque affligendos voluit iuste pati, nullam tamen in hoc laudem, sed iram meruit propterea à Deo, sibi ipsi, non Deo, obtemperans. Inde tamen colligitur, quod Iudæi non tam Nabuchodonosor persecutionem hanc debebant adscribere, sed magis in illa diuinam intelligere iusti-

T. VI  
21

iustitiam, suis peccatis, vt commeruerant, digna reddentem, eandemque  
 persecutionem à Nabuchodonosor quidem factam, non tamen hanc ab  
 eo, sed de manu Domini accipere. Hoc modo omnes tribulationes, quæ  
 quinque nobis occurrunt, recipiendæ sunt à Deo. Respicendum namque ad  
 eius sapientissimam prouidentiam, qui suis nihil euenire sine electis, nisi  
 quod illorum nouerit conducere salutem, & ad eius benignissimam volun-  
 tatem, quoniam diligenter eum omnia conuertit in bonum. Idcirco tan- Roma. 8.  
 quam ab eius manu sunt omnia accipiendæ. Non igitur filij, vestra sit occu-  
 patio, aut animi disputatio, quis hanc vobis procurauerit (quam fertis)  
 molestiam, aut cuius arte & studio vobis illatum sit malum, quove auro-  
 re, quod noluitis, patratum sit. Sed relictis hominibus, relictæ inuestiga-  
 tione quacunque, siue triste, siue iucundum vobis quid euenierit, ad Deum  
 recurrere, de eius beneplacito, de paterna eius manu, quicquid fuerit, il-  
 lud suscipere, scientes neminem posse hominum vobis machinari malum  
 absque eius permissione. Si igitur homini cuius, aut diabolo Deus in te per-  
 mittit potestatem tibi corporaliter aut temporalibus rebus nocendi, sig-  
 num est, quod à te vult illud, quod te lædit, sustineri. Quod cum velit, tu  
 quis es, qui audes contrarium eius voluntati velle? aut qui audes contra  
 hanc eius voluntatem murmurare? Dic potius: Ego hæc merui, ego his di-  
 gnus sum, idcirco Pater meus, qui amat me, illi mandauit, vt me flagellaret. Vt Hebr. 12.  
 quid ergo murmurarem contra flagellantem, cum habeam, sciamque Pa-  
 trem, qui iussit me subdi flagellis, amantem? Hoc modo omnes tribulatio-  
 nes mundi à Deo recipiendæ sunt: vnde quoque veniunt, potissimum electis,  
 qui non solum aduersitates tolerando, sed intelligendo etiam in his prou-  
 dentiam diuinam, spiritu proficiunt. Est tamen aduersitas, quæ à Deo singu-  
 lariter dicitur inferri, vt quod Paulus ad terram deiectus ex equo nihil vi- Act. 9.  
 dit, Deoque respondit alloquenti, scilicet Christo Iesu: *Domine quid me vi-* ibidem.  
*suere:* & similes huiusmodi aliæ, vt sunt infirmitates. Secundo, tempestas  
 seu calamitas oritur ex causa inferiore, vt ab hominibus malis, tyranniis Mali homi-  
 & improbis. De quo Christus loquens: *Ecce ego, inquit, mitto ad vos Prophetas* nes quid ca-  
*& sapientes & scribas, & ex illis occidentis & crucifigentis & ex eis flagellabit in syn-* lamitatis bo-  
*gagis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem.* Porro causa media tentatio- nis inferant.  
 num nostrarum sunt hostes maligni, qui nobiscum versantur in aere. Variæ Matth. 23.  
 autem sunt tentationes, aduersitates, calamitates tribulationesque multiplices  
 electorum, aut in corpore, aut in fama, aut in rebus, aut in corde. Hæ autem,  
 quæ in animo versantur, tentationes sunt plerumque multo grauiores, maxi-  
 me spirituales, vt sunt desperatio contra spem, tentatio perfidie contra fidem,  
 tentatio blasphemie & tristitie contra charitatem, vnde quandoque tentatio  
 oritur sui occisionis. Coram his, qui ad has tentationes inclinati sunt, non  
 est tutum de tentationibus huiusmodi loqui. Statim enim, vt nominari au- Mentis tri-  
 dierint, imaginationes & terrores phantasiasque recipiunt. Obseruanda est au- stis cur ma-  
 tem, maximeque cauenda tristitia mentis homini præsertim Deo deuoto, qua xime cauen-  
 nihil aliud est quam nidus diaboli, in quæ suggestionum malarum fraudumque da sit.  
 sitarum recondit oua, è quibus grauissimas excubare nititur tentationes spi-  
 rituales. Est enim tristitia idonea ad recipiendas fouendasque passiones qual-  
 cunque & tentationes, præsertim spirituales, vt sunt inuidia, odij, acedia,

2. Cor. 7.

Remedium  
contra spiri-  
tales tenta-  
tiones.

blasphemiam, desperationis, scrupulositatis, perfidiam, & huiusmodi. In omni quoque tentatione spiritali ferè semper prima occurrit tristitia, qua vbi hominem superauerit, facilè introducet alias, quas voluerit passiones hostis malignus. Est igitur summoperè vobis cauendum, ne in tristitiam, hoc est, in quoddam tædium mentis cadatis, vt neque orare, neque legere, neque operari possitis, sed omnia sint vobis fastidio tædeatque vos viuere. Hæc enim tristitia mortem operatur. Quapropter si de generali est remedio loquendum contra spirituales tentationes mentis, præcipuum quod facias, sit, vt tristitiam illam amaram, fastidiosam & melancholicam non admittas: imò quantum in te est, & quantum potes, age, vt eam non sentias. Excute eandem ne illi consentias, ne foueas, sed si sentire cogeris, inuitus sentias. Cogete ad spiritualem lætitiã, quæ spem roborat, generat deuotionem aut compunctionem. Honestam etiã lætitiã, quæ in humana est conuersatione, tunc fas est admittere. Item hymnos & cantica spiritalia in silentio frequentare, iuuat non modicum. Porro tentationes, blasphemiam, & huiusmodi scdæ incidentiã nunquam melius, quam per contemptum vincuntur. Fac igitur semel, qui huiusmodi infestaris cogitationibus malis, generalem confessionem bonam, si in statu fuisti peccandi, & firma voluntatem tuam in bono, vt semper maneat conformis cum voluntate diuina, nunquam aliud eligere volens, quam illius beneplacitum, faciasq; pactum cum Deo generale, cogitationes illas, quibus infestaris, nunquam spontè velle admittere. Quibus tamen, cum se ingerunt, non oportet e contrariò repugnare, nec cum eis contendere (nam hoc modo magis tibi eas imprimis) nec etiam timere, aut propter eas pusillanimum fieri, sed prorsus tanquam rem indignam contemnere, & ceu rem vilem spernere, indignamque arbitrari, cum qua debeat contendere, aut cui debeat responderi. Has enim debes tanquam anserum sibilos, aut canum latratus contemptum præterire, deridere, nec tibi, sed diabolo imputare, quia tu nihil agis in hac tentatione, sed pateris. Hoc modo multò citius vincuntur per dissimulationem, quasi nihil tibi scdum incidisset, contemptæ, & eas non timendo, quam si turbareris, aduersum illas pugnando, aut cum scrupulo, quid incidere inuestigando, intuendo, recogitando & expendendo, aut ad confessorem currendo. Nam si bonæ alioqui fueris voluntatis, qui peccare & Deum offendere nolis, sibilos illos omnes dæmoni malo adscribe, & te liberum, tranquillum, & alacrem, ac si nulla esset aut fuisset tentatio huiusmodi, ad orationem serua. Est præterea necessarium in huiusmodi tentationibus viro alicui experto bonæ conscientiæ (de quo possis præsumere ipsum nolle te fallere, ipsum nolle seducere, aut inducere ad peccatum) credere magis, quàm scrupulis proprijs, eiusque definitionibus acquiescere. Certissimus esto, nihil te rectè iudicare posse, si timor atam nimis habueris conscientiam, scrupulosam scilicet, quia timor iudicium rationis mutat in ambiguitate contentum ab altera parte, ad quam amor, aut timor, aut nimia passio, inclinatio, ve, aut certè tentationis improbitas te trahit, atque ideo nunquam homo tentatus rectè potest iudicare. Hoc præsciens, nunquam tibi, nec tuo sensui opinionive credas, sed acquiescas ei oportet, quem Patris aut directoris

Vri quisque  
seste alicui  
bono viro  
qui eum in-  
stituat, com-  
mittat.

loco

In loco animæ tuæ elegisti. Nec multorum debes imitari morem, qui semper & multos interrogant, neminem tamen sequuntur, quia nullum illis consilium placet. Rectius enim illud, quod sibi videtur, arbitrantur, & suum altero semper consilio præferunt. Putant enim eis non ad infirmitatem quætionem rectè responderi, aut se non satis intelligi, aut quod sentiunt, non satis se exprimere, ut possint intelligi. Sciendum postremò quod licet vitiosis quibuscunque, ad quæ tentamur, haudquaquam sit assentiendum, submittere tamen nos debemus diuinæ voluntati, & assentire Deo, ut sustineamus nos tentari, id est, ut contra pressuram tentationis non murmuremus, nec contra molestiam repugnandi, sed animo nos Deo offeramus resignato sustinere hanc, aut quamlibet tentationem aliam, quamdiu benè placuerit Deo nobis eandem imponere, non orantes pro liberatione, sed pro directione, confortatione, protectione diuina, & ne finat nos periclitari, aut ex tempestate huius scilicet tentationis naufragari. Hoc est enim, quod Apostoli quoque orauerunt: *Domine salua nos, perimus*, hoc est, serua nos ne pereamus. **Marth. 2.** Si nos tentari, si nos tentationum fluctibus vis concuti, si timere nos vis & trepidare, saltem salua nos, serua nos, quia nisi seruaueris tu nos, in tentatione succumbemus atque peribimus. Non prætereundum autem est quod à tribus generantur nobis tempestates, hoc est, tentationes in hoc mari magno: scilicet à mundo, à carne, & ab hoste maligno. Quicquid à mundo nobis tentationis occurrit, aut blanditur, aut terret. Blandimenta, ut sunt honores, diuitiæ, promissionesque terrenæ, fuga vincenda sunt. Ibi celeriores non habebis victoriam, quam fugiendo occasiones. Porro ubi terret, aut persequitur mundus, vincendus est patientia. Neque enim ex aduerso pugnare contra mundum, hoc est, contra malos homines, est vincere mundum, sed potius superari à mundo. Patiendò verò & tacendo vincimus, Christo nobis id ipsum prædicente: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* **Luc. 21.** Secundus hostis à quo nobis excitantur tempestates, est caro. Hæc si vinci debet aut subiugari atque in tranquillitatem conuerti, continuè est castiganda & mortificanda. Abneganda sunt ei desideria eius, subtrahenda voluptas, amara & laboriosa imponenda. Hoc enim & non alio modo vincitur caro. Tertius hostis, à quo tempestas generatur, est diabolus, qui fraudulento suo fita, hoc est, suis dolosis suggestionibus nos molitur submergere. Huic resistendum est in fide, scientibus nobis illum nihil boni nobis suadere, sed ex tantum, quæ nobis ad salutem sunt noxia, & quæ gratiam amicitiamque nobis tollunt aut minuunt Dei: nihil quoque eum aduersum nos posse, nisi quatenus ipsi volumus nos eidem subijcere. Adest enim volentibus nobis auxilium de cælo. Quamobrem oratione utamur aduersus eum continua ad Deum. Obseruemus quoque alios priores hostes ne concitent nobis tempestates. Per hos enim ille artes nocendi inuenit, per hos nos oppugnat. Quare humilietur, subijciatur, contemnantur hi, nec audiantur necesse est, ut vires habeat spiritus maiores contra diabolum, quibus illum vincat. Nam si diabolus per carnem & per mundum quoque nos tentat, non vnum tantum, sed tres habemus hostes, qui æquè nos impugnant, quibus in resistendo spiritus sit debilior, præsertim cum familiarem suum amicum, hoc est, carnem iam habeat inimicum, & aduersario consentientem ac fœderatum.

Q tum.

Resignatio  
in tentatione  
necessaria.

Marth. 2.

Tentationes  
à tribus ge-  
nerantur.

I.

Luc. 21.

II.

III.

1. Pet. 5.

T. VI  
21

tum. Dominus igitur Iesus Christus adiuuet infirmitatem nostram, & expugnet nobiscum & in nobis omnem hostilitatem, qui est benedictus in scula, Amen.

DOMINICA VI. POST DOMINI NATIVITATEM, Epistola B. Pauli Apostoli, ad Collossenses III.

**I**nduite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordie, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exaltet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore: & grati estote. Verbum Christi habet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes & commonentes vobismetipsos in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus in gratia, cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi: gratias agentes Deo & Patri per Iesum Christum Dominum nostrum.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

Colloſſ.

**A**Nte hæc verba docuerat Collossenses Paulus veterem expoliare hominem & induere nouum, qui ad imaginem Dei creatus est. Iuxta quem hominem nouum (inquit) non est circumcisio, nec præputium, nec seruus aut liber, nec vir aut mulier, sed omnia & in omnibus Christus. Quem qui induerunt, eum, à quo habent omnia quæcumque habent, induerunt, & quicquid faciunt boni, per ipsum faciunt. Iam sequitur hodierna epistola: Vos itaque qui Christum nouum quem hominem induistis, induite quoque vos sicut electi Dei ad vitam æternam præordinati, & à Deo dilecti (hic enim dilexit vos & lauit vos in sanguine suo) vt magis ab eodem diligamini. Induite, inquam, eas virtutes, quas ipse diligit. Induite viscera misericordie, vt internus affectus pietatis quæ intrus geritis, in omnibus membris & operibus vestris ex omni parte se prodar. Induite benignitatem quæ est serenitas quædam animi, qua, ad alloquendum (præcipue vbi Dei contemplatione est loquendum) quis hilariter, ad conuersandum suauiter, & ad tribuenda liberaliter sua propter Deum incitatur. Induite humilitatem, quæ verbis, operibus, moribus, vestibus, signis & gestibus vestris nunquam desit: imò quæ nusquam non luceat in vobis. Induite modestiam, qua in omnibus temperati modum seruetis & honestatem. Et quia non raro aduersitates & molestiæ vobis occurrent, induite quoque patientiam, supportantes inuicem, supplendo alter alterius defectum, & alter alterius portando onus: donantes alterutrum ac vicissim, si quis habuerit querimoniam aduersus aliquem de iniuria aut contumelia sibi illata. Et hoc fiat non fictè, sed ex animo, plenè ac perfectè, sicut Dominus donauit vobis.

Apoc.

Benignitas  
quid sit.

Galat. 6.

Super omnia autem & maximè omnium habete charitatem, quæ excel-

lenissimum est vinculum perfectionis, reliquas virtutes connectens, colligensque, ne dissipentur pereantve. Alijs enim virtutibus dat charitas modum, nomen & rem, quare sint, vocari que debeant virtutes. Et pax Christi, quam Christus habet & dat, qua estis Deo & sanctis Angelis eius reconciliati, pax que est animi tranquillitas, voluntatis vestrae stabilitio in Deo, quam Deum proximumque diligitis, qua denique in lege eius, & in eius beneficijs, potissimum redemptionis vestrae, suaviter delectamini, exulter tripudietque in cordibus vestris, aut potius corda vestra in Deo faciat exhilarari, in qua pace estis vocati, ut sitis vnum corpus Ecclesiae, seruant inter vos concordiam, quam vnus seruant corporis membra, pro qua vocatione grati Deo estote. Quod ut possitis, & ut Dei pax vestra corda semper possideat, verbum Christi eruditioque Evangelica nunquam recedat de corde & memoria vestra: sed perseueret vobiscum in abundantia, & in omni sapientia, quae desursum descendens inuenitur humilis, pudica, suavis, benignisque consentiens, ne in sensu vestro pertinaces à communi sententia Ecclesiae recedatis. Ita enim vos sapere necesse est, quo scripturam sacram, & verbum Dei, non iuxta capitis vestri somnia, sed iuxta Ecclesiae intellectum & definitionem à Spiritu sancto praescriptam intelligatis. Estote igitur in omni sapientia docentes & exhortantes vosmetipsos in his, quae scitis excitantes & exercentes vos in Psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, quae in solo conditore vos gaudere, delectari que faciant. Et id fiat in gratia Dei, sine qua gaudium quodcumque mæror sit. Necesse est itaque, ut in hac quoque vita cantetis Domino in cordibus vestris, vbi secretam, intimamque vestrae mentis exultationem solus respiciat Deus, iuxta illud: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* Omnia autem quaecumque facitis in verbo & opere, siue doceatis, siue corripiatis, & quaecumque egeritis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ad gloriam eius cum inuocatione nominis eius facite: gratias agentes in omnibus Deo, qui vos creauit, & Patri qui adoptauit vos etiam in filios per eum, hoc est, per Dominum nostrum Iesum Christum mediatorem nostrum benedictum, Amen.

Pax Christi  
quid.

Iacob. 1. 9.

Scriptura sacra  
quomodo  
sit intelligenda.

Psal. 9. 25.  
& 110.

Roma. 8.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM  
Dominica, Matthaei XIII.

Quam multas alias parabolas Dominus loqueretur de regno Dei, hoc est, de negotio praesentis Ecclesiae, hanc quoque proposuit, qua disceretur quomodo sit agendum cum his, qui contraria & perniciosa Ecclesiae dogmata (ut sunt heretici) seminant, sint ne exterminandi, an tolerandi. Neque enim scrupulo caret haec quaestio, An heretici iuxta Apostolum 1. Cor. 3. sine de medio tollendi, nec ne: cum ex vna parte, quoniam pestilentes alios inficiunt sanos, videantur non minus nocere Reipub. quam latrones & fures. Ex alia vero parte videantur tolerandi sub spe resuscitationis & conversionis. Dicit itaque Euangelista:

Simile est regnum caelorum homini, qui seminavit semen bonum in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit

Q<sub>2</sub> inimici.

inimicus & seminavit zizania in medio tritici, & abiit.

Regnum cælorum in diuersis modis accipi.

I.  
Matth. 3.

II.

Lucæ 17.

III.

Matth. 13.

Matth. 15.

III.

Matth. 20.

Matth. 22.

Matth. 13.

Esaia 61.

Esaia 53.

Gal. 3.

Roma. 4.

Zizania mystice quos si-  
gaent.

Ioan. 8.

Euangelium hoc totum nihil aliud est quam parabola, qua aliud nobis quid, quam in vocibus exprimitur, ex vicina similitudine significatur. Simile est, inquit, regnum cælorum. Non vno modo æquè accipitur in scriptura regnum cælorum. Aliquando enim in cælesti patria societas sanctorum dicitur regnum cælorum, quomodo Christus de eo loquitur, cum dicit: *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Interdum per regnum cælorum significatur Christus habitans intra nos per gratiam suam, iuxta modum loquendi, quo dicit ipse Christus: *Regnum Dei intra vos est*, hoc est, per inhabitationem spiritus mei intra vos, & per dominium gratiæ meæ inchoatur in vobis via ad cælesti regnum, exprimitur quæ in vobis regni cælestis similitudo, quæ est, vt cognoscatis, ametis quæ perfectè Deum. Cognitio namque & amor Dei faciunt beatum. Inchoatio autem huius beatitudinis imperfecta hic est in via, vbi hominum sanctorum corda Christus inhabitat. Hoc modo non incongruè intelligitur hic, quando dicitur: Simile esse regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Tertio, regnum cælorum intelligitur Ecclesia militans, quam Christus possidet vt regnum suum, in cælo regnans. Vnde dicitur, *simile esse regnum cælorum sagine missæ in mare, & decem virginibus.* Quod haud dubium non aliter quam de presenti potest Ecclesia rectè intelligi. Quarto significatur status seu negotium militantis Ecclesiæ. Hoc modo accipitur, vbi dicitur: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, &c. & homini regi.* Hoc etiam modo hic accipi potest parabola præfens de seminante bonum semen, quæ paulo post à Domino exponitur discipulis. Nam cum multas dixisset parabolas, nec explanasset, turbis relictis cum esset in domo cum discipulis solus, interrogatus exposuit parabolam. *Qui seminat*, inquit, *bonum semen, filius est hominis.* Christum seipsum haud dubiè significans, cui simile dicit factum regnum cælorum. Indè liquet Christum hic vocari posse regnum cælorum, quia promissor, doctor, & dator est regni cælorum. Ager verò est mundus, hoc est, terra peregrinationis humanæ, in qua degimus hic tanquam exules & peregrini. Bonum semen quod seminatur, sunt filij regni, puta electi ac homines virtuosus, quos Christus in omni habet loco per vniuersum mundum dispersos. Illos enim seminavit, hoc est, dispersit per omnia climata mundi. De hoc semine scriptum est in Esaia: *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Et de Christo idem propheta: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Hoc est, semen Abraham secundum promissionem Dei hæredes. Zizania autem filij sunt nequam. Hi pari modo sunt semen, sed non Dei. Sunt autem semen diaboli, non quod esse naturæ à diabolo habeant, sed esse malitiæ, eo scilicet instigatore, eius suggestionem & machinationem. Seminati sunt ergo per vniuersum mundum, vt dixi, non in quantum homines (hoc enim modo boni, maliq; omnes eundem habemus creatorem) sed in quantum mali. Hoc modo quoque quod scriptum est, *Omnis qui facit peccatum, ex parte diaboli est, quoniam ab initio diabolus peccat, intelligitur.* Iudæos quoque Christus obiurgans, *Vos ex patre, inquit, diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere.* Ex hoc enim

feminatum est semen malitiæ. Quotquot enim in Ecclesia fuerunt hæretici, quotquot in mundo fuerunt mali, ipsius instigatione & cõsilio facti sunt mali, & in malo adiuti. In Genesi legimus de tribus filijs Noe, Sem, Cham, & Japhet dictum: *Isti sunt tres filij Noe, per quos d'ffeminatum est inne genus humanum super vniuersam terram.* Horum duo filij creduntur fuisse boni. Tertius verò reprobus & maledictus. Quomodo ergo in duobus prioribus, maxime autem in Sem, Deus semen seruauit virtutis, quod in posteros diffudit. (Ab his enim didicerunt boni ritum colendi Deum, innocenterq; viuendi) ita diabolus ex Cham, qui ante diluuium fuit malus, post diluuium semen diffudit malitiæ eius, in quoscunq; potuit homines, vt tam sua instigatione, quàm huius imitatorum quæ eius malorum hominum exemplo & praua conuersatione malitiam propagaret in alios, vt vniuersum iterum paulatim corrumpere genus humanum. Dicitur autem diabolus hic homo parabolice, quia suos instruit, qui illum audierint, ad malitiam, tanquam pater filios. Messis vero consummatio est seculi, dies scilicet iudicij, in quo electi separabuntur à malis. Messores Angeli sunt boni, quorum ministerio cineres mortuorum colligentur ad iudicium ducendorum, qui auferent de regno eius, hoc est, de Ecclesia Sanctorum, omnia scandala, id est, omnes qui alios scandalizant, omnesque qui operantur iniquitatem. Erit enim tunc corum iniquitatis finis, nec scandalizandi, aut mali agendi eis prorogabitur tempus, sed iuxta opera tunc sua quisque recipiet, siue bonum siue malum, quod in corpore gessit. Hæc est expositio huius parabolæ à Christo Apostolis tradita. Sed inuestigandum est, vbi aut quomodo Christus bonum seminauerit semen. Dicendum, Christus in agro suo, id est, in Ecclesia sua militante, per seipsum, & per Apostolos suos doctrinam seminauit Euangelicam, qua homines (vt ipse exponit) crescere ceperunt boni, adeo, vt post Christi ascensionem mox à perfectione hi inciperent, tradentes venditis omnibus suis facultatibus precium ad pedes Apostolorum, & de communi prouisione visitabant. Erant ergo tunc ferè omnes sancti quotquot conuertebantur ad Christum.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & seminauit zizania in medio tritici, & abiit.

Inuidebat inimicus diabolus huic sancto semini, & visus est ipsum, aut velle cõrumpere, aut saltem inturbare. Ideirco sequitur: Dormientibus hominibus supereminuit zizania seu lolium in medio tritici, vt semine suo iniquo suffocaret bonum semen. Vbi enim in magna ceperat sanctitate & sinceritate florere Ecclesia, seminavit diabolus in triticum, hoc est, inter bonos homines, semen malum, hoc est, impios & hæreticos, qui aut eruditione pestifera, aut malæ vitæ contagio bonos torquerent & seducerent. Non tamē diabolus intelligendus est ita facere malos, vt eis necessitatem imponat, sed vt eos incitet, alliciat, fallat, & seducat. Hos itaque inter bonos vult conuersari, vt ex bonis quoque aliquos seducens corrumpat. Neque enim magnoperè curat, vt hæreticos, aut impios habeat inter fideles, quia vtrosque, vbicunq; sint, possidet: sed bonis vult malos esse mixtos, vt per malos tenter, & decipiat bonos. Seminatur autem malos

Q. 3. seu

VI  
21

Genes. 9.

Genes. 5.

Genes. 6.  
Diabolus  
quare vocatur  
hic ho.  
mo.

Matth. 13.

Apoc. 21.

2. Cor. 5.

Semen bonum  
vt Christus  
seminauerit.

Act. 4.

Diabolus  
quo pacto  
decipiat ho-  
mines.

In negligencia  
faciatos.

2. Cor. II.

seu hæreticos, eos excitando scilicet, & animum superbiamque in illis fouendo atque exufflando, idque dormientibus hominibus, hoc est, prælati, doctoribus, & prædicatoribus, quorum est super grege sibi commissio, super custodia animarum, & super sana doctrina contutanda vigilare. Dormitant autem & non vigilant, cum sibi ipsi magis, quam animabus sibi creditis prospiciunt Prælati & Doctores, cum negligetius in animarum propulsandis periculis agunt, cum denique nimium dissimulantes neminem offendere volunt. Interea igitur inimicus homo, id est, diabolus huiusmodi malum semen, vnde & prodeant hæretici & crescant impij, spargit & abicit. Hæc enim diaboli versutia est, vt velit ignorari, nolit agnosci, & sub specie Angeli agat pessimum diabolium. Hæc eius inquam, est ars fallendi. Propterea Apostolus quoque nos præmonens dicit, illum transfigurare se in Angelum lucis, haud dubium non aliam ob rem, nisi vt facilius supplantet. Quod ergo dicitur seminasse, & abijisse, nihil vult dictum aliud, quam quod fraude, latenterque hoc fecerit, vt suæ fraudis reportaret fructum. Vult enim à se hoc, quod ipse hoc procurauerit aut fecerit ignorari. Suspectum enim omnibus est, eiusque technæ quod pessimæ sint, nemini non manifestum est: ideo ne consilia eius spernantur, non vult deprehendi, sed sub specie fallit pietatis.

Cum creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

Cum creuisset herba, puta tritici, & fructum fecisset, apparuerunt & zizania. Quando in germine fuerat, non potuit facile alterum ab altero discerni, quia non euident magna que apparet dissimilitudo. Verum ubi iam maturefcere coeperit, spicamque emittere, dissimilitudo inuenitur & lolij & tritici. Hoc modo hæretici ubi primum seminauerint, fauoribus se curant commendare humanis, & coram pijs simulant pietatem, coram mundanis vero libertatem, assertionem vt suam impiam liberius ostendent. Vnde fit vt vix possint tunc hæretici cognosci. Verum ubi fructus eruditionis, potius dicerem seductionis, coeperit apparere, tunc primum à pijs cognoscitur eorum impietas, quam sub specie pietatis tanto tempore absconderunt.

Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.

Serui accedentes dixerunt Domino suo: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Qui fuerunt hi serui, qui hæc suggererunt, suggerunt vt dominis suis? Fuerunt & sunt certe viri iusti & timentes Deum, qui zelum habentes Dei, dum vident in Ecclesia malum, suggerunt Deo hoc per orationem, precantes eis auxilium Ecclesie citius aduenire, antequam malitia diabolicæ fraudis, hæreticæque prauitatis adeo clanculum serpat, confirmeturque, nemine obsistente, in hominum cordibus, vt paulo post nulla possit prælatorum diligentia curari. Primitiue igitur Ecclesie Patres, cum viderent multas pullulare hæreses, quando sana vniuersalis esse debeat omnium fidelium eruditio, orationibus profecti sunt ad Deum, admirantes, cum Dei verbum Euangelicum ubique semina-

Patrum primitiue  
Ecclesie vigilan-  
tia quanta  
fecit.

retur,

reitur, quomodo hæresum zizaniam simul æque cresceret. Et respondit Dominus inspirando eis: Semen quidem Dei verbum esse sanum & bonum, sed tamen hominem inimicum, id est, diabolus, qui non propter conformitatem, quam cum homine habeat corporalem, sed ratione mentis (quia spiritus est) homo dicitur, hoc fecisse, ut sensus intellectusque verbi Dei adulterinus, falsusque ex vera Scriptura ab hæreticis affumeretur, Consulunt autem Dominum, an illi placeat zizaniam euelli. Ideo sequitur:

Serui autem dixerunt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: Non, ne colligentes zizaniam, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite crescere vtraque usque ad messem.

Indignum eis videbatur, loco tritici lolium natum foueri, & respondit: Non. Neque enim hic soli iusti vivere debent, qui perfecti nunquam fierent, nisi per malos sibi coniunctos exercerentur. Nusquam ergo solos colligit electos, sed simul bonos malos coniungit, ut sint qui probent, & qui probentur. Quis enim hominum dicitur patiens, aut mitis, ubi nemo illum despicit, ubi nemo iniuriam facit? Aut cui iniuriam donabit, si nullam ei quispam intulit? Vides igitur exercitia virtutum haudquaquam esse posse, ubi non fuerint vitia. Bonorum enim est officium iniurias patienter tolerare, non inferre. Porro mali sunt, qui alios persequuntur. Si igitur pati debemus persecutionem, necesse est esse, qui hanc nobis inferant. Et si hanc nemo infert nisi malus, ergo mali necessarij sunt nobis & vtilis, nec prorsus abijciendi: quandoquidem electis Dei magna venit de malis utilitas, sicut etiam ex persecutione, tentationibusque demonum multa nobis eueniunt bona. Admonet igitur non eradicandos malos, nec hæreticos omnes, rationem huius assignans, ne quum velimus zizaniam euellere, simul euellamus & triticum. Mali, hæretici quoque multi, de quibus plene non constat eos esse malos, aut hæreticos, si tollerentur de medio (posset euenire, ut eis fieret prejudicium) quia aut sunt conuertendi, aut adeo non sunt mali, quantum humana iudicat austeritas, ad iudicandum & damnandum alioqui prona. Fieret nanque tunc, quod Christus dicit, ut cum putarent se euellere zizaniam, eradicarent triticum. Quod alio quoque posset contingere modo, dum hæretici sunt potentes, habentve eos, qui in terrena sunt constituti potestate, fautores, ut non facili queant modo de medio tolli, nisi cum magna iactura & persecutione fidelium. Tunc enim eos diuino relinquere iudicio praestat, quam eradicare de terra: aut obseruari, expectarique oportet tempus opportunum, quo absque fidelium possint puniri incommodo graui ac iactura. Quod si nullum datur idoneum, veniet messis, id est consummatio seculi, & dicit Dominus messoribus, ut sequitur:

Et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizaniam, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum.

Colligite, inquit, primum zizaniam, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Hoc praesens tempus, tempus est seminationis, ut Psalmista ait: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittent es*

Q + semina

Mali heretici  
nes quam  
sint electis  
vtilis ad salutem.

Hæretici &  
mali homines  
quosque  
tolerandi  
sunt.

Psalm. 125.

1. Cor. 9.  
Matth. 3.

semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et Paulus. Qui parca seminat, parca & metet. Quodcumque ergo seminaverit homo, hoc & metet. Colligite, inquit messoribus, primum zizania, hoc est, separate eos de medio iustorum. Hinc colligitur, quod reprobi primum recipiant iudicium, ut ante audiant ipsi sententiam grauem damnationis, quam sancti ascendant cum Christo in caelum. Cum quibus benedictionem suam tunc nobis quoque Christus largiatur, qui cum Patre & spiritu Sancto uiuit & regnat Deus, Amen.

SERMO DE EADEM DOMINICA.

Mali uiles sunt bonis, & quando euellendi quando sint tolerandi.

Mali quantum profunt bonis.

1. Cor. 11.

Haereticis quantum profunt & celestibus.

Hebr. 12.

Augustin.

**S**inite ea crescere vsque ad messem. Matthaei XIII. Verba sunt hodierni Evangelij, quibus interrogatus Dominus, an mali cum bonis sint tolerandi, respondent utrunque & lolium & triticum simul crescere debere, tamen non a se zizania, sed bonum tantum semen esse seminatum) ne dum zizania putaretur eradicari, euellatur simul & triticum. Voluit autem nos docere, impossibile fore, ut omnis zizania euellatur a tritico, hoc est, ut omnes mali separentur a bonis. Nec etiam expediret, ut soli boni simul essent: quando quidem exercenda, perficiendaque nullum virtutis haberent exercitium boni absque malis. Multa autem bonis proueniunt bona a malis. Si enim non essent mali, cessarent multa opera bona, puta eruditiones sacrae, correptiones, monitiones, exhortationes, orationes, quae sunt pro maiorum correctione. Quando ergo zizania omnis tolleretur, multum euelleretur tritici, id est, magna pars bonorum operum interiret, propterea quod tunc locum non haberent multa exercitia bona. Sic Apostolus dicit: Operetur haeresis esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Quid enim tam clarum, lucidamque reddit fidem nostram, sacramque Scripturam, quam persecutio haereticorum: Illis enim falsitatem praedicantibus necesse erat doctores veritatis sudare, operamque omnem nauare ac quaerere, quibus locis impietatem euincerent, quibus argumentis rationibusque haereticorum errores confutarent. Vnde vehementer illustrata est Ecclesia. Si nullus fuisset haereticus, non haberemus fulgida scripta patris Augustini, multa nobis deservient ex Hieronymo praecleara monumenta, ex veteribus item alijs admiranda nobis multa deessent. Itaque si Christus flagellat omnem filium, quem recipit, quis nos flagellaret, id est, per quos Deus flagellaret suos filios, si non mali superessent, qui torquerent? Ad quid autem mali torquent nos? ut idonei dignique efficiamur regno caelorum. Et quid melius regno caelorum? Quid uilius? Vide, haec per malos homines praestat nobis Deus. Sed absit ut propterea, quia nobis sunt persequendo utiles, ut in hoc etiam sibi sint utiles. Absit ut iuxta id, quod Deus per malos nobis praestat, etiam illis retribuatur Deus. Non iuxta hoc eis retribuit, nec ministros eos, ut pote flagellatores suos agnoscat, nec quia nos Deus purgare uoluit, & illi nos purgauerunt, ideo Deo obedierunt. Sed nobis reddit iuxta patientiam nostram, & illis reddet secundum malitiam eorum. De hoc Augustinus diffusè tractas illum Psalmum: Deus ultionum Dominus. Videte (inquit) quanta nobis praestitit Deus, de ipso immanissimo scelere proditoris. Iudas quippe tradidit ad passionem Filium Dei,



Vitia sub virtutum specie se palliantia.

vitia, quæ sub virtutum specie occultantur, & nonnunquam faciem induit virtuti, virtutesq; ab ignorantibus nominantur. Hæc extirpanda sunt magna diligentia. Periculosum enim est valde, dum vitia virtutes creduntur, dum superbia mentitur se humilitatem, dum ira iustitiæ zelû, dum amor carnalis charitatem se nominat.

Superbia sub cuius virtutis specie lateat.

Vt igitur videamus, contingit primo superbiam latere sub specie zeli aut iustitiæ. Sunt enim, qui aliena carpunt vitia, & si modica sunt, eadem etiam aggravant, iudicantes graviter & damnantes, quo ipsi præstantiores, perfectiores quæ his, quos vituperant, habeantur. Sunt quibus dominandi appetitus dominatur. Hi fatagunt sub specie zeli alios sibi committi instruendos, vt à discipulis magistri, à subditis patres appellentur. Latetque nonnunquam ipsos quoque superbia hæc, vt quasi per esuriam iustitiæ videantur sibi magisterium, officium ve aliquod appetere, vt profint multis, vt ædificent & plantent. Sed non raro mentita est iniquitas sibi ipsi, quia si rectè & omnes cordis sui latebras scrutarentur, inuenirent sibi dulcius arridere, præesse, quàm prodesse. Quod inde liquet. Nam dum quod cupiunt, assequuti fuerint, tamen in principio aliquam ostendent diligentiam, paulo post id, ad quod videbantur anhelare, puta eruditionem, ædificationem, exhortationes, deuotionis studium simul cum lectione negligunt. Secundo

Iere. 1. Psalm. 26.

sub specie humilitatis pallear se superbia, nam humiliando se nascitur superbia. Exercitia enim humilitatis, vt sunt vilitas in vestibus, paupertas in rebus, cum infimis conuersari, honores spernere, gloriam fugere, plerumq; superbiam inducunt. Adeo difficile est discernere inter veræ falsæq; humilitatis signa, adeoque est rarum à virtutibus vitia prudenter secernere. Est autem vitium quoduis latens eo periculosus, quo minus manifestum. Noxium autem est magis omnino, vbi etiam ab eo quæ obsidet, virtus putatur. Sunt præterea bona alia innumerabilia, sub quorum specie se ingerit superbia, vt dum bonum quæri putatur, non virtuti, sed vitio seruiatur. Quod

Superbia sub humilitatis specie vitiose decipiat.

quid aliud est, quàm zizania super tritico seminata ab homine inimico? Simili modo fit in auaritia, quam inimicus superseminat sub specie triplicis boni. Fingit enim licitum esse thesaurizare sub specie prouidentia, vt sua aliorumq; necessitati prouideat. De hoc vitio Gregorius dicit: Auaritia deuictum animû quasi ex ratione solet exhortari dicens: Valde sine culpa est, quod quædam habenda concupiscis, quæ non multiplicari appetis, sed egerre pertimescis. Secundo sub pietatis colore seminatur. Auari enim congregant & multa retinent beneficia sacerdotes, vt magna condant testamentis, vt sacerdotia dotent, vt eleemosynas tribuant, & sub illa quidem specie congregant, quum in vita tamen nihil horum efficiant, quippe qui à pecuniis non possint separari. Deinde quanta superseminat, quæ pertinent ad carnalem amorem, seu luxuriam sub specie amicitia, aut sancti amoris? Nam conglutinat diuersi sexus homines amore inquietissimo, vt nihil cogitare, nihil loqui illis libeat, nisi de amata (vt ita loquar) persona. Collocutio eorû inestimabilis est, salutationes infinitæ, literæ dulcissimæ inter eos, & creberrimæ, munuscula gratissima, nunciaciones lepidissimæ. In his quasi dormire videtur hostis infernalis, donec sic agglutinati fuerint, vt alteri alter nihil negare possit, tunc primum erigit se inimicus, & libidinum stimulus, ut

Auaritia sub cuius virtutis specie se ingerat. Gregor.

vt nunquam

Luxuria que sese fuceo pallear.

vt nunquam

verumque, aut infirmiore concutit. Quo tandem emergant huiusmodi, aut quo sine consument hunc amorem, quem ab initio spirituales putant, verecundum est dicere. Seminavit enim inimicus zizaniam super semine iusto & sancto charitatis. Eamus ad acediae semen, quod sub specie discretionis & propriae compassionis seminatur. Indulgetur enim ventri, indulgetur somno, indulgetur denique alijs solatijs carnis nimium, sub specie, ne nimia austeritate sibi ipsi noceat. De hac inertia, ac acedia Augustinus loquens, dicit: Acedia & ignavia dicunt: Si lectioni continuo studio infertis, oculorum caliginem incurris. Si indefinenter lachrymas fuderis, ipsos etiam oculos amittis. Si quotidiano te labore afficis, ad opus spirituale quando furges? Est nihilo minus alia fraus, qua sub specie virtutis acediam diabolus seminat. Nam aliquos ubi viderit virtutis studiosos atque superbis hostes, eis suadet à bonis operibus quiescere, ne magni reputentur & sancti: sed potius quiescant à bonis studijs, operibusque, ut viles, humiles, & ignoti maneat mundo, & ut delitescant in humilitate viuentes.

Hoc modo ubique super Christi doctrinam sanctam & salutarem supereminat diabolus dogma pestiferum suum haereticorum, malorumque hominum, quod tamen eradicari vetat (ut dixi) in hoc solo casu, ubi comode id fieri nequit, ut eradicetur sola zizaniam, absque graui turbatione electorum Dei. Nam, si id fieri potest, ut tritico saluo euellantur zizaniam, nequaquam prohibet quin euellantur. Quomodo enim velit zizaniam gratari triticum, ubi separari possunt, quando adeo diligit triticum, ut ne ipsum euellatur, simul zizaniam quoque propterea tolerat? Habemus autem exemplum de haereticis, impijsque exterminandis in zelo Mosis, qui postquam populum Israel adorasse cognouit vitulum, Leuitis praecipit vir alioqui mitissimus iubente Domino, dicens: *Ponat vir gladium super femur suum. Ite & redite de porta usque ad portam, per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum suum* Ceciderunt autem die illa quasi viginti tria milia hominum. Simili modo in Numeris legimus praecipio Mosis de his, qui iniriati sunt Beelphegor, hoc est, qui fornicati fuerant cum filiabus Moab, & adorauerunt deos earum, caesa viginti quatuor milia virorum. Non leuiore pestem inferunt haeretici animabus alienis, quam hi praefati sibi ipsis. Atque ideo ubi segregari possunt, & emendare se nolunt, non sunt tolerandi. Discamus postremo oportet hic vigilare aduersus insidias diaboli, ne seminet intra nos, id est, exufflet, & incedat malas cogitationes. Quarum si semina in nos iecerit, hoc est, primos excitationis motus, enitendum ne permittantur crescere, sed in initio eradicentur. Mora enim robur illis praestat, ut eo difficilius tandem euellantur, quo diutius in nobis iacuerint. Addat nobis Dominus virtutem, & fortitudinem ad contutandam cordis nostri mundiciam, & illuminet intellectum nostrum, quo prudenter omnes diaboli technas euadere, omnia retia eius dirumpere, & cuncta ipsius semina valeamus eradicare, per Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in secula, Amen.

R. 2 EXEGE.

Acedia sub  
cuius virtu-  
tis specie se  
abcondat.

Augustin.

Numer. 11.

Exod. 12.

Numer. 25.

Vigilantia  
quanta opus  
sit aduersus  
fraudes dia-  
bolum.

F. VI  
21

Matth. 7.

Matth. 8.  
Matth. 9.

Matth. 11.

**A**Nte hoc Euangelium scribit Matthæus Dominum Iesum exprobra-  
se multis ciuitatibus in quibus virtutes fecerat multas, quod ad pen-  
nitentiam non fuissent conuersæ, sed in Ioanne præcurfore suo,  
qui austerioris videbatur vitæ, & in se, qui clementioris atque communi-  
oris, fuerant homines incolæ illarum scandalizati, insinuans, quod eo gra-  
uius essent habituri iudicium, quo præstita eis fuerant beneficia maiora.  
Ingratitudo enim erat ingens, quando beneficijs Christi multis, qui præ-  
clara coram eis variaq; miracula fecerat, fides eorum non respondebat.  
Idcirco dixit. *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone facta  
fuisent virtutes que facte sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egressi  
erant. amen dico vobis, Tyro & Sydoni remissus erit in die iudicij, quam vobis. Et tu  
Capharnaum, nunquid in calum exaltaberis? Usque in infernum descendes. Quia si in  
Sodomis facta fuissent virtutes, que facte sunt in te, remissus erit tibi in hunc  
diem. Verum amen dico vobis: Remissus erit terra Sodomorum in die iudicij, quare  
tibi.* Respondens igitur Iesus ad quæstionem, quæ inde nascebatur ex illis  
verbis, & quæ potuisset illi fieri. (Sciscitari enim quis potuisset: Quare plebs  
Iudæorum, quorum hic ciuitatibus exprobrabat, fuissent increduli, cum  
gentes adeo fidem alacriter receperunt) Patri suo gratias agit, dicens:

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abs-  
condisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paru-  
ulis.

Confiteor tibi, hoc est, cognosco, fateor, ad laudemque tuam manife-  
sto, & tibi gratias ago, qui Pater es meus per æternam generationem,  
aliorum autem membrorum meorum per adoptionem. Domine cæli &  
terræ, hoc est vniuersorum, tam cælestium, quàm terrestrium, tam visibili-  
um, quàm inuisibilium. Quia abscondisti hæc à prudentibus & sapientibus,  
& reuelasti ea paruulis. A prudentibus & sapientibus, non à verè sapienti-  
bus, sed à præsumptuosis, ab inflatis, à tumidis & superbis, qui sapientes  
sunt in oculis suis, cuiusmodi erant Pharisei, Scribæ & Legisperiti, &  
reuelasti ea paruulis, humilibus, nihil de se præsumentibus, hoc est, Apo-  
stolis, & per eos credentibus. Quæ sunt autem, quæ abscondita sunt super-  
bis, nota facta humilibus? Mytheria Euangelij, diuini beneplaciti secreta,  
consilia Dei & fidei arcana. Ea enim abscondita sunt prudentibus & do-  
ctis huius mundi, vt licet multa de his intelligant, multa disserant &  
doceant, non tamen ea, quæ loquuntur, mentem eorum afficiunt. Hi  
enim quorum mens afficitur, suauiterque consentiens quiescit in amore  
veritatis, in cognitione, approbationeque diuini beneplaciti, verè sunt sa-  
pientes dono sapientia: illuminati, & charitate confortati, quantum libet  
sunt, siue eruditi, siue illiterati, sunt tamè humiles & paruuli, idonei ad Spiritus  
sancti capiendâ illuminatione. Hi sunt, quibus Deus secreta sua reuelat.

Esaiæ 55.  
Ioan. 9.

Abscondita  
quædam sunt  
superbis.

Sapientes  
verè quoniam  
consentendi.

Alij

Alii verò omnes, quamvis eloquentes, quamvis docti, quamvis prudentes, huius tamen sunt coram Deo. Nihil enim stultius, quam Deo non obedire, cunctis terrena præferre, caduca magis, quam Deum amare. Beati igitur quibus Deus ea reuelat: beati etiam, quos Deus paruulos ac dignos hac reuelatione facit. Neque enim habet homo, vt gloriatur se paruulum fuisse, aut humilem, & propterea illuminatum. Si illuminatus es, à Deo illuminatus es, & si paruulus es, à Deo hoc quoque accepisti, vt paruulus esses. In omnibus igitur laudanda est multitudo dulcedinis diuinæ, & misericordiæ eius cōsiderantia infinita. Itaque reuelat Deus secreta sua, ea scilicet, vt sunt via ad ipsum occultæ, ad perfectionem tractus quidam, sed & discretio quoque, prudentia, ac moderamen, inter agenda, eligenda & respuenda, cognitio nem & amor diuinæ voluntatis, quæ omnia humilibus reuelantur bonæ voluntatis. Horum innumeri fuere, suntque hodiè omnes electi Dei, qui non in sublimitate sermonis, non in calliditate & astutia sensus, non in opinione magni nominis, aliquid apud filios huius seculi æstimati sunt, sed à mundo potius contempiti, atque viles inuilesque reputati. Hi, inquam, sunt paruuli illi, quibus Deus reuelauit. Quapropter Apostolus dicit Corinthiis: *Videte, inquiens, vocat ionem vestram fratres, quia non multi sapientes sunt inter vos* (de mundi sapientibus loquitur) *sed quæ stulti sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.* Et iterum: *Nōne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?*

Secreta quænam Deus suis reuelat.

1. Cor. 1.

ibidem.

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Ita fit, ita congruit, sic te decet Pater, quoniam tibi ita agere est beneplacitum. Tua enim voluntas congruentissima, sapientissima, iustissima, ac optima est. Quare etiam, cur hi illuminentur, isti relinquuntur, ratio non est alia nobis inuestigabilis, quam diuinum sanctissimumque Dei beneplacitum. Voluntas enim Dei est, vt hic saluetur, iste relinquatur. Petrus namque & ludas, vterque peccauit, nec impossibile fuit Christo respicere misericordiz suæ oculo ludam, quemadmodum respexit & Petrum. Sed quare non fecerit, non aliud respondere nos possumus, nisi quia non voluit. Propterea sanctus Augustinus in Homelia dicit super verbo: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Quem trahat, & quem non trahat, & cur istum trahat, & illum non trahat: Noli iudicare, si non vis errare. Nondum trahitur: ora vt trahas. Hoc tamen certum legimus in scriptura, Deum dici in durare, non misereri, excæcare, & hic Deum proinde abscondisse quibusdam Euangelium suum. Deum, hoc est, Christum locutum esse in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Verum hæc & omnia alia, de Deo intelligenda sunt negatiue, hoc est, quod non querentibus, non volentibus non dat gratiam suam, quomodo sol fenestras suas occultantibus negat radios suos. Verum qui aperit, nōne ex dono Dei aperit? Nihil igitur possumus hic definire. Sed dicit quis: Et qui fenestras suas aperit, nunquid non ex dono Dei aperit? Dico verum est, cogimur igitur tacere, quia non possumus inuestigare, & fateri cum Apostolo: *Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.*

Math. 26. 27.

Augustin. Ioan. 6.

Exod. 7.

Esaiæ 6. Marci 4. Lucæ 3.

Rom. 9.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

R. 3

Certum

Math. 8.

Certum est Filium Dei esse æqualem Patri, Deum de Deo genitum, con-  
substantiali Patri. Certum est etiam, iuxta Christi humanitatem, omnia  
tradita Christo à Patre suo, quandoquidem ipse quoque post resurrectio-  
nem Apostolis fateatur, dicens: *Data est mihi potestas omnis in celo & in terra.*  
Quod tamen non ita crasse intelligendum, ut Pater se ab aliqua potestate  
aut virtute exemerit, seq̄ue nudans eandem Filio tradiderit, sed ita tradidit  
Filio omnia Pater, ut eadem nihilominus quoque remaneant in Patre.

Et nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit  
nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

2. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

Non est intelligendum, quando dicitur: Nemo nouit Filium nisi Pater,  
aut e diuerso, nemo nouit Patrem nisi Filius, quasi Pater non nouerit seip-  
sum, aut se ipsum non nouerit Filius: sed intelligendum est, ut sub intelligen-  
tur nemo alterius essentia nouit Patrem nisi Filius, tunc enim adstruitur,  
&c. nosse & Filium, & Spiritum sanctum. Excipitur enim quilibet alterius  
essentia, non excipitur quilibet alterius persona. Nemo igitur cognoscit  
Deum perfectè, nisi Deus, siue Pater, siue Filius, siue Spiritus sanctus. Deus o-  
nim solus cognoscit seipsum, quia Deus, quum infinitus sit, à finito cognosci  
non potest. Quamuis autem Deum, nulla cognoscere possit creatura, hoc  
est, eius essentiam, radius enim aliquis diuinæ essentia: communicari potest  
intellectuali creaturæ, quo iuxta capacitatem suam intellectualis creatura,  
siue angelica, siue rationalis aliquo modo illum cognoscit. Siquidem in  
hac vita per fidem & donum sapientia: cognoscunt Deum electi, non qui-  
dem perfectè, sed ex parte. Porro in patria (sicut Ioannes ait) *videbimus eum  
sicuti est*, scilicet in seipso, non tamen plenè comprehendemus eum, sicut ip-  
se seipsum plenè comprehendit infinitus infinitum. Iam itaque ubi se æqua-  
lem in maiestate monstrauit Patri, ubi non omnibus sui noticiam infulam  
seu reuelatam ostendit, exclamat:

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego  
reficiam vos.

Ioel. 2.

1. Pet. 1.

Venite ad me omnes per conuersionem mentis. *Conuertimini ad me in tuo  
corde vestro.* Venite per desiderium spiritus. Venite per auersionem mentis  
vestra: à carnalibus desiderijs, & rebus caducis, quæ nihil vobis proderunt  
in die visitationis vestra: Venite ad me per imitationem virtutum, & actu-  
um meorum. Venite igitur ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. O-  
mnes qui laboratis varijs ægreditudinibus animæ, torpore, ignorantia, calig-  
ine, concupiscentia, infirmitate, praua consuetudine ex fomite peccati, ut  
per me adiuti non laboretis. Venite omnes, qui laboratis & onerati es-  
tis peccato idololatriæ reliquisquæ immanissimis sceleribus, quæ vos  
grauant ponderosus talento plumbi, deponentes omne hoc pondus &  
circumstantes vos peccatum. Venite etiam, qui sub onere legis, quod  
vobis imposuit Moyses, id quod neque vos, neque patres vestri ferre po-  
testis, & ego reficiam vos pane confortationis, & consolationis, & gra-  
tia: mea.

Panis quoru-  
plex.  
Lucæ 6.  
Ioan. 6.

Est autem multiplex panis, quo nos Christus reficit. Panis super substan-  
tialis, qui sumitur in Sacramento, de quo Christus dicit: *Caro mea uerè est  
cibus.*

*est.* Denique: *Panis, quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita.* Est iterum panis obedientiæ, ac bonæ actionis, de quo Christus idem dicit: *Meus panis est, vt faciam voluntatem Patris mei.* Est deinde panis lachrymarum. Est quoque panis vitæ & intellectus. Omnibus his reficit Christus. Exultemus igitur ad hanc vocationem suauem, omnique gaudio plenam, vbi non vnus aut alter, sed omnes vocamur. Quo? A labore ad requiem, ab oneribus ad refectiorem, ab ira ad gratiam, à morte ad vitam, à tenebris ad lucem, à captiuitate ad libertatem, à seruitute ad amicitiam Dei.

Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue.

Iugum obedientiam legis Euangelicæ significat. Vnde beatus homo, qui portauit iugum Domini ab adolescentia sua. De hoc iugo Domini, quod hic vocatur suauis, Augustinus luculentissimum facit sermonem, quasi interrogando dicens: Mirum videtur quibusdam fratres charissimi, quum audiunt Dominum dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue, & considerant eos, qui iugum ipsam intrepida ceruice subierunt, & sarcinam illam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocati videantur, cum & Apostolus dicat: *Omnes qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patientur.* Ait ergo aliquis: Quomodo iugum leue est, & sarcina leuis, quando quidem & illud iugum & sarcinam ferre, nihil est aliud, quam pie viuere in Christo? Et quomodo dicitur: *Venite ad me, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos,* ac non potius dicitur: *Venite qui vacatis, vt laboreris?* Nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leui, & sarcina leui audiamus Apostolum dicere: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, tanquam Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, & cætera.* Et alio loco in eadem epistola: *A Iulius quinq; quadragenas vna mimis accepi. Ter virgibus casus sum, semel lapidatus sum, iter nauis fugium feci. Nocte & die in profundo maris fui, & cætera,* quæ numerari pericula quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu sancto iuuante, non possunt. Omnia ergo illa, quæ commemorauit aspera & grauiora, frequentius & abundantius sustinebat: sed profectò aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauiora releuaret. Ecce quam suauiter iugum Domini portabat, & quam leuè sarcinam, vt omnia illa, quæ superius enumerata, dura & immania omnis auditor horrescit, leuem tribulationem diceret, intuens interioribus & fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, & sine vlla sollicitudine perfrui æterna felicitate iustorum. Et post pauca. In omnibus rebus quoque terrenis, quarum licet studia, exercitiaque laborio-

R 4      fissima

fiffima ac difficillima sint, laborem tamen hunc ostendit tolerabilem, & sæpenumero suauem, idque per amorem, quo res huiusmodi, aut desiderantur, aut exercentur.

Vndè difficillimis quibusdam ac laboriosissimis enumeratis tandem concludens, ait: In omnibus his, qui hæc non amant, puta in militia, negotiatione, venatione, studio literarum, & reliquis id genus, qui hæc non amant, eadem graua patiuntur. Qui verò amant, eadem quidem, sed non graua pati videntur. Omnia enim læua & immania, prorsus facilia, & propè nulla facit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit. Quam facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pona veteretur, æterna requies comparetur? Non immeritò Paulus vas electionis dixit: *Non sunt condigna passionis huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis.* Ecce vndè iugum illud suaue est, & sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis est tamen omnibus diligentibus. Vndè dicit Psalmista: *Propter verba laborum tuorum ego custodiui vias duras.* Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Nihil enim tam facile bonæ voluntati, quam ipsa sibi, & hæc sufficit Deo. Hæc Augustinus. Venite igitur, qui hæcenus laborastis in vitijs, & pro desiderijs vestris explendis, sub graui iugo, vt peccati serui militastis. Abijcite graue hoc iugum peccati quo diabolus vos premit, & propria voluntas. Abijcite in fatigabile, inestimabileque peccandi desiderium, quod vestigal ac pensionem quotidianam à vobis exigit, vt à labore multò liberemini. Quæ enim requies dulcior, quam à peccatis ferias agere? Quæ suauior, purior, honestior, ac quietior, quam vitijs non seruire? Venite igitur, inquit Christus, omnes qui laborastis & mole prauæ estis consuetudinis onerati, vt vos reficiam, vt vos reletuem. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Hic ponit, vndè iugum suum nobis fiat suaue. *Humilibus enim Dominus semper dat gratiam,* & humiles habent vndè non murmurent, vndè non fatigentur in opere Dei, vndè non glorientur, vndè sibi non placeant. Quicquid enim fecerint, minus illis adhuc videtur, eo quod debent. Porro mitem esse corde, est esse non amarum, non virulentum, non impatientem, non iratum, non durum, nõ inuidum. Humilitatem itaque habere & mititatem, est habere ad Deum, proximumque charitatem. Qui enim humilis est, præcepta Dei seruat, legi se Dei subiicit, diuinis obtemperat mandatis, patiensque est, vt quæ à Dei prouidentia submittuntur toleranda, non respuat, sed æquanimiter ferat. Qui etiam humilis est, proximum non despicit, non iniuriatur alicui, nemini exprobrat, nemini resistit, neminem oppugnat. Quapropter cum omnibus habet pacem, concordiam, & charitatem. Ad hæc quoque maximè iuuat mititas, quæ facit verborum iniurias tolerare, benigno alienam iram sermone, suauiter, serenoque vultu placare, ad contumelias tacere, non vlcisci iniurias, non pro malo malum reddere, dolos, fraudesque, aut non aduertere, aut pie dissimulare. Has duas virtutes largiatur nobis Dominus Iesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

Amor vti omnia gesua leuia efficiat.

Roma. 8.

Psal. 119.

Matth. 11.

Iacob. 4.

1. Pet. 5.

Roma. 12.

DOMIN. VI. POST NATIVIT. CHRISTI.  
SERMO DE EADEM DOMINICA.

137

F. VI  
21

*Quibus Domini iugum sit suave: & humilitas quomodo obtineatur.*

**D**iscite à me, quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve, Matthæi XI. Omnes nos pijsissimus Saluator vocat ad iugum Evangelicæ legis, auocans à iugo diaboli, à iugo peccati & à iugo propriæ voluntatis. Sub his enim iugis quamdiu adstricti fuimus, ducimur captiui cum contumelia & contemptu Dei, ad omnem transgressionem diuinorum præceptorum, & ad diaboli voluntatem. Quocirca vt dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis iugum vitiorum, Psalm. 1. necesse est vt salutare suaueque iugum Domini nobis imponamus, si Domini volumus esse iumenta. Ne autem territi causemur iugum nos Domini ferre non posse, promittit suum iugum graue non esse, sed suaue & leue, ad hæc nos velle reficere, quo facilius omnem feramus laborem. Hæc itaque Domino promittente globum Choreitarum magnum audio, hoc est, Christianorum impiorum, fallorumque monachorum ego audio murmurantium, obloquentiumque, quod nimis sit graue Domini iugum, video quoque quod ferre quotidie queritur occasio, qua Domini iugum omnino tollatur, aut abijciatur, aut releuetur. Omnes clamant: Hoc mihi onus graue est. Hoc ferre non possum: cum Dominus interim iugum suum dicat suaue, & onus leue. Est reuera Domini onus siue iugum suaue, sed bonæ voluntatis hominibus, nam duris, immortificatisque hominibus, qui propriam nolunt exuere voluntatem, necesse est vt durum, graue, molestumque sit & sentiat. Porro anima quæ ad Deum se conuertit, quæ ad Deum amans aspirat, quæ Deum querit, huic nihil est difficile, quicquid illi occurrerit, quo se sperat placere Deo, aut perducere ad Deum. Dulcis enim adeo, aut saltem desideratus illi est Deus, vt eius amore, neque graui, aut molesta fastidire, neque declinare aduersa possit, sed gaudeat potius quod inuenerit, vbi se commendabilem, obedientemque exhibeat Deo. Desiderium namque hoc placendi Deo, amandi Deum, honorandi Deum, gratumque quid eidem exhibendi, non finit hominem quiescere, negligereve aliquid, nec permittit sentire iugi grauitatem seu molestiam.

Iugum Domini quibus sit suaue, & quibus onus.

Voluntate omnino propria exutus quantalibet securitate gaudeat.

Quæcumque itaque anima à terrenis se abstrahit, studiosa quomodo coniungatur Deo, quæ præterea conatur omnium medio carere, quod inter se & Deum potest inuenire, huic proculdubio suaue est iugum Christi, sunt enim qui tolerant, fouentque media inter Deum & animam suam, & diligunt sua impedimenta ipsa, his non mirum est, vt fiat iugum Domini insuaue. Porro, qui ab omni proprietate, hoc est, à proprio amore, à propria affectione, sensu, iudicio, voluntate, zelo, opinione & inclinatione quacunque propria, hoc est, quæ seipsum respicere, aut querere possit, fuerit excitus ac liber, illi suauius est iugum Domini, quia voluntatem habet communem in Deo. Nihil enim torquet eum, cum non habeat in se proprium quid, pro quo zeletur, timeat, doleat, aut gaudeat: sed omnia habet communia cum Deo, hoc est, vnum velle & nolle, & omnia illi placent, omnia ita vult, vt accidunt à Deo. Ad nihil aliud respicit, quam ad Dei beneplacitum,

S tum,

em, &  
dehido.  
em co-  
egoria-  
non a-  
ed non  
& pro-  
trudi-  
is fecit  
ona vi-  
ctiois  
euelab-  
iusta est  
it Phl-  
ra sunt  
cile bo-  
Venite  
lendis,  
peccati  
e, infe-  
dianam  
ulcior,  
uictor,  
abora-  
os re-  
m suum  
umilo-  
de non  
illis ad-  
parum,  
uidum.  
mumq;  
ubijci-  
ria libi  
am hu-  
expro-  
bus ha-  
uar mi-  
fermo-  
ifica in-  
duerit  
us Iesit

RMO

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

tum, quia negligit, non recordatur, non querit, non amat seipsum. O quam pacē habet, & quā suauiter portat iugum Domini, qui proprietate omni caret, quicquid agit, quicquid patitur, nihil, aut modicum sibi videtur, quia nunquam suo potest satis facere desiderio honorandi, exaltandi, Deum.

Onus Christi  
leue quod.

Quæ sunt autem onera? hæc sunt multiplicia grauamina, infirmitates, incommoda, aduersitatesque quas super hominem venire finit. Sed heu, quam paucis hæc sunt leuia. Conquerimur omnes, effugere & euadere conamur omnes, cum tamen homini adeo sit necessarium pati, vt vix spiritualis effici, vix ad interna venire queat, nisi pressuris & tribulationibus impulsus. Quapropter cum *Christum sportuit pati, & sic in gloriam suam intrare*,

Lucæ 24.

quid aliud nobis expectandum est? Et si patiendum est nobis, cur duplici afflictione conterimus nos? Quare non voluntarij sumus ad patiendum? quare non hilares patimur? quare addimus onus oneribus nostris? Non igitur consultius esse aut dici potest homini quicquam, quam vt suapte deuotione, resignatione, spontanea subijciat se Deo humillime, & consentiat, offeratque se Deo in eius beneplacitum vniuersum. Qui huiusmodi est, onera portat leuia. Nihil enim illum conturbat. Quando quidem omnia iudicia ex manu Dei recipit. Iam videamus quod reliquum est. Inuitat enim nos Dominus ad iugum suum Euangelicum tollendum, hoc est, accipiendum: quo significat liberum arbitrium. Neque enim cogit nos, sed si consilio volumus acquiescere salutari, tollendum est eius iugum super nos, oneraque portanda, quæ nobis ille ferenda imponit. Hortatur autem nos ad recipienda onera, promittens illa nobis fore leuia. Quod vt ita fiat, docet nos vt imitando eius discamus humilitatem, qua fiat vt nihil nobis graue, intolerabile ve videatur. Vide autem quam grata sit illi, necessaria nobis humilitas. *A summo enim celo egressio eius*, sed non magna, subtiliave nobis attulit philosophica documenta. Non mundi docuit astuciam, sed mititatem & humilitatem. Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Hanc eruditionem nobis legendam obtulit in libro vitæ, hoc est, in libro humanitatis suæ, in libro sanctissimæ, innocentissimæque conuersationis suæ. Breuis est hæc lectio, qua nihil breuius possit doceri, nil capi facilius, nil obseruari vtilius. Beatus qui humilitatem in hoc libro didicerit vitæ, qui in cor suum hanc inscripserit lectionem, vt sæpius, iterumque inspiciat, ac imitari gestiat exemplar sibi præmonstratum. Inter omnia agenda, in omni euentu Dei seruus ad exemplar, hoc est, ad librum vitæ, ad vitam & humanitatem Christi deberet recurrere: in singulis ambiguis, eius mores, gestus, actus & virtutes contemplari, seipsum interrogare inuestigando, cuiusmodi Dominus verba, cuiusmodi gestus, in hoc aut simili casu exhibuisset, & quomodo illum conformiter debeat imitari. Gratissima certè Deo & hominibus est humilitas, nec minus dulcis mititas. Vt igitur mites, humilesque esse possimus, quæ sequuntur, obseruare studiosè nos docet. Primum, qui ex animo cupiunt esse, inueniri que coram Deo humiles, non refugiant humiliari. Tantum enim necessaria est introducendæ humilitati humiliatio, quantum curuitati virgæ necessaria est curuatio. Quocirca omnia, quæ sapientes huius mundi, & filij seculi huius arbitrantur ignominiosa, debent studiosus & amator humilitatis libenter amplecti. Certissimum namque est

Mat. 23.

Humilitas  
Christi quam  
to studio i  
mitanda.

Humilitas  
quomodo ob  
noscitur.

I.

signum

ignum veræ contritionis, atque poenitentiae veræ probatio euidentis, qua agnoscitur de præteritis dolere peccatis potes, si in omnibus cupias haberi iuxta opinionem seculi minimus atque nouissimus, si ad æstimationem tui nullam, hoc est, si ad nihil independentiam tui possis, & ad tui contemptum peruenire. Hoc autem studium debet esse vigil & continuum, quod constanter oportet continuari. Est igitur pro regula tibi id generali tenendum: alioqui quisquis libenter esses humilis, de quibuscumque licitis seculi amatores erubescunt, aut ignominiosum ducunt, non erubescere. Intelligat autem qui se hic exercere cupit, magna indigere se Dei gratia, quam cooperatricem inueniet paratissimam, modo industria propria ad hoc vtens, voluntatem, conatumque habeat feruentem. Cauendum quoque, ne ex sui humilitione, alia superbia interior sibi, aut complacentia, aut vanæ gloriæ nascatur appetitus. Qui tamen si contra voluntatem tuam se conetur ingerere, contemnendus, exhibendusque est, nec à bono propterea studio, exercitiove cessandum. Secundo, ad veræ humilitatis apicem aspiranti necessarium est (propter confringendos superbiz motus) in omni re, & vbi cumque negligentia, error, delictumve admissum fuerit, id sibi adscribere, sibi culpam tribuere ac fateri, si offensus humana contigerit, primo veniam petere, suam esse hanc culpam confiteri. Et quamquam id non semper fit conscientiae necessarium, vt iniuriam patiens sibi culpam adscribat, atque laesus à ledente veniam petat, est tamen exercitium obtinendæ perfectæ humilitati necessarium. Et hoc modo superbiam oportet propriam confringi, hoc modo humilitatem constabili oportet, hoc denique modo ædificatur, meliorque efficitur proximus, & se humilianti à Deo accedit gratia maior propter conculcationem victoriamque superbiz. Tertio, non minus te culpabilem æstimare Deoque gratias agere conuenit pro culpa seu delicto non perpetrato, quam de peccato admissio & condonato. Ex eodem enim manat fonte bonitatis & paris est misericordiae, à delicto præseruare, & delictum remittere. Omnium igitur te peccatorum clama reum, quæcumque homines audieris fecisse. Nam si non diuina te gratia præseruaret, iam cecidisses, hæc exiustimatio profundius cor tuum penetret ac humiliet. Indè enim mitigaberis contineberis que à iudicando proximum. Quem nolle vnquam iudicare in corde, aut in verbis coram alijs, tanta tibi proponere debes constantia, tam firmo statuere pacto, quanto statuis non fornicari. Quarto charitatem sinceram ad omnes te oportet habere, non separatim hunc plus, hunc minus diligendo ex aliqua causa propria, puta quia tibi fauet, quia te excusat, quia tecum familiariter conuersatur, sed pari, hoc est, diuino amore, eademque charitate & bonos & malos diligere vnumquemque scilicet in eo gradu quo à Domino Deo diligitur. Ibi igitur omnis priuatus est excludendus affectus, relegandusque amor omnis naturalis, quo nostros amicos, fautores, pulchros homines, conterraneos, huiusmodique alios solemus in amore præferre. Quinto, in omnibus (vbi spirituali id profectui non aduersatur) rebus temporalibus eligere locum viliozem, remque ignobiliorem, alios quoque semper tibi ex animo præferre: gaudere quod ea, quæ alij reijciunt, possis obtinere, alijs optionem relinquere, atque te meliores æstimare & digniores in Dei oculis esse. Et hic vigilan-

§ 2 dum,

F. VI  
21

II.

III.

III.

V.

VI.

Math. 6.

dum, ne ex hoc æstimationem tibi aliquam procurare velis aut gloriari cupias. Syncerum enim esse debet quodcumque studium humilitatis. Sexto ad perfectam pertinet humilitatē super nulla re conqueri. Conqueri namque semper aut superbiam, aut amorem priuatum habet annexum. Disce igitur tu omnia in silentio sustinere, & quamdiu abest tibi periculum aut animæ aut corporis, disce pati, disce non murmurare, non conqueri, disce tacere. Habet enim sæpenumero magnam speciem aut gloriantis inaniter, aut immortificati & impatientis conqueri, aut saltem alijs narrare, quid sustinueris. Quid enim opus est vt hominibus id referas, si ab hominibus non expectas mercedem? Porro si ab hominibus mercedem aut fauoris, aut opinionis, aut gloriæ quaeris, apud Deum nullam expectabis, sed dicitur tibi: Reddita est tibi in vita merces tuā. Disce igitur vbi que in silentio prestolare salutem Dei. Non igitur te ipsum defendas, non te ipsum excuses, non pro te pugnes: sed tu tace, & Dominus pugnabit pro te.

Luc. 18.

Charissimi hortor, monso ac rogo vos omnes aduertere hanc lectionem Christi, & à Christo discere quam oporteat vos esse humiles. Absque humilitate nihil vobis conducit, imò nocent vehementer quæcumque alia habetis bona à Deo. Cum humilitate non nocebunt etiam bonæ voluntati mala præterita. Quare? quia eleuant vos in superbiam. Superbia autem destruit omnia bona, cunctaq; dona à Deo accepta. Nōne vidistis hoc in superbo pharisæo? Quanta enim ille enumerat, quæ ad laudem pertinent (quamuis propter laudem non dicat, quia in secretis orans recensuit, nec etiam sibi eadem ascripsit, imò pro his tanquam à Deo acceptis, gratias egit) nec tamen omnia illa bona ei profuerunt propter superbiam quæ eius bona destruebat? Sed vbi aut vndè erat superbus? Quia despexit alios. Non sum, inquit, sicut cæteri. Non sum sicut publicanus iste. Contempsit peccatores & eum, quem errans etiam iudicabat peccatorem, tamen illum Dei gratia per humilitatem ipsius iam iustificauerat. Contemnendo itaque non solum omnia bona sua contaminauit, & non accepta Deo fecit, sed etiam graui se peccato astrinxit. Quid ergo profuerunt ei omnia bona illa, quando hoc defuit ei, vndè reliqua placere debuissent, scilicet humilitas? Porro publicanus, quem Pharisæus peccatorem iudicauerat, non agnoscebat in se bona, vndè gloriaretur, agnouit autem mala multa quorum poeniteret, & pro quibus se humiliando veniam præcicaretur. Quod vbi verba quinque tantum loquens faceret, dicendo: Deus propitius esto mihi peccatori, exiit iustificatus de templo. Videtis quid fecit superbia? Videtis quid fecit humilitas? Discite igitur, inquit Christus, à me quia mitis sum & humilis corde. Hæc namque est disciplina Christiana, vt simus humiles, neminem iudicantes aut contemnentes, sed nos potius omni, creaturæ subijcientes propter Deum. Simus mites, neminem exasperantes aut lædentes, sed iniuriosos atque inimicos etiam quoscumque, non solum toleremus, verum etiam diligamus illis beneficientes. Non est alia via ad regnum cælorum. Qui saluari cupit, hanc ambulet viam. Quisquis aliam ambulat, regem filiorum omnium superbix imitatur, & ad infernum ambulat. Quisquis aliam docet, ad gehennam ignis te mittit. Dominus noster Iesus Christus, quod iubet, doceat, & quod nos docet, nobis infundat, vt hic ipsum imitemur  
in ter-

in terris, & postea cum eo regnemus in caelis, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA. EPISTOLA beati Pauli Apostoli, I. Corinth. IX.

**N**escitis quod hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in mari transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari. Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spiritali conseqente eos petra. Petra autem erat Christus.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**S**atis ante hunc locum epistola Paulus explicat, quanta diligentia, quanto vteretur quoque studio ad promouendum Euangelium, cuius receptione multi saluarentur, quorumque ipse salutis promotor & participes esset. Tanta autem operam impendit Evangelicae promotioni, vt nihil negligeret, omnem moueret lapidem, omnia pateretur, omnia prospiceret quocaueret, ne scandalum pareret, aut offenculum Euangelio. Qui enim, inquit, pro victoria & premio currunt, ab omnibus abstinent quae se impediunt, & quamuis omnes currant, omnium vnum idemque sit studium, vnus conatus, alios praecurrere: vnus tamen solus obtinet brauium. Hoc modo vult inducere, vt omnibus praecipua & vna sit cura, & quibus possint viribus currant, omnemque robur suum extendant ad obtinendum brauium aeternae felicitatis. Quapropter dicit: Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, & vnusquisque primus ad terminum spatij venire contendit, quo celerioris cursus sui obtineat praemium, non tamen omnes, sed vnus tantum accipit brauium, vt pote qui primus ad meta terminumque cursus pertigerit? Hac Paulus vult nos similitudine docere, quod omnes debemus nos in anteriora extendere, nec aliter niti, quam ipsi velimus brauium obtinere. Conatus namque tuus benefaciendi eo se debet extendere, ac si tu ipse esse velis primus, qui caeteris velocior currat primusque veniat. Et quamuis conatus corporalis & virium in cursu viarum Dei proficiendi esse possit nimius, adeo vt non solum non promoueat, sed impediatur etiam celeritatem veniendi ad perfectionem virtutum, charitas tamen & deuotio in infinitum se potest extendere, vt nunquam tantum ames Deum, quin possis plus diligere. Nunquam tam magna est charitas, quin esse possit maior. Quapropter nullam vnquam tibi constituas mensuram charitatis, quam

F. VI  
21

Ibidem.

attigisse in hac vita tibi putes sufficere, nec terminum proficiendi, vltra quæ extendere te nolis, tibi præscribas: sed ad anteriora te extende, quod tamē semper intelligendum est de affectu charitatis, non de exercitio: de bona voluntate, non de voluntatis executione. Necessē enim est in exercitijs accipere charitatis esse mensuram, ne indiscretio nimitasq; & spiritum extinguat, & corporis eneruet vires. Sic igitur curre, sic in charitate cresce, a deo dilates & extendas affectum tuum ad placendum Domino Deo tuo, & ad eius amorem, vt omnium optes esse perfectissimus, deuotissimus, fidelissimus, acceptissimustq; Deo, & in eius seruitio cum primis strenuus. Id tamen haudquaquam fiat respectu tui ipsius, quo exaltationem aut præminentiam tui queras, sed intuitu Dei (quo illi a deo placere, a deo esse fidelis cupas, vt quicquid feceris, quantumuis dilexeris, minus te fecisse te imo nihil fecisse aestimes. Itaq; hic conatus omnium sit Christianorum in stadio huius vite ad cælestis regni brauiū currentium, vt nemo inferior, sed alius alio in charitate cupiat inueniri perfectior: quandoquidem omnis hic abest vanitas, omnis inhonestia abest cupiditas, sola ad desiderij extensionem erga Deum immensa flagrat charitas. Proinde omnes currant & laboris sui mercedē à Deo iuxta sua merita recipiant, licet vnus tantum præminentiam & cursum victoriam ante reliquos obtineat. Itaque sic currite, vt comprehendatis. Militiæ species amor est, discedite segnes. Quandoquidem *nemo ponens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei*. Sic, inquam, currite, & cum tanto seruore, cum tanta diligentia ac patientia in cursu persequere, vt æternæ felicitatis brauium obtineatis. Currite faciendo quæ ad cursum iuuant, abijciendo quæ impediunt. Et quia vnus accipit brauium, quæ fortasse quis iste sit vnus? Vnitas Ecclesiæ. Vnitas eorum qui sunt corpus Christi. In hac vnitate quisquis est constitutus, & currit animo seruente, obtinebit brauiū æternæ felicitatis, tamen si beatis (vt idem Apostolus dicit de planetis, & stellis, alia sit claritas lunæ, alia solis, & stella differat à stella in claritate) differentia sit in gloria. Sumit autem & aliam similitudinem, qua nobis persuadeat seruorem & diligentiam, à pugile. Omnis enim, inquit, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, quæ possent remorari in pugna luctantem. Hoc modo, quia militiæ est vita hominis super terrâ, incumbit nobis contra carnem & mundum pugnare quotidie, est quæ nobis colluctatio aduersus principatus & potestates, aduersus spirituales nequitias in cælestibus, ideo omnia impedimenta sunt nobis proficienda, quæ nihil ad pugnam faciunt, sed potius pugnantibus nocent. Huiusmodi vidit impedimentum in iuvene Christus, cui, vt venderet omnia, si vellet esse perfectus, consuluit. At ille tristis abcessit. De quo Christus discipulis: Quam, inquit, difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum? Sunt igitur pecuniarum impedimentum, quia raro sine amore possidentur. Quapropter ei, qui pugnare contendit aduersus diabolum, temporalium bonorum cura amorq; ressecanda sunt, vt ad pugnam reddatur expeditior. Quod in alijs quoque rebus seruandum est, vnde sibi occasionem inuenit homo, qua retrahitur impediturve à Deo, quia vt dicit: Qui in agone habet luctari, ab omnibus se abstinere. Non ab vno tantum quæ noxia sunt abstinendum est. Agonistæ autem huiusmodi id insunt laboris,

Lucæ 9.

I. Cor. 11.

Iob 7.

Ephes. 6.

Matth. 19.

Marc. 10.

Lucæ 18.

ria, vt corruptibilem accipiant coronam: nobis verò ideo abstinendum est ab his, quæ noxia sunt, quæve animam impediunt, vt coronâ percipiamus incorruptam, immarcescibilem, & æternam. Ego igitur, qui vt prædixi, omnia facio propter Euangelium, tam feruenter, tam fideliter & expedite curro ab omnibus, quæ retinere possunt, abfulutus & liber, nõ vt is, qui in incertum currit. Currit autem in incertum, qui sic viuunt, vt aliqua agat vnde speret, aliqua item agit, vnde desperet. Sic quoque pugno contra diabolum, & omnes tam animæ, quàm Dei hostes, non quasi aerem verberans, inaniter & absque fructu, aut sicut qui dirigit sagittas in aerem. Sed, vt hostem possim ferire, carnem scilicet & diabolum, castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Vides quid exèpli causa posuerit Paulus, quo probare, quàm non inutiliter curraut pugnet, voluit? Nempe contradicentibus omnibus Lutheranis & detestantibus, id in testimoniũ assumpsit, quod castigaret corpus suũ quam castigatione ex humilitate quoque sibi quasi necessariã cõsuetur, subiungens: Ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Væ tibi miser Paule, quomodo excidisti à Deo, vt in abstinentijs & carnis macerationibus remedium quæras contra petulantiam carnis, in hisque confidas? Nescis quia Lutherani hæc omnia abijciunt, & ociosa se fide saluari sperant? An ignoras, quod propterea monasteria sua deseruerunt, quia graue ibi eis erat carnem mortificare, luxuriamque vincere, vt hoc profiterentur Euangelium, hanc sectam, ad quam non segnius, quàm Paulus ad brauiũ cucurrerunt) in qua impunè inculpateque sibi licet edere, & cum mulieribus fornicari Moabitibus? Sed abfit, vt in ieiunijs & carnis castigationibus fideret Paulus: sciuit tamen ea esse necessaria vtilissimamque spiritui. Quæ Lutheranis non aliam ob causam, inuisa sunt & inutilia videntur, quia secundum carnem viuere (licet id erubescant fateri) eorum professio est & institutum, non opera carnis spiritu mortificare. Vult autem Paulus nos docere hoc suo exemplo, ne in hoc solo cõfidamus, quod baptizati sumus, & à peccatis omnibus superioribus semel mundati, escam quoque corporis & sanguinis Domini percipimus: quasi Deus propterea, quæ inter imãterauimus peccata, dissimulat, aut impunita relinquit. Sed currere & pugnare, inquit, debet omnis Christianus, quamdiu in huius vitæ stadio est constitutus, sicut ego, ne post omnia bona, quæ à Deo misericorditer accepit, adhuc reprobus efficiatur. Siquidem vt de Hebræis, inquit, aliquid inferam, qui nostri figuram tenuerunt: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt eos protegente ab æstu solis in die, & ab Aegyptijs abscondente, & omnes mare transierunt, hoc est, per alueum maris, per omnipotentiam Dei desiccatum, in quo eorum persecutores relabentibus vndis perierunt & omnes in Mose baptizati sunt figuratim in nube & mari, quia signum baptismatis acceperunt, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, puta manna. Quod cibus vocatur spiritalis, tamen si corporaliter resciebat & corporeum esset alimentum, vel propterea, quod virtute diuina & ministerio generabatur Angelorum in ære. Et omnes eundem potum spirituale biberunt emanantem de petra, quã Moyses virga percusserat. Dicitur autem potus spiritalis, quia naturali modo de petra non fluxit, sed spiritali gratia & miraculo. Vel quia nobis potum

In huius  
partis hære-  
ticos sedim-  
entos.

Gal. 5.

Exod. 13. 14.

Exod. 16.

Numer. 11.  
Deute. 8.

Exod. 17.  
Numer. 20.

S. 4. Chri.

F. VI  
21

Christi sanguinis praefigurabat. Bibebant autem de spirituali petra eos consequente, id est, desiderijs eorum feruiente. Aut consequente eos petra, id est, Christo per totum eremum, ut vbicumque desicerent humana subsidia constitutis in via, ibi Christus in petra significatus eis necessaria ministrabat. Ideo sequitur: Petra autem erat Christus, non re, sed figura & praefignatione.

EXEGESIS EUANGELII EIVSDEM  
Dominica, Septuagesima, Matthaei XX.

Septuagesimae mysterium quod.

**I**n hac Dominica filij hodierna Septuagesimam inchoamus, in qua latria cantica ex officio subducimus diuino, sic statuente Ecclesia, ut hodie deuotionem nostram recolamus, qua humanum genus multipliciter deuiavit a creatore suo, lapsusq; mirabili a paradisi amenitate exclusum, suo merito cecidit in multiplicem miseriam. Cecidit enim, ut dixi, ab incolatu paradisi, in exilium hoc, quo viuimus, laboriosum. Cecidit de vita in mortem, de requie ad inquietudinem, de pace ad perturbationes, de incolumitate & tranquillitate ad afflictionem. Hac autem omnia primi nobis parentes ac successoribus nostris in paradiso sua comparauerunt praerogatione. Recolimus igitur humani generis lapsum statusq; nostri miseriam in luctu & tristitia. Idcirco hodie quoque legitur Euangelium, quod nostri nobis exilij indicat laborem & conatum, per quem a labore iterum ad requiem, ab afflictioneq; ad pacem redire contendimus. Est enim laboriosa haec nostra vita, & exilium nobis calomitosum in poenitentiam datum, ut peregrinantes per varias difficultates ad patriam quam amisimus, reuertamur. Huius autem laboris nobis in hoc Euangelio Dominus Iesus narrat similitudinem, dicens:

Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exijt primo manē conducere operarios in vineam suam.

Iob 1.

Homo natus ad laborem dicitur, quomodo auis ad volandum. Et hoc maxime in hoc exilio, in quo nobis a Deo dictum est: *In sudore vultus tui visceris pane tuo.* Admonet itaque nos per similitudinem Christus, non otio indulgendum, sed labori, quo aeternam, iuxta suam conuentionem, hoc est, iuxta suam misericordissimam promissionem ab eodem recipiamus mercedem. Dicit igitur: *Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, ac si diceret: Negotium & status Ecclesiae militantis comparari potest homini patrifamilias, qui exijt primo manē conducere operarios in vineam suam.*

Genes. 1.

Familia Dei triplex quae.

Homo iste paterfamilias, Deus est omnipotens, qui triplicem habet familiam, caelestium, terrestrium & infernorum. Prima est familia filiorum cum patre regnantium. Secunda familia est militum pro honore patris & sua salute pugnantium, Tertia familia est incarceratorum, & operum suorum malorum poenas soluentium. Ad secundam familiam pertinet, quicquid hic de his, qui conducuntur in vineam, dicitur. Est enim vinea praesens Ecclesia, quae regno assimilatur caelorum, quia in ea, & non alibi negotium agitur, quo perueniatur ad regnum caelorum. Deus autem Pater idcirco homo dicitur propter pietatem, pater autem familias propter gubernationem.

Vinea quid mystice significet.

F. VI  
21

mem. Exit autem non mutando locum, sed diffundendo pietatem. Exit, sed nihilominus ubique manens, ubique operans, omnia gubernans, omnia servans. Exire tamen dicitur, ubi novos producit effectus. Verbi gratia: In mundum venisse dicitur, quia in mundo assumpsit carnem. In hominem quoque venire dicitur, quando novi aliquid in homine operatur, charitasque diffundit fervorem. Dies hic significat aetatem mundi, seu aetatem hominis. Diversae itaque aetates, diversae sunt horae diei. Manè igitur, aetatem significat primam mundi, puta tempus illud ab Adam vsque ad Noe. Exiit ergo pater familias manè, hoc est, in principio mundi conducere operarios, id est, iustos quoslibet, qui intermedio hoc tempore, scilicet inter Adà & Noe, exierunt, quos misit in vineam suam, id est, in ecclesiam suam, ut alios quoque edificarent verbo & opere, & unusquisque hæc dona, quæ accipit à Deo, proximis suis libenter impartiat, ad cooperandam omnium salutem. Ad hoc enim accepit quilibet à Deo talenta seu dona, non ut in terram fodiat, nec ut sibi soli his utatur aut abscondat, sed in utilitatem proferat multorum. Unde dicit Paulus: *Ego plantavi. Apollo rigavit.* Hoc igitur est in vinea Domini operari, donis à Deo acceptis in gloriam patrisfamilias, & in fertilitatem vineæ vi. Vineam enim ex operariis ipsis constituitur. Hi enim qui in vinea Domini operantur, sunt ipsa vinea, aut vites in vinea. Quemadmodum enim Ecclesie membra Ecclesiam constituunt, sic operarii, qui etiam vites dicuntur seu palmites, constitunt vineam. Christus tamen se nominat vitem. *Ego sum vitis*, inquit, & *Pater meus agricola est.* Nos verò vocat palmites, qui sub triplici sunt discrimine. Sunt nanque palmites in vite, id est, in Christo per fidem manentes, sed non virent, nec fructum adferunt per operationem. De his dicit: *Omnes palmites in me scilicet manentem, non ferentem fructum, tollent eum.* Hi sunt peccatores, sed fideles. Sunt alij palmites excisi aridique ad solium ignem idonei. Hi sunt hæretici & schismatici, qui nec Christo inhærent per fidem, nec per operationem. Vtrique palmites supradicti ad ignem, si ita inveniuntur in fine, projiciuntur. De his dicit Christus: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet. Et colligent eum, & in ignem mittent.* Tertij sunt palmites, qui in vite, id est, in Christo manent per fidem & operationem. De his Christus: *Qui manet, inquit, in me & ego in eo, hic fert fructum multum.*

Conventionem autem factam cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

Conventio patrisfamilias cum operariis est promissio mercedis, promissio æternæ retributionis, æternæ vitæ. Denarius præmium est seu felicitas æterna, debita ex promissio diuino, iuxta dignam operationem, observantiamque decalogi præceptorum Dei. Denarius enim olim ut quidam dicunt, decem nummis computabatur. Dicitur autem diurnus, quia pro eo continuè laboratur, & quotidie regnum cælestis ingredientibus datur. In prima hac mundi aetate misit Adam, Abel, Enoch, Seth, & quotquot fuerunt sancti vsque ad Noe. Sciendum in hoc labore spirituali nunquam deesse consolationem laboris, spemque præmij. In labore verò seu operatione corporali sæpenuero & opus & opera perditur, spes quoque & præmij & fructus

Ioan. 1.  
Manè quid signet.  
Matth. 27.  
1. Cor. 3.  
Ioan. 15.  
palmitum differentia triplex.  
I.  
II.  
Ibidem.  
III.  
Ibidem.  
Denarius diurnus quid sit.

os con-  
tra, id  
ubidia  
ministra  
præf-  
ua læti-  
e hodie  
pliciter  
lusum,  
ab in-  
de vita  
de in-  
mi no-  
præzua-  
miferi-  
quod  
iterum  
in labo-  
am da-  
ifimus,  
as leus  
qui ex  
Et hoc  
ut in ve-  
in otio  
hoc est,  
ercedit.  
ic si di-  
ini pa-  
suam.  
fami-  
rū cum  
& sui  
suorū  
requi-  
ens Ec-  
potum  
deirco-  
natio-  
nem.

fructus luditur. Nam hominum impostura nonnunquam operantem fallit, nonnunquam quoque gratis laborem impendit, quia nullus respondet fructus propter sterilitatem, aut propter aeris inclementiam, aliamve, sive terræ, sive temporis conditionem malam. Nam in vinea temporali, aut in agro sæpe operatio, quamuis ardua nil proficit, neque fructum, neque gratiam, aut consolationem operanti referens. At in opere spirituali nunquam conscientia deest hæc consolatio, quod iusta operatus sis. Est enim honestum, iucundum delectabileque cuicumque homini, quoties recolit se bene egisse, aut bene operatum esse. Est etiam bene operanti alia consolatio maxima, credere se Deum habere propitium & amicum. Quamuis enim ex operibus suis nemo sibi fiduciam promittat, nec consolationem accipiat, id enim humilitas prohibet, qua fit, ut si etiam iustus vir, qui bene egerit, id omnino ignoret, aut non iudicet bonum non operans tamen bonum, certam habet conscientiam, quod Dei præcepta non seruat. Non seruantibus autem Dei mandata non potest esse spei bonæ consolatio, sed futuri supplicij metus.

Hora tertia  
quid de  
figura  
mythice.

Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis:

Tertia hora est decursus mundi à Noe vsque ad Abraham, constituitur secundum ætatem mundi. Et inuenit stantes ociosos. Quisquis enim fides non habet ociosus est. Cùm autem fides non recipiatur per infusionem & reuelationem, omnis homo in se, & iuxta naturam suam consideratus, infidelis & extra vineam constitutus est, idcirco iure dicitur ociosus. Inueniuntur autem in foro, id est, in seculo isto negotiationibus, emptionibus & venditionibus, lucris quoque & damnis expositi. Ibi enim plerique pro commodis delectationibusque corporeis spiritualia bona, puta Dei gratiam, Dei dona, virtutes, consolationes spirituales & præmia æterna sibi comparant. Nō vt emptionis modo iuste ac digne pendant præciū pro bonis spiritualibus, sed quod Deus adeo sit misericors, adeo liberalis, vt non possit non reddere centuplum, quemadmodum promittit his, qui vel simpli illi offerunt, hoc interim sibi pro illius amore, quod delectat, subtrahentes. Alij rursus vt nature quam gratia bona vendunt pro temporalibus lucris, aut pro carnis delectationibus. Emunt igitur quidam regnum cælorum, nonnulli infernum comparant.

Math. 9.

Zacch. 13.

Math. 19.

Matth. 5.

Isaie 56.

Math. 19.

Quomodo, inquis, emitur regnum cælorum? Audiendo Christi vocem *Vade & vende omnia que possides, & da pauperibus, & sequere me: & habebis vitam æternam in celo.* Itemque: *Omnis, qui reliquerit agrum aut uxorem, aut parentes, aut filios, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Item: *Beati pauperes spiritus, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Emitur igitur regnum cælorum paupertate, seu omnium rerum abdicatione. Emitur etiam castitate. Unde per Esaiam Dominus dicit: *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia his dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, que ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen meum: ut a filiis & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Hi sunt eunuchi, qui (vt Christus dicit) seipfos castrant propter regnum cælorum, qui

neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in caelis. Verum quomodo, inquis, emittitur infernus, aut quis vult emere gehennam ignis? Omnis avarus & immundus & alij criminosi omnes, de quibus Apostolus pronunciat, quod regnum Dei non consequentur, comparant sibi infernum: praeferrunt enim voluptates suas Deo eiusque regno, spoliantes se eius gratia eiusque beatitudine pro noxijs, immundis, breuissimisque delectationibus. Et quid mirum est, si operibus malis emittitur infernus ac daemonum societas, quando seruus etiam piger & inutilis eijcitur in tenebras exteriores, quando negligens, qui non facit fructum bonum ac sterilis, in ignem mittitur? Redeamus ad textum, & audiamus quid paterfamilias his, quos hora conduxit tertia, locutus sit. Ait namque illis:

Itē & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt.

Iuxta modum ac mensuram charitatis vestrae reddetur vobis merces aeterna, quae non minor erit meritis vestris, sed tam incomparabiliter, quam misericorditer ea excedet. De hac mercede scriptum est: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua*, id est, iuxta exigentiam meritorum suorum. Illi autem abierunt, hoc est, à vitijs ad virtutes, ab operatione mala, & à bonorum sterilitate operum, ad bonorum operum fecunditatem.

Iterum autem exijt circa sextam & nonam horam, & fecit similiter.

Circa horam sextam & nonam inuenit, quos simili modo conduceret mitteretque in vineam suam. Sexta hora tertia est aetas mundi, extendens se ad Abraham vsque ad Moysen. In hac aetate missus in vineam est operari Abraham, Isaac, Iacob, duodecimque Patriarchae cum reliquis iustis. Porro à Moysē vsque ad Christum, quicquid temporis interfluit, nonam constituit horam, quartamque mundi aetatem. In hac aetate Moyses, Iosue, Aaron, Dauid, Ezechias, Iosias, ceterique reges & iudices boni cum Samuele & Prophetis reliquis, cum principibus & sacerdotibus intrarunt vineam Domini, & quod bonum est operando, vineam Domini excoluerunt. In hac aetate Iob quoque, & nonnulli alij ex Gentibus ad Domini vineam sunt vocati.

Circa undecimam verò horam exijt, & inuenit alios stantes ociosos, & dixit illis: Quid statis hic tota die ociosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Itē & vos in vineam meam.

Hora undecima tempus est Evangelicae legis ac gratiae. Tunc enim quinta aetas mundi incipit, in qua paterfamilias suum Filium misit in vineam suam cum Apostolis, Sanctisque omnibus, tum praedicatoribus, tum alijs quibuslibet credentibus, & ea, quae recta sunt, operantibus, qui non minus opere docent & exemplo, quam verbo. Quotquot enim fuerunt à tempore Christi, erunt vsque ad finem mundi, ubi aetas haec terminabitur in hanc aetatem suscipiuntur numerandi. Exijt itaque circa undecimam, & inuenit

T 2 alios

F. VI  
21

Gregor.

alios stantes in foro ociosos. Qui sunt isti alij, nisi gentes à Iudæis (qui ante referuntur vocati) moribus diuisi, atque sine Deo viuentes in hoc mundo ociosi? Et dixit eis: Quid statis hic tota die ociosi? Qui transacto longo mundi tempore pro salute sua laborare negligebant, quasi ociosi adhuc in foro stabant, ideo responderunt, quia nemo nos cōduxit. Nemo prophetarum, nemo ad gentes patriarcharum missus fuerat, nemo eis viam salutis predicauerat, idcirco dicunt: Nemo nos conduxit, nemo nos quid agere debemus, instituit. Idololatria nanque vbiq̃, dum Christus in mundum veniret, regnabat. Dicit autem & illis: Ite & vos in vineam meam, id est, in ouile meum. De his enim ouibus per Apostolos suos conuertendis Christus loquebatur: *Alas oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Et fiet vnum ouile & vnus pastor.* De Gentibus hoc dictum intelligimus, per Apostolos & Doctores sanctos vsque in finem mundi conuertendis.

Ioan. 10.

Cum autem serò factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.*

Matth. 7.

2. Thess. 4.

Ioan. 5.

Vocare operarios quid sit.

Ioan. 17.

Quum serò factum esset, cum finis adesset mudi, dixit Dominus vineæ, hoc est, Deus Pater, suo procuratori, hoc est, Christo Filio suo, cui data est omnis potestas à Patre in cælo & in terra. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Voca eos ad iudiciū, qui in Ecclesia laborauerunt fideliter. Ipse enim Dominus tūc in iussu & in voce Archægeli, & in tuba Dei descendet de cælo. Et vt alibi dicitur: *Veniet tunc hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius.* Vocare itaque operarios, est labori diei & mundo finem imponere, & reddere operarijs mercedē, ist est, vitam æternam. *Hæc est autem, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum Deū verum, & quē misisti Iesum Christum.* Nihil itaq̃ aliud est dicere: Voca operarios, quàm mortuos resurgere iube, & tantquam iudex viuorū & mortuorū, redde illis mercedem, incipiens à nouissimis, ab his scilicet, qui circa vndecimam venerunt, hoc est, ab his, qui tempore gratiæ vocati sunt. Hi enim quasi citius remunerati sunt, quàm priores alij, qui ante Christi natiuitatē operati sunt in vinea, quia multo breuiori tempore à regno cælorū, & à perceptione cælestis beatitudinis sunt dilatati. Antiqui enim Patres longo tempore post mortem suam (cum necdum illis referatus fuerat Christi passione aditus regni cælorum) expectarunt in limbo suæ captiuitatis liberationē. Porrò in nouo testamento Gentes mox vbi à corpore fuerint absoluti, remunerationem, quo ad animam, beatitudinis æternæ accipiunt. Vicinior quoque illis consummanda beatitudo, quo ad gloriam corporis fuit, quia quanto ab eorum morte ad resurrectionem vniuersalem propius illa distabat, tanto citius dici possunt alij, qui diu ante sunt mortui, laboris sui præmium recepisse.

Cum venissent ergo, qui circa horam vndecimam venerant; acceperunt singulos denarios.

Gentiles, & qui tardè conuersi sunt ad Christum, receperunt singulos denarios, hoc est, mercedem, quam promiserat paterfamilias his qui  
circa

circa horam fuerant primam conducti. Receperunt singulos denarios, non quod multi sint denarij, siue dij, siue beatitudines, sed vnus tantum est Deus, vna beatitudo, vnus denarius: & hoc quatenus loquimur de eo, qui beatificat, confert aut causat beatitudinem. Nam si loquamur de his, qui participant beatitudinem, seu qui recipiunt Deum siue denarium, tunc sunt multæ fructiones aut visiones, vbi singuli beati habent suam. Secundum Augustinum enim visio Dei est tota merces regni cælestis.

Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

Venientes primi, hi scilicet, qui ad vineam ante illos, qui circa vndecimam venerant, missi diutius fuerunt operati, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi propter opus plus diuturnum, acceperunt autem & hi singulos denarios. Non intelligendum est omnes in gloria beatitudinis esse pares, sed iuxta discretionem meritorum, alios alijs esse superiores aut clariores, ita tamen beatos singulos, vt nulli quid desit, ita plenos, vt capere plus non possint. Est enim dolium vino plenum, est etiam bathus, aut quarta aut vasculum paruulum plenum, vtrobique est plenitudo, magna tamen est differentia plenitudinis huius, iuxta vasorum magnitudinis seu capacitatis differentiam. Pari modo iuxta merita vniuscuiusque, quantum capere potest, omnibus erit beatitudinis plenitudo. Erit tamen magnum discrimen seu differentia claritatis: quando quidem stella differt à stella in claritate, & quomodo hic dispares sunt electi in merito ac gratia, ita erunt quoque non æquales omnes in gloria, licet omnes perfecte sint beati. Sciendum quoque, Deum in remuneratione, seu mercedis collatione non attendere solum ad laboris arduum, operis difficultatem, operumque multitudinem, sed ad charitatis magnitudinem atque feruorem, iuxta quem meritum essentialè mensuratur, & ad cordis munditiam, quæ iuxta gradus suos perfectius & clarius, aut imperfectius Deum videbit. Charitati enim essentialè præmium respondebit. Porro laboris magnitudini & similibus circumstantijs redditur præmium accidentale, iuxta quod maior aut minor fuerit operis difficultas.

Et accipientes murmurabant aduersus patrem familias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus?

Regnum cælorum murmuratorum nemo intrat. Quomodo ergo aliqui referuntur mercedem beatitudinis accipientes murmurasse? Dicendum, eos murmurasse, id est, admiratos fuisse seu expauisse incomprehensibilem diuinæ benignitatis multitudinem, quæ in omnes, præcipue autem in eos, qui circa vndecimam sunt horam vocati, erat tanta, vt non mirum esset primos murmurare contra patrem familias, si murmurare possent. Aut esto, quod aliqui possent murmurare, hæc & similia dicerent: Hi vna hora fecerunt, & pares eos nobis fecisti (scilicet in præmio) qui portauimus pondus diei & æstus, id est, qui maiores laboris, temporis, sudorisque portauimus difficultates. Hic colligitur vndecimam horam vltimam fuisse diei, & æstus.

Gregor.

Vndecima hora qua sit.

T. 3. vsque

E. VI  
21

Ioan. II.  
Math. 27.

vsque ad duodecimam, quæ diei erat finis, indeque conijcitur sextam fuisse meridiem, Christo testante: *Nõnne duodecim hora sunt dies?* Sequitur itaque sexta hora fuisse meridiem, qua Christus Dominus noster fuit crucifixus, nonam verò tertiam horam fuisse post meridiem, qua in cruce mortuus est Iesus.

At ille respondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nõnne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. An non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi & primi nouissimi.

In parabolis  
Christi quid  
potissimum  
spectandum  
sit.

Qui inter murmuratores recensetur, cuidam Dominus respondit: Amice, non facio tibi iniuriam. Si tibi quod promisi dederò, nullam facio tibi iniuriam, tamen si alteri plus dederò, quam tu fortasse aut ille meruerit. Nõnne mihi licet dare, & supererogare etiã vltra meritum, quæ volo? Num subiectus alicui addictus ve sum, vt quod mihi libet, non liceat facere? Si considerationes argumentationesque tuæ erroneæ sint aut iniquæ, ego tamen nihilo minus bonus sum, & iudicia mea vera & iusta sunt. Sciendum Evangelium hoc parabolicum esse, & similitudinem narrare. In similitudine autem & parabola, non oportet partes comparandas omninò siue ad omnia, sed in his tantum iuxta quæ data est similitudo, quadrare. Hic enim tanta, vt dixi, misericordia ostenditur Dei, vt æquitatem humanam quoque videatur excedere, atque (si fieri in illa vita id posset) murmurandi occasionem inuidiæque præstare materiam. Sic erunt nouissimi, scilicet in labore & conductione primi, & primi nouissimi.

Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Multi ad fidem sunt vocati & baptisimi gratiam assecuti, pauci verò electi, id est, prædestinati ad vitam, & gloriam adepturi. Neminem puto, nisi stipites & lapides non terret hoc verbum, neque parum neque leuiter, & facit de suis meritis quemuis, si qua sunt (humilis enim sui cognitor non inuenit in se, quæ æstimet enumeretve merita) prorsus diffidere. Certi enim sumus omnes nos esse vocatos, verum an electi simus, nescimus. Non potest autem veritas fallere, quæ ex multis vocatis dicit electos nisi paucos saluari. Cogitet igitur vnusquisque nostrum & timeat fortasse se non esse electum. Inquirat si in statu suo, si in officio, si in operibus suis, occupationibus atque negotijs inueniat quo non potest intrari in regnum cælorum. Si inuenit, doleat, poeniteat, corrigat & confidat, quia Deus poenitentes non abiicit. Curate igitur filij ne vita vestra contrarium vobis præbeat & testimonium & argumentum, puta vt non sitis de illis paucis, qui sunt electi Dei, clamante hoc aduersum vos etiam vita vestra. Misericordiam autem nobis omnibus largiatur Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula, Amen.

SERMO

DOMINICAE SEPTVAGESIMAE.  
SERMO IN EADEM DOMINICA.

37

*Quam multiplex Dei vocatio, quam utilis labor, quamque  
ocium sit perniciosum.*

Simile est regnum celorum hominis patris familias, qui exijt primo manè conducere  
operarios in vineam suam. Matthæi vigesimo. Per hanc vineam vniuer-  
sa Ecclesia significatur incipiens ab Abel vsque ad vltimum electum signet.  
circa finem mundi. Hi omnes sunt palmites vitis huius fertilissimæ, scilicet  
Christi, qui dicit: *Ego sum vitis vera, vos palmites.* Itaque nos sumus palmites  
quibus constituitur vinea, germina scilicet vitis fructuosissimæ Christi.  
Cum itaque vitis huius simus palmites, nihilominus operarij in vineam  
conducimur, quo nobis & proximis nostris salutem operemur, reserantes  
ex nobis quicquid noxium est, & plantantes confirmantesque quicquid salu-  
tiferum est. Atque ideo & vinea sumus, & in vinea operamur. Non tamen  
æquè ad hanc vineam, hoc est, ad obseruantiam Euangelicam seu ad pœni-  
tentiam, ad modum rectè colendi Deum, & ad Dei seruitutem vocamur.  
Quidam enim mox ab utero matris vocantur ad Dei cognitionem studiu-  
mque bonæ vitæ. Hi primo manè à patrefamilias in vineam suam sunt  
conducti, in prima scilicet ætate eorum. Hæc autem incipit, quando puer  
doli est capax, quod tempus non æquè in omnibus incipit. Alij enim alijs  
prudentiores callidioresque sunt, citiusque capiunt. Est itaque ætas illa  
quæ circa decimumtertium annum terminatur. In hac ætate multi san-  
ctorum vocati sunt, puta Ioannes Baptista, sanctus Nicolaus, sanctus Vitus,  
alijque multi, qui martyrium quoque pro Christi passi sunt. O quam feli-  
ces quos Dominus præuenerit in benedictionibus dulcedinis suæ, copijs  
gratiarum, timore suo sancto, reliquisque Spiritus sancti eos donis con-  
fortans, & adhuc infantes præseruans à corruptione vitiorum ac peccato-  
rum. O quanta est gratia Dei quæ homini data seruat innocentiam. Quam  
plangenda verò negligentia & infidelitas parentum patrinoꝝque, qui te-  
nentur teneram hanc ætatem instituere docereque ad orationem, ad Dei cul-  
tum & amorem, ad præceptorum obseruantiam diuinorum, ad opera pie-  
tatis & misericordiæ, ad legem charitatis fraternæ, & vt Dei timorem in se  
nutriant, summo perè cauentes ne peccent. Heu quanta est perditio & dam-  
natio puerorum ex negligenti custodia parentum. Heu quam grauius hæc  
non in pueris, sed & in parentibus qui in pueritia nimis dissimulauerunt,  
aut eos nimis carnaliter dilexerunt (quare malè affueti peccare didicerunt  
penè infantes) punietur. Filij charissimi per Deum Omnipotentem vos ob-  
secro, omne studium vestrum, idque vigilantissimum sit pueros vestros,  
quam citò quatuor aut quinque attigerint annos, docere, pro captu eo-  
rum qualicumque timere Deum, eis prohibere malum, castigare in eis  
peccatum, promissis quoque eos, imò & laudibus & muneribus allicere  
ad bonum, & vt studiosi sint virtutum atque misericordes, continuè eos  
admonere, vrgere, atque ab omni lasciuia, petulantia, dissolutione nimia,  
ab impudico sermone, omni que inhonestate, ac à proximi iniuria arcere.  
Curetis vt in vineam Domini, hoc est, in Dei cultum se tradant, vt ad  
innocentiæ studium, ad bonæ famæ conseruationem, & ad pœnitentiæ  
opera,

Vinea quid  
signet.

Ioan. 15.

Prima ho-  
minis ætas  
quæ sit.

Psal. 20.

Pueri que-  
nam docean-  
tur à parenti-  
bus.

F. VI  
21

opera, utpote in remedium contra futura peccata instituantur. Est præterea magnoperè aduertendum omni puero Christiano, ut cum cõperit vti ratione, & intelligere quid eligendum, quid ve respuendum. Eligat itaque sibi Deum suum, cui optet seruire, cui statuat obedire, cui semper velit inhzere, cui denique summoperè studeat placere omnibus diebus vitæ suæ. Hac enim prima conuersio ad Deum, qua sibi puer Deum eligit, statuitque eius nunquam negligere beneplacitum, operabitur in homine exercebitque perpetuò spiritum salutis. Porro circa tertiam horam quosdam vocat in vineam suam: & hi sunt qui in secunda sunt ætate vitæ suæ, à decimo tertio anno scilicet vsque ad vigesimum quartum, aut vsque ad trigessimum annum. Tunc enim maximè vocat eos, quos ad viam trahere vult salutis. In hac enim ætate Apostolus Ioannes vocatus est. In hac ætate hodiè quoque admonasteria, ad pœnitentiam, & ad alia benè viuendi genera homines vocantur. Tertia ætas est hominis, quæ per horam sextam significatur, & circa vigesimum quartum, aut circa trigessimum annum incipit, terminatur verò circa quinquagesimum annum. In hac ætate sanctus Augustinus, Ambrosius, Germanus, ac innumeri alij sancti vocati sunt. In hac ætate Paulus quoque, item alij multi sancti vocati sunt, qui in vineam Dei sunt vocati, magnòque cum fœnore laborarunt. Quarta ætas hominis, est hora nona, quæ in homine incipit circa annum quinquagesimum, & terminatur circa septuagesimum annum. Tunc enim homo deficiens in senectam inclinatur. Cæterum periculosum est valdè, pœnitentiæ tempus atque viam salutis in senectam ipsam (quando iam vires deficiunt ad laborandum) differre. Quis enim sibi audeat promittere ut ad senectam perueniat? Et si attigerit, quis illi promittet, aut vnde securus est, quod misericordem Dominum inuocabit? Timendum namque est valdè, ne is, qui dum potest peccare, Deum pro misericordia inuocare noluerit, differens conuersionem vltro in futura tempora, cum ad extrema venerit vitæ, & iam ei longius peccare non liceat, tunc non poterit etiam Dominum inuocare pro venia, propterea quod diuino iudicio tunc obscuratus, obstinatus, impenitens, & plerumque desperans inueniatur. Omnibus tamen promittit Christus hic veniam, quacumque hora genuerit homo verè pœnitens. Vult igitur in hac nos docere parabola, nullum tempus esse ineptum ad Dei seruitutem, sed quosdam in infantia, quosdam in pueritia: nonnullos rursus alios in virili ætate, in extrema demum senectute aliquos incipere Deo seruire & piè viuere. Quocirca nemo superbiat, nemo se iactet mande se vocatum, diu se laborasse, ab adolescentiaque iugum Domini portasse, nemo præ se alium contemnat, nemo quoque tardè vocatus desperet, qua misericordia Dei bonitasque eiusdem est inuestigabilis, quæ hic nouissimis dedit sicut primis imò ex nouissimis fecit primos. Quicumque ergo vocati tardè venerunt, hoc ipsum feruore charitatis, ac studio pœnitendi vehementiori suppleant, quod tarditate conuersionis neglexerunt. Nemo tamen in infantia, pueritia, virilitate admonitus, in senectute benè viuere differat. Graue enim & ingratiudinis intolerabile est vitium, ut vocatus monitusque sæpius à Deo ad conuersionem, obsurdescas, ipsumque Dominum ad cordis tui ostium crebrius pulsantem excludas. Est præterea ætas senectutis, nisi à pueritia seruitutem

Prima puero-  
rum ad De-  
um conuer-  
sio quam sit  
vtilis.  
Ætas homi-  
nis secunda.

Ætas tertia.

Ætas quarta.

Pœnitenti-  
am in senectam  
differre cur  
periculosum  
sit.

Exech. 12.

nitentem Dei continueris, perseverans sub iugo Domini, exercitijs spiritus, aut poenitentiae haudquaquam congrua. Difficile namque est assuetam relinquere, seu assuetis carere. Quare nisi gratia Dei, superabundauerit in homine, difficillimum tunc erit primae conuersionis iacere in senectute bonum fundamentum. Dicitur enim in malitia inueteratis senibus: *Si mutare potest* *Asiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, quum* *indueritis malum.* Ediuerso verò de adolescente Deum timente dicitur: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Bonum igitur est filij charissimi, viro qui Domini iugum portauerit ab adolescentia sua. Felix quoque est poenitentia, quae tunc, dum si velit homo ultra peccare possit, eligitur, peccandi quae veniam sibi ipsi intercedit. Ea verò poenitentia quae ex necessitate (quia peccandi tempus & copia non datur) homini accidit, raro est voluntaria, raro optata, raro fructuosa. Est itaque nobis haec eruditio data (vt dixi) ne quod diu seruierimus Deo, gloriemur: quia & nouissimos Deus non solum recepit, sed & praetulit primis, ne etiam quemuis peccantem iudicemus, quia potens est Deus illum vel in extremo vitae conuertere. Postremò ne & nos quoque desperemus, licet tardè, verè tamen ad Deum conuersi: quia propterea ne huiusmodi desperent, illos ante alios remunerauit, qui fuerunt nouissimi, tantum abfuit vt illis tarditatem exprobraret. Secundum quod in Euangelio hoc nos erudit, est, quod arguitur ocium infructuosaeque temporis consumptio. O quam nobile est tempus, in quo tanta bona tamque inestimabilia in exiguo tempore, aut acquiri, aut amitti possunt. Heu quam infructuosè, ne dicam perditè, & saepenumèrè flagitiosè, tempus consumitur. Quam detestabile est ocium, quo irrecuperabilis gratia & gloria amittitur. Nolito rogo ocio indulgere. In desiderijs enim est omnis ociosus: operantem verò & animo occupatum vitia interim non fatigant. Est itaque fructus ex opere seu occupatione licita duplex. Primus, qui est quod opus ipsum lucrum, commodum, utilitatem quae aliquam, quare fit, secum adfert. Secundus est puritas cordis, quia mens honestè aliterque occupata interim se ab actu vitiorum temperat, quiescitque, quum ediuerso in ocio nunquam quiescat cor hominis, sed tanquam inter procellosos fluctus per varias tentationes inquietum continuè sauiat. Multa enim mala docet ociositas. Docuit Dynam virginitatem amittere, docuit David adulterium committere. Quanta denique mala ociosis quotidie eueniant, in omnium est oculis manifestum. Nonne furta, sacrilegia, rixas, ebrietates, aleationes, scortationes, homicidiaque quotidie ocium germinat? Hi sunt fructus eius. Semper igitur occupatio aliqua licita nos detineat, ne quem inueniat diabolus ociosum. Est tamen inter occupationes quoque non exigua differentia. Occupatio sancta est studium scripturae lectioque sacra. Colloquium quoque dulce cum Deo, siue per meditationem, siue per orationem fiat mentalem, est occupatio utilissima. Contemplatio denique diuina, crebraque ad eundem iterata aspiratio, si occupatio dici debet & non magis quies, suauiissima est & cum primis fructuosa. Laudantur quoque actiuae vitae occupationes, quibus infirmis seruitur, operibusve misericordiarum & elemosynis animus intenditur. Nec illaudati sunt labores corporis, seu operationes corporales, quos ferre

V suadet,

F. VI  
21

Jerem. 21.

Prover. 22.

Thren. 1.

Poenitentia felix.

Ocium quanto studio fugiendum.

Occupationis licite fructus triplex.

Eccle. 35.

Gene. 14.

Reg. 11.

Ocium quanta mala germinat.

Occupatio sancta quae fit.

suadet, aut familiaris necessitas, aut egestas, aut honestus filiorum amor ad Dei gloriam educandorum, aut certe pietas, ut ad manum semper sit, quod porrigas egeno. Hæc omnes circumstantiæ sunt optimæ, incentiu- que sanctissima ad operandum.

Sunt præterea causæ aliæ, quare laboratur, puta ut aut animi ocium pa- silens vitetur, aut concupiscentia, quæ in ocio sæuit, frænetur, aut ut à pec- catis per occupationes externas animus hominis operantis impediatur, cordisque puritas iugis ac perfectissima custodiatur. Tam breue est autem vitæ nostræ tempus, ut vitæ nostræ omnem cursum, diem nominauerit. O- peremur igitur bonum ad omnes, & ocium deuitemus, quia dies mali, & tempus breue est. Veniet nox, id est, terminus nostræ vitæ, atque id quod vitam nostram sequitur, quando nemini operari licebit, sed iuxta opera nostra, quæ iam præcesserunt, tunc mercedem nos oportet accipere. Nihil enim nos comitatur aliud, aut sequitur in morte, hoc est, neque amici, ne- que filij, sed nec opes, aut honores, non elegantia formæ aut voluptas, sed opera nostra sequuntur nos, pro quibus accipiemus mercedem siue bonam, siue malam, iuxta operum conditionem. Nemo igitur nos decipiat, ne- mo ab operibus nos bonis auocet. Neque enim hic legimus quenquam ociosum, quenquam in vinea Domini non laborantem, mercedem accepisse, sed dixisse patrem familias: *Voca operarios & redde illis mercedem.* Quam- uis enim nouissimis dederit denarium diurnum ut primis, misericorditer sic agens, nec his nouissimis quod vna tantum sint hora operati, imputans negligentiam ac tarditatem, sed dicens cuidam: An mihi non licet, quod volo facere? nemo tamen in vinea non laborans, sed operarij soli mercedem recipient. Quodcumque igitur potest manus tua facere, instanter opera- re, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos, quo tu properas. Caterum, quem non terreat verbum quod nouissimum à Christo in hoc Euangelio dicitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Durum est hoc, & formidabile verbum, quod mirum est, quomodo non scriptum à nobis cogitetur expendaturque. Veritas enim hoc dixit, quæ mentiri aut im- ponere potest nemini. Electi sunt illi, qui ad dexteram in iudicio extremo collocabuntur audituri: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hi, inquit, erunt pauci. Porro vocati sunt omnes, quotquot notitiam receperunt fidei, quibusque manifestari Deus so- cit viam salutis æternæ, paratus eisdem dare regnum cælorum, si crediderint & obediuerint sibi. Ex multis itaque vocatis pauci tantum remanebunt electi, quia homines ferè omnes magis diligunt tenebras, quam lucem, magis diligunt vana ac mundana, quam æterna. Idcirco mirum non est paucos esse electos. Ecce charissimi omnes sumus vocati. Quotquot nostrum electi fuerint, nescimus. Signa tamen sunt aliqua quibus nos electos esse possumus considerare. Si enim peccata nobis nostra displicent, si Deum offendisse dolemus, si pro nulla re iterum Dei mandatum transgre- di volumus, si Deum offendere timemus, si Deum diligimus, cuius amo- re sustinere volumus, quicquid ille nobis imposuerit ferendum, si eius honorem zelamur, si denique eius amplectimur beneplacitum, & si in his Deum quærimus purè perieuerantes, signum est quod Dei electi sumus.

Gal. 4.  
Eph. 5.  
Ioan. 9.

Math. 20.

Ecl. 9.

Math. 5.

Vocati quo-  
modo multi  
dicantur.

Ioan. 3.

Electio-  
nis  
signa quæ.

Tanto

Tanto itaque sollicitiores simus ad bona opera, quo an electi sumus, nescimus. Dominus noster Iesus Christus illuminet & inflammet corda nostra quo semper solliciti maneamus, ne quid, quod diuinæ suæ maiestatis offendat oculos, admittamus: largiente id nobis eodem Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA IN SEXAGESIMA, EPI-  
stola B. Pauli Apostoli, II. Corinth. XI.

**L**ibenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cedit, secundum ignorantiam dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebraei sunt & ego. Israhelita sunt, & ego. Semen Abrahae sunt, & ego. Ministri Christi sunt, & ego (ut minus sapiens dico) plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudeis quinque quadragenas una minus accepi. Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ternasfragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus saepe: periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & arumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate. Præter illa que extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vrer? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis mea sunt, gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in secula, quod non mentior. Damasci prepositus gentis Areta regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. Et per fenestram in sporta demissus sum per murum: & sic effugi manus eius. Si gloriari oportet, non expedit quidem. Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum huiusmodi usque ad tertium celum. Et scio huiusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quomiam raptus est in paradysum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam, parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mea angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

**C**VM à Corinthijs Paulus ad tempus propter prædicationem, & aliarum Ecclesiarum confirmationem discessisset, subintrarunt quidam interea pseudoapostoli, qui Corinthijs legem, puta circumcissionem, & sabbatum, & huiusmodi ad Christum conuersis necessario obseruanda prædicabant. Quo autem magis reciperentur, gloriabantur commendantes seipsos, & Apostolo derogantes, dicentes cum verum non esse Apostolum, qui cum Christo non ambulasset, nec in vita eius certus Apostolus institutus fuisset, & hoc modo ab Apostolo Corinthios ad se trahebant, pellentes eos in errorem de obseruatione legalium. Eam ob rem contra subdolos horum pseudoapostolorum gloriaciones ad seducendum instructas, cogebatur Apostolus quoque seipsum commendare, ac quanta pro veritate Euangelicæ prædicationis pertulerit, ad Corinthiorum referre ædificationem. Dicit igitur: Libenter sufferis insipientes, quia inaniter gloriantes sustinetis. Cum ergo mihi quoque, licet verè, sit gloriandum ad vestram utilitatem, non minus me puto sustinebitis, quam pseudoapostolos, nec agrè audietis, si quid in vestram dixerò ædificationem, quod nostram sonet laudem. Libenter enim sustinetis insipientes (quod mirum est) cum sitis ipsi sapientes. Aut per ironiam: Insipientes toleratis per mansuetudinem, propterea quod viri estis vos sapientes, hoc est, maximè insipientes. Sustinetis enim, si quis in seruitutem vos reducere nititur legis, aut si quis in vos tanquam in seruos dominatum sibi vendicat. Si quis vestra tollit, rapit, deuorat, aut consumit, cum ego vobis parcens, nihil à vobis vel Euangelij causa volui accipere. Sustinetis quoque si quis vestra in modum accipit, quem pascendum fouet. Si quis extollitur, nobilitatem præstantiamque iactans, quod natus sit de semine Abraham, & huiusmodi. Si quis in faciem vos cædit, manifestam vobis coram obijciens improprij contumeliam, contemnens vos quod carnaliter non estis circumcisi, sed idola olim colueritis. In omnibus his taxat pseudoapostolos Iudæos. Hos autem vos dico sustinere secundum ignobilitatem, propterea quod ignobiliores vos ducitis, vt pote qui idola coluistis, & ex gentibus ad fidem venistis, quam illos pseudoapostolos, qui ex circumcissione se iactant, quasi nos veri Apostoli infirmi fuerimus, & impotentes simili modo gloriari in hac parte de nobilitate generis Hebræorum, de lege & circumcissione.

Quomodo  
Apostolus  
se se lauda-  
uerit.

Dico autem hoc in insipientia, quia sapientis est viri inaniter non laudare seipsum. Obserua tamen quod Paulus neque insipienter neque inaniter, sed ex charitate & veritate, necessariòque ad reducidos ab errore deceptos seipsum laudauerit. Ideò ait, quamuis sapientiæ non sit ita loqui: In quo tamen quis pseudoapostolorum audet, vel de genere, vel de prædicatione, vel de labore, vel de donis Dei, se aut laudare, aut iactare, audeo & ego qui non villior, aut, atque ipsi, non minus insignis sum. Hebræi sumus (hoc enim est quod iactant) & ego Hebræus sum. Israelita sumus, & ego Israelita sum. Semen Abraham sumus, & ego sum. Ministri Christi sumus, iuxta apparentiam & eorundem fictionem, & ego verus minister sum. Vt minus sapient

sapiens dicam (propterea quod non deceat, ut alicui me præferam) plus ego,  
 & verius sum Christi minister, quàm illi. Incipit autem enarrare, quare ve-  
 rius, iustiusq; Dei dici possit minister, & labores quos tam pro Christo per-  
 tulerat, quàm pro Euangelio refert, quo tamen se non cupit hac offensi-  
 onem (vt iam dixi) Corinthijs maiorem reddere, sed Corinthios à seductoribus  
 auertere, ad veramq; Euangelicæ prædicationis normâ reuocare. Ita enim  
 vitam transegi, inquit, post meam conuersionem, vt fuero in laboribus 1. Cor. 4.  
 plurimis, & non solum pluribus, quàm pseudoapostoli, sed etiam quàm  
 veri Apostoli, quia plus omnibus laboraui. In carceribus abundantiùs pro-  
 pter Euangelicam prædicationem, in plagis, flagellorumq; vulneribus su-  
 pramodum humanæ virtutis. Nam etsi fortasse illi cæsi fuerint, ego tamen  
 atrocius afflictus sum. In mortibus frequenter. Sæpenumero enim ad mor-  
 tem vsque cruciatus sum, multisq; alijs & crebris periculis interfui mor-  
 tis propter Christum. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi,  
 hoc est, quinquies flagellatus sum, in quarum quauis flagellatione quadra-  
 ginta recepi percussiones, seu plagas, vna minus, quasi transgressor legis, &  
 propterea quod nouam Christi gratiam prædicabam. Fuit hic olim casti-  
 gandi modus Iudæis institutus in lege, vt si quis grauiter deliquerit, cædere-  
 tur iuxta mensuram delicti, non tamen vltra quadraginta reciperet plagas,  
 ne fœde nimis laceraretur. Iudæi ergo vt Paulo non plures, quàm lex ad-  
 mitteret, plagas inferrent, dum quinquies eam cæderunt, in singulis flagel-  
 lationibus, triginta nouem (quasi vnâ plagam donantes, ne crudeles,  
 sed misericordes haberentur) ei plagas intulerunt. Sequitur: Ego ter vir-  
 gis cæsus sum à Gentibus. Semel à Iudæis lapidatus sum, vt in Actis habetur, Act. 14.  
 lapidantes Iudæi Paulum, traxerunt extra ciuitatem, & stantes eum  
 mortuum, Ter naufragium feci, passus periculum mortis ex nauis fractio-  
 ne. Nocte ac die in profundo maris fui, hoc est, ferme quotidie tempestati-  
 bus & periculis maris interfui. Aut ad noctem & diem sub aquismersus ac  
 retentus, non tamen Deo miserante præfocatus, inde iterum saluus redij. In  
 itineribus sæpe, vbi insidias non raro passus sum, in periculis quoque flu-  
 minum, & in periculis latronû sæpe versatus sum, excitante hac humani  
 gneris inimico, quibus & Pauli labores, & fructum impedire moliebatur  
 animarum. Adde iam in quibus fuero in periculis ex genere, hoc est, ex gen-  
 te mea Iudæorum, qui mihi vehementius inuidebant, atrociusq; me perse-  
 quebantur, quàm cæteros Apostolos, adeo vt quidam eorum, sicut in Actis Act. 23.  
 legitur, se nec manducare nec bibere deuouerent, nisi occidissent Paulum.  
 In periculis præterea fui ex gentibus, qui ediuerso propter idololatriæ de-  
 structionem me persequebatur. Fui quoque in periculis multis mortis, tam  
 in ciuitate propter tumultuationem plebis, quàm in solitudine à bestijs, pe-  
 riculis in mari, periculisq; interfui in cõuersatione falsorum fratrum, qui  
 Christianismum receperant, non relicto Iudaismo. Præterea versatus sum  
 quotidie mala & aduersa patiens in labore manuum, quibus sustentare me.  
 In ærumna, inopia, aut languore, in multis vigilijs, in fame & siti, in iei-  
 nijs multis, in frigore & nuditate, quia pauperime fui vestitus. Hac omnia  
 pro Christo, & pro verbo Dei passus sum, præter illa, quæ externe mihi  
 propter alios adueniunt, & præmunt, vt sunt instantia mea quotidiana, quoti-

V 3 quoti-

F. VI  
21

quotidie me angant & torquent. Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quæ mihi lacerat ne amittam iterum aliquem, qui per me sit conuersus, & ne fidelium quispiam seducatur, ne pereat aliquis, ne tandem non proficiant hi, quos Christo sum lucratus. Quis infirmatur, & ego per compassionem non infirmor? Quis scandalizatur, cuius scandalo ego non vror? Omnium enim dolores, tristitias, scandalatq; in corde meo per communionem charitatis ego sentio. Hæc, inquit, mihi patienda quotidie occurrunt, sed non propterea gloriari, nisi in Domino expedit. Nam etsi pro Christo gloriari oportet, aut gloriari operæ precium est, gloriabor in his quæ sunt infirmitatis meæ, hoc est, in passionibus & tristitijs meis, quas pro Christo patior. Pseudoapostoli gloriari quidem volunt, verum quia nihil pro Christo passi sunt, in generis nobilitate percipiunt gloriari. Ego verò, si gloriam dū est, in humilitate & infirmitate mea gloriabor. Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit, & testimoniū mihi feret, quod non mentior, quæ dixi, aut dicturus sum. Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat portas ciuitatis Damasci, quæ ciuitas ad regē illū pertinebat, precibus & muneribus victus Iudæorū voluit me cōprehendere, in ciuitate conclusum, vt occideret. Sed per fenestrā in sporta submissus sum per murum fratribus ad hoc vrgētibus & impellentibus, vt in vtilitate seruauer Ecclesiam. Quo sic elapsus eius euasi manus. Si itaq; gloriari propter pseudoapostolos oportet, non expedit quidē propter humilitatis periculū & timorem scandali: nihilominus tamē propter vestrā vtilitatē necesse est gloriari. Audistis enim pseudoapostolorum iactantiā, quorū gloriā falsam obfuscant nitimur per veritatem gloriæ. Verum de aduersitatibus perpessus hæc dicta sunt satis. Veniā autē ad visiones & reuelationes Domini. Expende hic, quanta, quā immaniāq; sustinuerit Paulus pro Christo. Quare non immerito de eo dixerit Dominus ad Ananiam: *Vas electionis mihi est iste, qui portet nomen meum coram gentibus & regibus. Ego ostendā illi quantā oportet eum pro nomine meo pati.* Veniā, inquit, autem ad visiones & reuelationes Domini, quas à Domino recepi, ne illas omnino taceam, aut præteream. Scio hominem in Christo raptum ante annos quatuordecim vsque ad tertium cælum, hoc est, ad cælum empyreum, seu igneum lucidum, supremum, quod locus est beatorum. Siue autem raptus sit homo ille cum corpore, an sine corpore, nescio, Deus scit, Et scio hominē eundem raptū in paradysum, sed raptus ne sit in corpore, an extra corpus nescio, Deus id nouit. Nulli dubiū est de seipso hic loqui Paulum, quamuis modestiæ causā & ob iactantiā vitādā, quasi de alio quopiam loquatur. Scio itaque eūdem raptum in paradysum. De eodem paradiso hoc est, cælo corporali, aut spiritali beatorum manifestatione putatur loqui, quem latroni Dominus in cruce promisit, dicens: *Hodie mecum eris in paradiso.* & in Apocalypsi: *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in paradiso Dei mei.* Itaq; huiuscemodi scio hominē, qui est raptus in paradysum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini manifestari. Ego igitur ea duntaxat refero, quæ dici possunt. Quæ verò dici, aut nō possunt, aut non debent, taceo. Pro huiuscemodi tamen homine gloriabor gaudent, in Domino, & gratias agens: pro me autem, quod sim circumcisus, quod de femine sim Abrahæ natus, nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus & passi-

Actor. 9.

Ibidem.

Luc. 21.  
Apoc. 2.

Hier. 9.

in quibus meis, quas pro Christo patior. Nam etsi ordinatè etiam voluero gloriarì, non ero, licet quibusdam videar, insipiens in hac gloriatione. Neque enim falsa, sed veritatem dicam, in qua gloriarì non est insipiens. Parca autem, nõ omnia, nec tumidè, sed modestè Dei dona referens, ne quis me existimet, aut sublimioris esse naturæ, aut excellentioris perfectionis supra id, quod videt in me, aut aliquid ex me. Nam ne magnitudo reuelationis extollat me, neve mihi suboriatur ex Dei donis elatio, additus est mihi stimulus carnis meæ. Tribulationes & infirmitates carnis, aut tentatione libidinis carnis insinuat, quàm illi Angelus Satanæ excitabat post raptum, quàm ante vehementiorem. Datus igitur mihi ad vtilitatem est à Deo omnia prævidente & gubernante stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet, qui me ignominiosè humiliet, & in me ipsius considerationem impellat. Aut qui me punctiõibus aduersitatum, infirmitatumq; affligat. Pro cuius amotione ter Dominum rogavi, quo recedete fierem liberior spiritui, Dominus non quod volebam, sed quod mihi expediebat facturus, siue per Angelum, siue per internam inspirationem illuminantem, Sufficit, inquit, tibi gratia mea, assistens, & ne pecces protegens. Aut hoc tibi satis sit, vt habeas gratiam meam. Nam virtus in infirmitate perficitur. Hoc autem bifariam contingit: aut vt infirmitas, siue corporalis, siue etiam spiritualis materia sit exercendæ virtutis, puta humilitatis, aut patientiæ, quæ per infirmitatem crescat, atque ex pugna, & ex ipsa aduersitatis sustinentia seipsa quotidie maior efficiatur, vt quod homo sustinendo varia efficitur prudentior. (Qui enim non est tentatus, quid sciet) re ipsa periculum faciens suæ infirmitatis, quo sapientius se posthac gubernet, Sequitur:

Virtus bifariam in infirmitate perficitur.

Eccle. 24.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Hic vides, quod Paulum Dominus non in exauditum reliquerit, qui petiuit à stimulo huius tentationis se liberari, quoniã quidem & si non liberauit illum eo modo, quo Paulo videbatur vtile, exaudiuit tamẽ eum, quomodo ipse id Paulo cognouit commodo futurum. Nec Paulus hic deliquit, aliud quam Dominus dare voluit rogans, quia vbi voluntatem didicit Christi, non deinceps rogauit liberari. Sed libenter, inquit, gloriabor in hoc, quod infirmitates, tribulationesq; sustineo, quandoquidem in hoc, quod sum infirmus, fortissime facit Christi virtus.

### EXEGESIS EVANGELII DOMINICAE

*Sexagesima. Luca VIII.*

**M**agna fuit turbæ reuerentia ad Christum, magna deuotio, magna fides audiendi verbũ Dei, infatigabiliter enim ac indefinenter Christum sequebantur, & quocunq; ibat Christum requirebant, ad ipsum confluentes, Itaq; cum iter faceret per ciuitates & castella, prædicabat regnum Dei. Cum verò quadam die domum exiret, vbi docuerat, venit iuxta mare, vbi tanta ad eum confluxerat populi multitudo, vt in nauim ascendens doceret, omnis verò plebs staret in littore. Tunc enim ex nauis docens hodiernum prædicauit Euangelium, quod Lucas in hunc refert modum.

V 4 Cùm

Cum turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem.

Quod turba multa confluxerit, secutaq; sic Christum, diuersis causis accidit. Quidam enim vt sanarentur, alij vt alerentur. Multi ex deuotione, ex curiositate etiam nonnulli, postremo, vt erudirentur, sequuti sunt eum multi, cum interim non deessent quoque, qui insidiarentur. Quomodo itaque varius eorum fuit animus & propositum, ita vnusquisque iuxta hoc, quod querebat, ex Christo referebat fructum. Cum turba, inquit, plurima conueniret. Turbam nominat, non principes huius mundi, non seculi diuites & potentes: hi enim alia habebant, quae amabant, puta terrena, ideo caelestem magistrum non requirebant, nec illis sancta eius eruditio erit suauius, sed insipida. Hoc hodie quoque eiusmodi contingit. Quamobrem Paulo Apostolo dicitur Corinthijs: *Videte uocationem uestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quia stulti sunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortis, &c.* Cum simplicibus enim sermone natio eius. Congruè idcirco dictum: *Nunquid aliquis ex principibus credidit ad Iesum?* Quasi dicant: nullus, sed turba. Cum itaque de ciuitatibus properaret ad Iesum, ad famam Christi praeconium accedit, quod non tantum ex pagis, sed ex ciuitatibus quoque, in quas Christi fama iam diuulgata fuerat, properabant ad Iesum, vt non rusticus populus tantum, sed urbanus etiam accederet ad Iesum, vel tanquam ad pastorem oues, sicut dicit: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognosunt me meae:* vel sicut ad medicum infirmi. Neque enim opus est sanis medicus, sed male habentibus: aut vt ad doctorem imperiti. Quod Psalmista monet dicens: *Accedite ad eum & illuminamini.* Itaq; dixit per similitudinem. Neque enim historiam dicit, vt necesse sit interrogare, quis ille fuerit seminator iuxta literam aut historiam, sed quis seminator sit, quae terra sit, quod semen, quae hic in similitudine hac significatur. Sensus namque praecipuus parabola aut similitudinis, non est ille, quem verba primo significant, sed qui per res significatas nobis insinuat. Verbi gratia, in libro Iudicum legitur: *terunt ligna, vt vngren: super se regem:* non de lignis, sed hominibus per ligna significatis intelligitur.

Exijt qui seminat, seminare semen suum.

Exijt Dominus ad seminandum, non per motum localem, sed per incarnationem, incipiens esse per humanitatem, qua aliquando ibi non fuerat. Exiuit, inquit Augustinus, de Patre, quia de Patre est, in mundum venit, quoniam mundo corpus suum ostendit, exijt tanquam agricola seminare semen suum, de quo Zacharias dicit: *Homo agricola ego sum.* Et Hieremias: *Quasi colonus fatigatus est in terra, & quasi vir vagus.* Rectè vagus dicitur, nihil in hoc mundo proprium habens. *Vulpes enim* (quod de seipso testatur) *fontes habent, & volucres cali nidus: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Rectè quoque agricola dicitur, quia filius agricolae. *Ego sum* inquit, *vitis vera, & Pater meus agricola est.* Secundum rationem vnã, est vitis vera: secundum aliam quoque rationem, non modo agricolae filius, sed ipse quoque agricola est. Quis enim praedicatione agrum alius excoluit Patris sui, quàm ipse? frangens duos scopulos cordis timore Dei, & seminans in cor huma-

1. Cor. 1.

Prouet. 1.

Ioan. 7.

Ioan. 10.

Matth. 9.

Psal. 11.

Sensus parabolarum Christi quis praecipuus.

Iudicum 9.

Exiisse Dominum quid insinuet. Augustin.

Zach. 7.

Hierem. 14.

Matth. 9.

Ioan. 15.

nam verbum Dei, tenensq; aratri, hoc est, crucis stivas, id est, clauos in manibus, quibus adfixus erat cruci, passione agrū suū excoluit, suisq; electis omnibus, quo agricolam se monstraret dicens: *Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suauē est, & onus meum leuē.* Exiit igitur seminare semen suū, id est, verum Dei verbum, non alienum, non pestiferum dogma ali- quod, sed suū, hoc est, saluiferum. Quodcunque itaque aliud fuerit dog- ma, quod cum illo dissentiat, non Dei semē est, non Dei verbū. Vide autem ne sit cuiuspiam hæretici, qui sua verba palleat, venditatq; sub nomine Dei verbi. Miscet enim suis perniciosi dogmatibus verbum Dei, quo versuti- us fallant & seducant, non attendentes lege Domini prohibitum: *Non seres agrum diuerso semine.* Per semen igitur, quod Christus seminat, intelligitur verbum Dei. Hoc vt seminaret, venit in mundū, venit etiam ad cor homi- nis illud seminare. Nam & hominis cor, ager est, & terra aliquando fecun- da, interdum sterilis, & iuxta hoc multum, aut modicū, aut certē nullū fru- ctum referens. Dominus itaque in mundum veniēs sua eruditione illustra- uit mundum, seminavit Euangelium per se, & per seruos suos, & seminat vsq; ad consummationem seculi. Quapropter Psalmista dicit: *Lucerna pedi- bus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Seminat autem non solūm prædi- cando, sed etiā inspirando, & intus monendo. Seminat quoque foris, per ministros excitando, & docendo, seminat postremo in scriptura nobis lo- quendo. Siue igitur sit verbum Dei inspiratum, siue auditum, siue lectū eru- dit nos. *Beati igitur qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Neque enim au- ditores, sed factores verbi iustificabuntur apud Deum. Quapropter quan- do Dominus dicebat Iudæis, *qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos nō au- ditis, quia ex Deo non estis,* non de auditu corporali est loquutus. Sic enim & hi, quibus loquebatur, & quos arguit, quod non audirent, audiebant: sed de mentis intelligitur auditu, & de spiritualibus auribus locutus est. Hi enim audisse verbum Dei iudicantur, in quorum vita Euangelica ac Christiana eruditio elucet, qui opere exprimunt, quod intus audierunt.

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

Varia est Dei verbum audientium conditio. Quidam nanque audiunt, & delectantur eis Dei verbum. Quidam Dei verbum fastidiunt. Verum huius est ratio, quam supra Christum dixisse retuli: *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Dei enim gratia aperit & colit cor humanum, vt Dei verbum recipiatur, & germinet in opus salutis. Sine gratia autem Dei, verbum Dei seminatū, nō operatur fructū. Nihil enim, qui scribit, aut qui loquitur, agit in corde ho- minis quicquam, nisi spiritus sancti gratia intus doceat hominem, & in eo operetur. Quomodo enim prædicator homo, aut doctor mutaret corda ho- minū, quando nō. omniū Christus corda quibus loquebatur, mutauit? Mul- ti enim nō. solūm gratis, sed etiā ad damnationē maiorem Christi verbum audierunt. Et ideo Apostolus dicit: *Ego plantauit, Apollorus rigauit: Deus autem in- crementum dedit.* Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui in- crementum dat, Deus. Omnino igitur nobis necessarium est, vt sit, qui intus no- bis prædicet, hoc est, qui moueat, confortet, vrgeatq; Christus, imo qui sua gratia

Audientium  
Verba Dei  
condit ones  
variz.  
Ioan. 3.

1. Cor. 3.

X gratia

F. VI  
21

Math. 11.  
Psalm. 119.

gratia vngat, emolliat, accēdatque voluntatem hominis. Gratia autem hæc Spiritus sancti his tanquam datur, qui sunt humiles. In humilibus igitur solis verbum Christi fructum operatur. Hoc enim Christus quoque constituitur, dicens: *Confiteor tibi Pater, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Cui Psalmista quoque olim similia dicens: *Deliratio, inquit, sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis.* Porro, qui superbi sunt, qui mundana, altaque diligunt, his non placet verbum Dei, sed potius illud fastidiunt, utpote terræ steriles, incultæ, & malæ, ideo non producant fructum. Verum quare, inquis, non libenter audiunt verbum Dei, aut quare inuiti audiunt? Ideo profecto, quia aduersatur concupiscentiæ eorum Dei verbum. Exempli gratia: Tu amas delicias & luxū, verbum tibi Dei hæc prohibet, ideo non potes illud diligere. Contraria enim nunquam amantur, Quocirca dicitur tibi à Christo: *Esto consentiens aduersario tuo in via, ne forte te tradat iudici, &c.* Aduersarius hominis carnalis, est verbum Dei. Ea enim, quæ ille amat, Dei verbū interdicit: & rursus, quæ ille fugit, ipsū eadē præcipit. In via igitur præsentis vitæ quam diu fueris, esto consentiens aduersario tuo, hoc est, verbo Dei, quod carnali vitæ tuæ aduersatur, ne venias ad captiuitatē & supplicium. Et dum feminat, aliud cecidit secus viæ, hoc est, in corda hominū mundanorū carnalia spiritualibus præferentiū, & mundo, vitiosisque actibus feruentiū. Hoc semen conculcatū est, id est, ne fructum adferret, est impeditū, strepitu malarū cogitationū affectionumque carnalium, inquietudine malarū passionum, & importunitate tentationū, ac variarum cogitationum. Volucres enim cæli, id est, dæmones comedunt, id est, abstulerunt illud semen de corde hominis, ne quid inde saluferum nasceretur.

Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.

Eccle. 3.  
Hierem. 5.  
Exod. 47.  
104. 11. 14 &

Supra petram semen cadit, quando verbū Dei durū cor hominis audit, unde nullus sequitur fructus. De hoc scribitur: *Cor durū malè habebit in nouissimo.* Itemque: *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Hoc etiam modo induratum fuit cor Pharaonis, ut non audiret verbū Domini per Moysen, nec quod iussus à Deo fuerat, ageret, dimittens populū abire, ut sacrificaret. Quicquid per Moysen Dominus in eum seminabat, cecidit supra petram. Nam etsi aliquando Pharaon moueretur, & promitteret se obediaturū Deo, & populū dimissurū, tamen hoc propositum iam natum, plaga ab eo iterum recedente, mox aruit. Liqueat igitur, quomodo humor aquæ plantas, ut coalescant, conferuat, & semina in terram iacta, ut crescant, fouet, ita gratiam spiritus Sancti terram cordis humani rescicere, rigare, confortare, atque ut semen, Dei scilicet verbū fructum faciat, producere. Quæ gratia vbi defuerit in siccitate & ariditate bona voluntas marcescit, Proinde Hieremias dicit: *Maledictus homo, cuius cor recedit à Deo: erit enim quasi mirica in deserto, & habitabit in siccitate.* In Proverbijis quoque dicitur: *Qui mensis est dura, incidet in malum.* At verò de eo, quem fluentia gratiarū fecundant, scriptum est: *Et erit tanquam lignū, quod plantatū est secus decursus aquarū quod ad humorem mittit radices suas, nec timebit cum venerit aestus. Et erit folium eius viride, & in tempore siccitatis.*

Hierem. 17.  
Prover. 1.  
Psalm. 1.  
Hierem. 17.  
Ibidem.

*semitis non eris sollicitus, nec aliquando desinet facere fructum.*

Et aliud cecidit inter spinas, & simul exorta spina suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & exortum fecit fructum centuplum.

Semen hoc in corda auara & ambitiosa cadens, germinat quidem quasi fruticem, quia excitat ad tempus bonam voluntatem. Verum sollicitudines & curae huius seculi, tam pro diuitijs, quam pro gloria mundana, timores quoque & suspitiones, quae harum occasione generantur in homine, scilicet ne hoc illudve temporale ac mundanum amittat, aut ne hoc sibi contrarium ueniat, tanquam spinae suffocant illud germen. De ambitione enim D. Bernardus ait: O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, omnibusque places? Et Salomon: Peccatori quoque dedit Deus afflictionem & curam superfluum. Hae igitur sunt spinae, quae semen Dei succrescens opprimunt. Non ergo diuitiae solae reprehenduntur, si absint delectatio, tumor, superbia, auaritia, sollicitudo, & huiusmodi vitia alia, quae familiaria sunt diuitibus, sed diuitias cum sollicitudinibus, curis & voluptatibus huius seculi simul posuit, quae suffocant Dei verbum. Et aliud cecidit in terram bonam, id est in cor docile, deuotum & hilariter acquiescens diuino beneplacito, ut pote perfecte resignatum. Et fecit fructum centuplum, hoc est, copiosum atque perfectum.

Hae dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Absque dubio est, omnes ibi tunc praesentes habuisse aures corporis, sed Christus aures mentis, hoc est mentem deuotam & voluntatem bonam quaerebat: propterea non solum aures audiendi, hoc est, aures, quae quod audierunt, custodiunt, requirit.

Interrogabant autem eum discipuli eius, quae esset haec parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem haec parabola.

Discipuli Christum, quae esset haec parabola, interrogant. Quod tamen fecisse credendi sunt, non mox postquam audierant parabolam, sed cum Dominus esset singularis, id est, cum esset solus, de huius intellectu requirebant. Quibus ipse dixit: Vobis discipulis meis, bonam habentibus voluntatem, & qui studiosi estis ad intelligenda verba mea, ut eadem non solum sciat, sed faciat etiam, datum est nosse mysterium regni Dei, id est, secreta Ecclesiae militantis, quia eadem debetis docere alios, qui post me, quasi fundamentum estis Ecclesiae.

Obserua quod hic mysteria nominat, quae in parabolis dicuntur. Verum id non de hac tantum parabola, sed multis quoque alijs locutus est, in quibus plura latent mysteria seu secreta Ecclesiae, quae ideo latent, ideoque sub parabolico sunt abscondita sensu, ut ad intelligendum studiosi, inuestigando sua diligentia (& ideo digni) gratiaque Dei adiuti, inueniant, quod latebat, indigni

X 2 vcrò

F. VI  
21

Prædicatio  
Christi cu-  
jusmodi fu-  
erit.

Math. 12.  
Marc. 1.  
Lucæ 1.

Ecclæ.

verò & hi, qui contemnunt inuestigare ac sensum querere, nihil percipiunt. Sciendum quoque prædicationem Christi ab initio fuisse claram & lucidam, satisq; miraculis ac signis manifestis roboratam, quare non poterant Iudæi se excusare, quod eum non intellexissent. Erant autem multi eorum sua inuidia ac malitia excæcati, qui respuebant eius prædicationem, signisq; detrahebant, tribuentes illa Beelzebub. Ideo Christus postea multa abscondit indignis, idq; misericorditer, ne deteriores fierent. Propterea sequitur, cæteris autem in parabolis, scilicet est loquendum, ut videntes, id est, videre se putantes miracula mea, non videant oculo intellectu- li, & audientes verba mea non intelligant eorum mysteria. Reçtè enim ve Beda dicit, in parabolis audiunt, qui clausis sensibus cordis non curant cognoscere veritatem. Atque ideo multis se & donis & beneficijs Dei priuante per ingraticudinè. Tandè exponens ipsemet Dominus metaphoricè parabolam, adiecit:

Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbū de corde eorū, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petra, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radicem non habent, quia ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt. Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum.

Augustin.

Semen, inquit, est verbum Dei. Ergo seminator seu sator est Christus Dominus. Nam prædicator verbi Dei nihil aliud est, quàm cophinus seminantis, portans semen Christi, quemadmodum Augustinus de se dicit: Ego quid sum, nisi cophinus seminantis? Ille in me ponere dignatus est, quæ vobis spargo. Nolite autè credere ad vilitatem cophini, sed ad claritatem seminis, & ad potestatem seminantis. Sequitur itaque parabolæ huius expositio, quam ipse Dominus elucidauit, & ego vobis eandem iam dixi conformiter ad illius expositionem, nisi quod in fine dicendum est, quod supra triplicem terræ bonæ, quæ semen recipit, narrat fructum, hic verò dicit, quod fructum adfert in patientia, ut sequitur.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia.

Math. 13.

Differentia  
terre triplex  
quos deli-  
gnet.

Supra, ut dixi, terram bonam in triplicem gradū per triformem quodque fructum distinxit. Dixit enim de terra bona quandam centesimū, quandam sexagesimū, quandam verò tricesimū adferre fructum. Non enim caret ratione, quod de fructu distinguit, quo certè indicat differentiam esse terræ triplicem. Quandā bonam, quæ pertinet ad incipientes, quandā meliorem, quæ ad proficientes pertinet, quandam verò optimam, quæ respicit perfectos. In tricesimo enim fructu constituuntur incipientes, qui si- dem Trinitatis sibi sufficere credunt cum obseruantia præceptorum Deca-

legi. In sexagesimo fructu intelliguntur, qui in Dei amore profecerunt, & iam non solum praecepta decem, sed etiam sex opera misericordiae, quibus iustitia omnis, quae debetur proximo, impletur, profecerunt. Tertij qui centesimum fructum adferunt, sunt perfecti, qui mandata veteris legis moralia, hoc est, illa decem praecepta & consilia simul Evangelica implentes, Domini non solum mandata, sed & beneplacita omnia fatigunt perficere. Sunt qui exponunt ad tres status qui in carne hic seruantur, puta virginum, qui centesimum adferunt fructum, continentium, quorum est sexagesimum referre fructum, & coniugatorum, qui tricesimo sunt contenti fructu. Charissimi audistis eos omnes recenseris qui verbum Dei audierunt, sed iterum (ideò nullum est in eis operatum fructum) à se Dei verbum euouerunt. Alij quidem retinuerunt, sed iuxta mensuram sui profectus illud operibus ostenderunt. Eligamus nos quae perfectiora vicinioraque sunt saluti, vt non solum ea quae praecepit nobis, cogitemus semper, sed etiam quae illi cognoscimus beneplacita, faciamus, praestante hoc nobis Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

Hebr. 6.  
Eccle. 3.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Agricola quomodo Christus, semen Dei verbum, terra cor humanum.*

**E**xist qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas, & aliud in terram bonam. Luc. VIII.

Habemus in his verbis Evangelicis hodiè agricolam siue seminatore, habemus semen, habemus terram. Supra haec habemus viam, petram & spinas. Rationem similitudinis ad sensum illum parabolicum explanare, quomodo scilicet id quod assimilatur, congruat rei cui assimilatur, aut quae conuenientia sit similitudinis vtrobique, & si prolixum fore id uideatis, quam breuiter tamen potero, vobis explicabo. Seminatore seu agricola hic intelligitur Christus. Solus enim ipse in corda nostra semen salutis, verbum scilicet Dei viuum & efficax ponit, in hoc non incongrue comparatur agricolae: Quod enim agricola humilis atque vilis ducitur, cum sit vtilissimus, puta qui omne suum robur, omnesque vires expendit, vt administret nobis, vnde omnes viuimus, panem, ita Christus Dominus noster, quantum hic apparuerit (dum nobis seminare vitam caelestis panem, dumque terram nostri cordis excoleret, & in cruce sanguine suo rigaret) humilis, quamque vilis attendite. Cum enim esset in forma Dei, exinamut semetipsum, formam serui accipiens, formam quoque serui exhibens, qui venerat ministrare, non sibi ministrari, discipulorum suorum pedes lauans, & nouissime vt factus illusus cum iniquis, id est, cum latronibus reputatus est. At prospice tu, ne propter hanc vilitatem ipsum negligas, sed quanto propter te factus est vilior, tanto sit tibi dignior, tanto pretiosior, tantoque charior. Est enim vniuerso mundo non modo vtilissimus, sed omnino etiam necessarius, qui ex morte nos viuificauit, & panem caelestis vitae seipsum nobis praebuit. Habuit quidem vestem vilem, communem seu rusticam, quia habitu inuentus vt homo, sed eam tamen vilem habuit propter nos.

Agricola  
Christus quomodo dicitur.

Philip. 2.

Math. 10.

Ioan. 13.

Ioan. 19.

Ioan. 5. 19.

Phil. 2.

Ioan. 10.

Per omnia enim assimilari voluit fratribus, ut omnes saluos faceret. Hanc vestem, mortalitatis scilicet & vilicitatis exiit per gloriam resurrectionis, quando scilicet regnaturus decorem induit & claritatem. Quod figuratum ante erat in Zacharia, de quo dictum fuit: *Auferte vestimenta sordida ab eo, & induite eum vestimentis mutatorijs.* Nonne de Patre suo dicit Christus: *Pater meus agricola est?* Si Pater agricola, quomodo Filius agricola non est? Denique, ex callibus manuum suarum agnoscitur agricola, & laborator, quem in iniquitatibus nostris laborare fecimus tota die. Laborauit enim sustinens in cruce, cuius manuum calles sunt vulnera, quia *ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & eius liuore nos sanati sumus.* Quare autem semen nominet verbum Dei, ratio huius comparationis est. In semine quidem est calor, vnde germinat frutex, vndeque nutritur germen, quod enatum est. Pari modo quoque verbo Dei, de quo scriptum est: *Omnia sermo Dei ignis.* Itemque: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Exerit enim de se calorem, qui operatur in planta, vbi in terram bonam satum hoc fuerit semen, quia vbi voluntas fuerit auditoris bona, verbum Dei radicem figit & germinat. Huius verbi Dei calorem senserunt duo ex discipulis in die Paschæ euntes in Emaus, qui Christum in specie audierant peregrini dicentes: *Nonne car nostrum ardens erat de Iesu, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas?* Paremus igitur cor nostrum & voluntatem nostram, ut Dei verbum non fastidiamus, & ne audiamus negligenter. Scimus enim quomodo improperauerit quibusdam ciuitatibus, vbi Dei verbum fuerat prædicatum, quod illud fastidiant: idcirco remissus futurum pronuncians in iudicio terræ Sodomorum, quam illis ciuitatibus. Inest igitur Dei verbo calor quidam naturalis tanquam semini, vnde virtus prodit nutrimentalis. Sed quod terra sit bona, in quam seminetur necesse est, alioquin nihil crescit. Secundo, in semine virtus est quedam penetratiua, qua virtus & operatio eius diffunditur. Sic verbum Dei ad intima penetrat, de quo dicit Paulus: *Viuu enim est Dei sermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Afficit enim, & mutat intima cordis. Vultis videre, quantæ sit virtutis, & efficacæ verbum Dei, quantumve penetret ad interiora mentis? Petro, Andrea, Ioanni, Mattheo, Zachæo, cæterisque omnibus Apostolis, quantam vim intulit verbum Dei? nonne vbi Christus dixit: *Sequere me, statim obliuiscerunt parentum, obliuiscerunt vxorum, obliuiscerunt filiorum, obliuiscerunt diuitiarum, obliuiscerunt denique omnium quæ habebant, nihil posthac amabant in mundo, sed omnibus relictis prætulērunt Christum?* Quid dico? Non solum carnem suam persequuti sunt cum vitijs & concupiscentijs suis Sancti, sed etiam animam suam, hoc est, vitam suam odio habuerunt propter verbum Dei. Simili modo de seipso Dauid quoque testatus: *Propter verba, inquit, labiorum tuorum ego custodiuisti vias duras.* Postremò videamus virginum monasteria, virorumque & sacerdotum cælibatum. Non enim omnes de incontinentia sunt suspecti. Quia illis (de bonis loquor) persuasit mundum, parentesque relinquere, in monasterijs arcta interdum parsimonia viuere, & hodiè vbi inter hæreticos viuunt, contemptum, irrisiones & persecutiones sustinere, hilariterque nihilominus perseuerare? hoc potissimum conqueri, quod non sinuntur a lios Deo secum seruituros sibi ascire? Quid, inquam, confortat eos? quid

virtu-

viventem animo præstat, nisi verbum Dei? Gloriantur Lutherani quod habeant verbum Dei. Sed cuiusmodi obsecro? Nempe, quod facit ab Ecclesia desicere, à Deo apostatate, fidem frangere, vota temerare, mandata omnia potestatis, aut superiorum transgredi, bona opera contemnere, deuotionem ridere, & inter fornicationes, ingluuiem, aliaque flagitia confiteri, & nihilominus cælorum regnum, etiam si Deo displiceat, sperare? Proh pudor, hocine est verbum Dei? Absit, vt spes eorum sit spes, sed inconsulta, temerariaque præsumptio. Terra itaque in qua semen, hoc est, Dei verbum fructificat, bona est voluntas, deuotioque feruens, quæ nunquam ociose audit, aut frustra verbum Dei, sed mox vbi audierit illud, in se concipit tanquam semen Dei per bonum propositum, quod aliquando in opere pariat. Siquidem vbi germinauerit in opus, tunc seminis probatur conceptio. Porro fructus in messe demum apparere incipit, quando reddit Deus mercedem laborum sanctorum suorum, quos hic deduxit in via mirabili. Qui enim parce hic seminauerit, parce tunc & metet. Non est hic tacendum tria esse, per quæ vehementer impeditur, ne fructum adferat verbum Dei. Primum namque pudor est bonæ actionis, maxime ea, quæ humiliationem flagitat, & quam superba verecundia timet. Omnes esse volumus humiles, sed non item omnes humiliati: quamuis non nisi per humiliationem sui acquiritur humilitas. Erubescimus, de quo nequaquam est erubescendum. Verbi gratia: Transit diues quispiam aut honoratus, vbi seruum aut mancipium quodcumque gratatum, aut sub fasce laborans videt, compatitur grauato, vellet illi si nemo videret, opem ferre & releuare eum sub onere, sed verecundia ductus in aliorum non audet oculis. Hæc cogitatio compatiens, & adiuuare cupiens, nonne est semen Dei? Nonne verbum est à Deo inspiratum, seu inspiratio diuina? Et tamen ne fructus inde enascatur, pudor id impedit bonæ actionis, & humiliationis timor. Existimationem enim sui grauari diues putat, si palam cum eo, qui succumbit sub onere humeros supponeret. Certè charitas non erubesceret, humilitas quoque non erubescit, opus huiusmodi, aliudve simile, quod misericordia imperat. At superbia, quæ prudens in oculis est, & mundana sola cogitans, prohibet & dicit: Si hoc faceres, quid dicerent, aut cogitarent homines? Nonne te stultum putarent: Olim monachi currus, & bigas monasterij cum equis regebant, necessaria monasterijs aduehentes. Erant autem tunc monachi, vt modo in monasterijs sunt laici conuersi. Sed dic modo conuerso vt vehiculum, seu monigam (vt vocant) cum vase per oppidum vehat, aut onustus scæno incedat per ciuitatem, aut vile huiusmodi aliud portet. Num faciet? Et quæ excusatio illi erit alia, nisi quod rideatur ab hominibus, quod scandalizentur homines, nescienti quid scandalum sit, qui suam superbiam erubescitiam vocat, & aliorum scandalizationem? Timens enim vilis aestimari, scandalum se dicit timere aliorum. Obedientiam itaque refugit ex pudore actionis bonæ. O quoties nobis superbia hæc, quæ verecundiam se fingit, imponit, quoties à bono, virtuosoque opere retrahit, timentes ne confundamur, ne derideamur, aut ne pereat apud homines existimatio nostra? Ab hoc vitio liber est, quisquis homines non aliter inspicit, quam homines, nihil

X. 4. motus,

Lutherani  
cuiusmodi  
habeant ver-  
bum Dei.

Terra bona  
quæ.

Sapient. 3.

1. Cor. 9.

Tria fructum  
verbi Dei im-  
pedientia.

I.

Gregor.

Superbia vitio  
verecundiam  
se fingat.

Gloriam vnam fugiendi modus q.

motus, siue ab illis laudetur, siue (ubi culpa adest) vituperetur. Scit enim laudibus se alienis non fieri meliorem, nec deteriorem vituperijs hominum. Ideo Deum solum respiciens, quicquid ad illius gloriam pertinet, propter homines non intermittit. Exemplum habemus de Dauid rege, qui saltauit ludens ante arcam gaudio deuotionis plenus, dum illa duceretur ad suam ciuitatem. Tunc enim præcedebat arcam Dauid rex Epho lineo accinctus, percutiensque in organis armigatis totis viribus coram Domino saltabat ante arcam. Quem prospiciens Michol filia Saul per fenestram, despexit eum, & paulo post hoc etiam ei illudendo quasi leuitatem exprobrauit. Cui Dauid respondens: *Viuit Dominus*, inquit, quia *ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum. Ludam & vilior siam plusquam factus sum: & humilius in oculis meis.* Vide igitur, quomodo rex Dauid, vt suæ satis faceret deuotioni, contempto pudore humano, se humiliauit, & expende si quispiam bona agens vituperetur, hi à quibus vituperatur, fatui profecto sunt, quamlibet iuxta seculum sint prudentes, & magni sensu carnis inflati, qui bene operantem spernunt, quia non solum non sunt pauperes spiritu, sed perperam etiam spiritus in alijs derident. Noli igitur tu propter fatuos stultus fieri, vt propter ipsorum huiusmodi iudicia (quæ honestissime contemnuntur) bonum aliquid intermittas. Nihil tibi cum gloria mundana, qui Christi duntaxat gloriam quæris, & testimonium conscientia, ac virorum Deum timentium, non eorum qui dicunt bonum malum, aut malum bonum. Quare enim sancti in tanta sunt hodie ueneratione apud veros Christianos, & gloria, nisi quia gloriam, quæ datur ab hominibus, hic contempserunt? Non est igitur malum, sed vicinius etiam est virtuti malis displicere.

## II.

Sunt alij in quibus fructum non facit verbum Dei, & quos à bono opere retrahit, difficultatis, pœnalitatis, ac laboris timor, quia nondum sunt mortui sibi ipsis, sed amor in eis proprius viuit. Sciunt quidem bonum esse, salutiferumque quod prædicatur, quodque inspiratur à Domino. Laudant, magni faciunt, & optant hoc, sed nolunt pati, nolunt sibi in ferre vim. Timent igitur & horrent Dei verbum, quia illis est contrarium. Audiam enim, verbi gratia: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, laudant & ita agere volunt, vt maneant sobrii, sed vincit eos tentatio, quia se ipsos vincere non possunt, aut nolunt. Sic alij audientes: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* statuunt hoc ita facere, vt rem vtilissimam, atque Deo maxime placentem, sed ad opus non perueniunt, quia difficultas eis videtur nimia, aut se humiliare (vnde pudefcunt) iuxta primum modum, aut benefacere his, qui oderunt se. Dicitur tibi: *Redde pro malo bonum*, & scriptura in qua semen est Dei, quotidie hoc dicit. Quid respondes? Optarem quidem, & ora pro me, vt possim. At non possum huic homini amari, qui ad eò me offendit. Vides, quia difficultatis & laboris timor impedit, vt verbum Dei non fructificet? Neque enim tibi laborem atque vim studeas inferre. Tertium est quod impedit verbum Dei, amor. Hic siue fuerit naturalis, siue acquisitus, siue socialis, aut carnalis, mirum in modum impedit Dei verbum, tam inspiratum, quam prædicatum. Hic cognoscant se quos societas de-

Amor cuius modi prædi-

tas detinet ad peccandum, quos amor captiuos ligat, quia malus amor est in causa, quare tam bonæ, sanctæque inspirationes, & à Deo toties acceptæ negligantur. Quotidiè nos sacerdotes sacram scripturam legimus, & prædicamus. Quare igitur in nobis, qui docemus alios, non maximum facit fructum verbum Dei? Quia ad creaturam aliquam nos amor ligauit, vnde recedere nolimus: idèd verbum Dei in nobis operari non potest. Alius ligatur ad crapulam & vinum, alius ad aleam, alius ad pecunias, alius ad scortum, & ad huiusmodi alia multa, quibus impeditur. Adam primus parens Gen. 3. nosster amore ligatus ad Euam, quia illam contristare noluit, ei consentit de ligno vetito edere, quamuis malum hoc esse sciret. Salomon quoque non 3. Reg. 11. ignorabat idololatriam Deo omnium exosam, & sibi prohibitam: tamen non continuit se ab ea, sed propter amorem mulierum idolis templa, seu aras edificauit, & adorauit. Sic Herodes quoque ex Ioanne Baptista verbum Dei audiens, dilexit eum & libenter audiebat illum. Sed quare verbum Dei in eo nullum attulit fructum, maximè per verbum Dei monito, vt illicitas solueret nuptias? Idèd certè, quia amore addictus fuit vesano pestilentissimæ illi Herodiadi, qua carere noluit. Quamobrem Dei verbum ne operaretur fructum, amor ille perditus impediuit. Nos igitur filij, non erubescamus pro virtute, pro Dei amore, ac cultu, quæcunque etiam vilia, præsertim si virtutis in his exercitium fuerit, exercere. Non parcamus labori, aut difficultati, quo vincamus, extirpemusque priuatum amorem. Nulli rei quoque in hæreat adèd cor nostrum, vt illam præferamus Deo. Et tunc cor nostrum erit terra, quæ fructum adferre possit centuplum, largiente id nobis Domino nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA, EPI-  
stola B. Pauli Apostoli, I. Corinth. XIII.

**I** linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in ciuitates pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non emulatur, non inflatur, non agit perperam, non est inuidiosa, non quarit que sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas enim nunquam excidit: siue prophetia euacuabitur, siue lingua cessabit, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, enaciani que erant paruuli. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem

autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam facie & cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, & caritas, tria hæc maior autem horum est caritas.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

1. Cor. 13.

**V**bi Apostolus hortatus Corinthios fuerat, omnes nos esse vnum corpus Christi, cuius cum varia sint dona (sicut & membrorum alia atque alia sunt officia in naturali corpore) singularibus membris collata, idque non in vnius hominis, sed in totius corporis mystici utilitatem. Ne quis inflatur, aut se extollat aduersus alium propter aliqua dona, que in se magis, quam in alio reperit, puta prophetiam, genera linguarum, gratia curationum, aut aliquid huiusmodi, sciat se certum non esse per hæc se placere Deo: quandoquidem ea, que in utilitatem dantur multorum, & bonis & malis dantur. Nec raro fit, vt magis propter utilitatem conferantur eorum, qui his participant donis, quam ob meritum eius, qui dona hæc recipit. Eam ob rem in epistola hodierna cum excellentiorem nobis, securiorisq; viam, que fallere nos non posset, vellet ostendere, charitatem commendat, præfertq; eam omnibus alijs, quibusuis operibus, atque donis dicens: Si linguis loquar hominum, omnium generum linguas intelligens & loquens, aut etiam Angelorum (habent enim & Angeli modum quandam loquendi, seu insinuandi, quo à superioribus illuminentur inferiores) vane voce mea insinuare alteri voluntatem suam: charitatem autem, id est, amorem Dei & proximi Deo infusum, quo carere potest omnium linguarum loquens, non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens, quod sonum quidem generat, sed nihil loquitur, aut significat. Sic tamen omnium linguarum loquar, non habeam autem charitatem, ero vt sonus nihil significans, quia absque spiritu veluti mortuus sum. Sicut autem corpus absque anima mortuum est, ita anima est mortua absque charitate. Quid autem mortuo prodest, prodesse alijs multis? Quid prodest docenti, prædicanti alios conuertere, alios ad vitam instruere, si doctor ipse non habet charitatem? si ipse in se non habeat vitam? Et si habuero omnem prophetiam, futura prænoscentem, nouerimq; omnia mysteria sacræ scripturæ, omnemque scientiam, adeo vt nihil me fugiat, habuero quoque tam perfectam fidem, vt montes transferam, iuxta promissa Christi, dicentis: *Quicumque bixerit huic monti, tolle te, & mitte te in mare. & non hesitauerit, fiet ei:* charitatem autem non habuero, tamen si ex donis illis aliquid esse existimer, tamen nihil sum, quia spiritui meo vita deest, Deus. *Qui autem putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducat.* Præterea, si distribuero pauperibus facultates meas, id est, omnia que habeo, & habere possim bona, quod Christus perfectionis vocat opus, dicens: *si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes, & da pauperibus:* mihi tamen charitatem non habenti nihil prodest, quantumuis scriptura elemosynam laudet. Quod si corpus meum laxissimis tradidero poenis, ita vt flammis iniectus ardeam, sine charitate ad æternæ vitæ consecutionem nihil mihi prodest. Posset enim aut ex feruili timore, aut ex iactantia, aut odium seruans in proximum quis martyrium pati: cui tamen sine charitate.

Lingua Angelorum quales sunt.

Matth. 21.

Gal. 6.

Matth. 19. Marci 10. Lucae 14.

nite patienti beatitudo nulla conferretur. Quare cum nullum esse, aut  
 posse bonum possit absque charitate, qui charitatem habet, omnia ha-  
 bet. Est autem charitas patiens & benigna. Patientia est verò aliena mala  
 equanimiter perpeti, contra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore  
 moreri. Nam qui sic proximi mala portat, ut nihilominus tacitus doleat,  
 tempusque dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed fingit.  
 Charitas igitur patiens est, benigna est, ut non solum aliena mala toleret,  
 sed etiam quos portat, amet. Non amulatur, quia is qui de temporalibus  
 bonis nil appetit, alienis felicibus successibus inuidere quoque nescit. Cha-  
 ritas non agit perperam aut peruersè, proximum nequiter impediens. Cha-  
 ritas quoque non inflatur superbiens ex temporali felicitate, nec est ambi-  
 tiosa, honores & fastum diligens, nec quærit quæ sua sunt, sed aliorum sa-  
 lutem animarumque profectum suis commodis suisque utilitatibus præ-  
 fert. Non irritatur, ut commota vltionem meditetur, nec quomodo alte-  
 ri inferat malum, cogitat. Charitas denique non gaudet super iniquitate:  
 quia nec exultat in perditione delinquentium, nec in sustentium aduerfi-  
 tate lætatur, sed magis congaudet veritati, non tam doctrinæ, quam ope-  
 rum iustitiæ. *Charitas omnia suffert* longanimiter propter spem vitæ æternæ,  
 omnia credenda credit, intellectum suum captiuans in obsequium Christi.  
 Omnia sperat quæ promissit Deus, omniaque illa expectans, perseveranter  
 sustinet. Charitas nunquam excidit à Deo, nunquam desinit hic crescens,  
 donec in futura vita perficiatur. Sed dicitis: Quomodo tunc scriptum est? *Re-*  
*surgite charitas multorum?* Aut quomodo cuidam in Apocalypsi dicitur: *Ha-*  
*beretis super se te, quod charitatem tuam primam reliquisti*, si charitas nunquam à  
 Deo excidit? Dicendum, non dictum esse charitatem non posse amitti, sed  
 charitatem, quamdiu est & ubi est, non separari aut excidere à Deo. Nam  
 si excideret, iam charitas non esset. Potest igitur charitas quæ fuit, non esse,  
 non potest autem quæ est, à Deo excidere. Omnia alia quæcunque præclara  
 dona Ecclesiæ data peribunt, aut in melius commutabuntur, charitas au-  
 tem manebit hic & in futuro. Siue enim (ut nonnulla donorum Dei recen-  
 seam) sint prophetiæ, hæc euacuabuntur. Cùm enim quod prophetatum est,  
 euenerit, vltra locus prophetiæ non est. Siue sint linguæ, cessabunt. In regno  
 namque Dei non erit linguarum varietas, neque necessitas. Poterunt nam-  
 que ibi loqui. Verum tamen cuiusmodi ibi locutio post extremum iudi-  
 cium futura sit, puto nulli reuelatum, nisi quod fortasse nulli dubium est,  
 eo modo quo nunc loquimur in hac vita, tunc non colloquuturos in pa-  
 tria. Sequitur: Siue sit scientia, & hæc quatenus ad huius vitæ modum sci-  
 endi atinet, destruetur, perficietur verò modo nobiliori & perfectiori,  
 quam hic cognoscimus. Ex parte enim, hoc est, imperfectè hic cognosci-  
 mus, non omnia cognoscentes, sed interim multa ignorantes, & ex parte  
 prophetamus: quandoquidem pauca ex multis his quoque, qui donum ha-  
 bent prophetiæ, reuelantur in hac vita. Cæterum cum hæc vita, quæ imper-  
 fectio est tempus, transierit, & euenerit in futura beatitudine, quod per-  
 fectum est, & quod in veritate consummatum est, euacuabitur id, quod ex  
 parte, id est, cessabit omnis imperfectio, quæ in hac vita fuerat. Non dissi-  
 mulla B. Iohannes in epistola sua loquitur: *Charissimi nunc Dei filij sumus, & non*

Gregor.  
 Patientia  
 quid sit.

2. Cor. 13.

Math. 24.

Apoc. 2.

Charitas quæ  
 amitti potest.

1. Ioh. 3.

dem apparuit, quod erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Cuius rei capiat similitudinem: Cum essem paruulus seu puer, loquebar imperfectè & balbutiens, ut mos est puerorum. Sapiebam quoque, puta pueriliter ut paruulus, agitabam quoque ludicra ut paruulus. Quando autem factus sum vir perfectus consummatusque usu rationis, scientia atque iudicio, euacuauit, deserui contempsiq; ea, que sunt paruuli, puerilia scilicet. Hoc modo bonorum imperfectio huius vitæ nobis peribit, ita tamen ut in aliam perfectionem ac plenitudinem in futura vita mutetur. Hoc namque tempore caliginoso, quo hic viuimus, videmus Deum quasi in speculo & ænigmate suo. Per visibilia enim hæc, & maxime per hominem, qui ad imaginem Dei creatus est, in notitiam pertingimus Dei, contemplantes eum, quasi in speculo. In futuro autem seculo tunc videbimus eum facie ad faciem. Itaque nunc Deum cognosco imperfectè, & vix ex aliqua parte, tunc autem, hoc est, in futura vita cognoscam eum, sicut & cognitus sum. Quamdiu autem in hac vita degimus, manent in electis & sanctis Dei coniunctim fides, spes, & charitas, quibus hæcant Deo, è quibus tribus maxima est charitas. Spes namque & fides possent esse in homine informes. Porro charitas non potest esse informis, quæ alijs bonis vitam præstat & decorem.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM  
Dominica Quinquagesimæ. Luca XVIII.

NON immeritò quis admirari possit, quomodo fiat, ut hodierno die, qui hominibus præsertim mundanis gaudio est & lætitiæ, Ecclesia præter subtractionem canticorum lætitiæ, memoriam proponat Dominicæ passionis. Nam dies hæc vocatur à vulgo carnispriuium, eo quod in crastino quadragesimalis cibus maxime à clericis debeat sumi, & hodie carnibus sit quasi vltimo die in esum sumendis, donec pascha illucescat, valedicendum. Quare incongruum videtur huic temporis passionis Dominicæ memoriam applicare, quo tot sunt leuitates, totidemque abominationum transgressiones, ut iustus hic dies spirituspriuium, quam carnispriuium, vocaretur. Reuera enim non parum spiritus priuatur deuorine, cum nimium tribuitur carni. Admissa fuit olim à patribus recreatio aliqua hoc die, post quem magno feruore incipiebant homines penitentia & abstinentia se macerare. Honestum enim gaudium non est prohibitum, licet hoc vnum præcipue laudetur, quod de bonitate concipitur creatoris, quod de beneficijs quoque augetur ab eodem acceptis: dum seipsum his indignum ex animo sentit homo, gaudetq; in sola misericordissima dignatione Dei, quam super se liberalissimam ac copiosam videt. Pari modo gaudium quoque est religiosum, de euasione peccatorum, & de gratia se custodiente. Verum, relicta lætitiæ spirituali, gaudium nunc se tradunt homines diabolico. A quo retrahere eos cupit Ecclesia, idcirco quod omnium maxime compungere debet mentem, historiam narrat summam Dominicæ passionis, ut memores charitatis huius immensæ, erubescamus seruitij captiuitatisque diabolicæ. Quomodo ergo mundus & diabolus suis filijs iugum imponit vitium & peccandi exercitium, ita Ecclesia suis alumnis ac deuotis Dominicæ

Gene. 19.

Passionis Dominicæ memoria cur hic insinuetur.

Gaudium religiosum quod.

passionis opponit exemplum. Mundus gaudet in operibus carnis, filij Ecclesie compunguntur deuotis exercitijs spiritus. Illi latam currunt viam ad infernum, hi ambulat arctam viam spiritus. Verum redeamus, audiamusque Euangelium.

Math. 7.

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.

Hoc Euangelium tamen hodie legatur, est tamen hodie non factum, sed ea quae hic leguntur, dicta & facta sunt circa vltimum Paschae, quando iam Iesus à Galilea ascenderat Hierosolymam, paulo post passurus. Tunc enim assumpsit discipulos suos, & ait illis secretò: Ecce ascendimus Hierosolymam. Quod passionem suam praedixit suis, idè fecit, ne postea nimium scandalizarentur discipuli, & videntes Iesum captum, putarent eundem non potuisse euadere, sed manibus fuisse impiorum praecupatum. Praedixit igitur suam passionem, quo ostenderet se ea, quae ventura sibi erant, praescire quidem, sed vltro cum euadere posset, eadem subire. Deinde confortare eos voluit contra futuram tristitiam, vt minus turbarentur, cum eueire cernerent, quae sibi fuerant praedicta. Voluit autem secretò illis haec dicere. Quare secretò? Ob euitandam turbationem. Homines enim compassiui & feminæ deuotæ turbatae scribis alios inquietassent. Haec Christo Apostolis reuelante dubium non est Iudam quoque apostolum tunc adfuisse, qui ipsum erat traditurus, sed an Iudas tunc adhuc bonus fuerit, nec ne, ignoratur. Certè autem est, Christus quicquid dixit, qui eius cor videbat, ad illius (si fortasse malae fuerit voluntatis) correctionem dixisse: Ecce, inquit ascendimus Hierosolymam, Vides eum vltro fuisse passum, qui ad locum ascendit passionis, vbi erat tradendus & flagellandus? Nisi vltro se tradere voluisset in mortem, non debuit ad locum accedere, quo se capiendum & interficiendum sciebat. Ascendimus autem dicit, quia à Galilea veniens ad montana ibat, vbi Hierusalem sita erat. Et consummabuntur omnia quae dicta sunt per prophetas de Filio hominis. Quasi dicat: Quicquid de mea passione, quicquid de resurrectione scripserunt Prophetæ, nunc implebuntur, vt inde quoque intelligatis me esse, quem praedixerunt Prophetæ, cum eadem videritis in me impleri. Voluit autem consummari in Hierusalem & impleri, quae de illo scripta sunt, non absq; ratione. Nec enim, vt dixit, capiebatur Prophetam perire extra Hierusalem. Deinde congruebat, quia seipsum Patri pro vniverso erat immolaturus mundo, vt hanc offerret hostiam in ciuitate sacerdotali, vbi erat templum & doctrina legis, quo simul inexcusabiliores fierent Pharisei & Scribae, apud quos erat scientia legis dum viderant in Christo impleri, quod praedictum in Scripturis legebat. Fuit praeterea ciuitas haec Hierusalem regia metropolis. Christo autem Pater dedit omnia in manus, imò & post resurrectionem suam datam sibi potestatem adfirmat in caelo & in terra. Ipse quoque rex est & sacerdos, propterea regnum suum non negauit coram Pilato, nec sese regem abnuuit, sed regnum suum non esse de hoc mundo asseruit. Regnum enim suum saepenumero in parabolis testatur: *Simile est regnum inquit, calorum decem virginibus.* Et: *Simile est regnum calorum homini regi, &c. de se & de Ecclesia loquens.* Per passi-

Math. 26.

Marc. 10.

Luc. 19.  
In Hierusalem  
cur pati  
Christus voluit.

Ioan. 19.  
Math. 23.

Ioan. 8.

Math. 5.  
Math. 26.

Lucæ 2.  
In Bethlehẽ  
cur natiuo  
lucit Chri-  
stus.

Math. 27.  
Ioan. 19.

Ioan. 12.

Act. 3.

onem enim sibi acquisiuit hoc regnum, ideo non abs re fuit, vt in regia  
velleret pati ciuitate. Aduerte autem hic aliquid sublimioris eruditionis,  
qua semper in omni sua vita nos erudire voluit ad humilitatem. In vili  
enim & parua ciuitate, nempe in Bethlehẽm voluit nasci, sed in gloriosa  
ac nobili ciuitate confundi, non quærens honorem ex patria aut generati-  
one, nec fugiens opprobrium, quod maius sibi nouit futurum ex ciuitatis  
nobilitate. In Hierusalem enim magna erat populi multitudo, & tum præ-  
cipue, quando inter latrones vt vnus illorum est extra ciuitatem Iesus edu-  
ctus, & in eorum medio crucifixus. Voluit itaque solus & incognitus na-  
sci, quo rursus alia ex parte humilitatem nos docuit, sed noluit solus &  
ignotus ex morte confundi. Heu quàm longè alia est nostræ superbix cogi-  
tatio, qui magis videri, quàm esse humiles volumus. Nos vbique & in  
omnibus excusando, celando, fingendo, dissimulando agimus, ne confun-  
damur, aut contemnamur nos defendentes. De Filio hominis. Homini  
id est, virginis beatissimæ, cuius filium se plerumque ex humilitate nomi-  
nat, cum sit etiam Dei. Quæ sint autem, quæ prædixerit de eo Propheta,  
quando quidem Petrus quoque confessus est dicens: *Deus præannunciavit per  
omnium Prophetarum pati Christum suum sic:* videamus.

Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, &  
conspuetur.

Psal. 49.  
Psal. 54.

Isa. 50.

Ibidem.

Thren. 3.

Psal. 68.

Sap. 2.

Isa. 9.

Psal. 21.

Isa. 53.

Psal. 21.

Ibidem.

Psal. 68.

Dan. 9.

Sopho. 3.

Roma. 8.

Ephes. 5.

De eius traditione Psalmista dicit: *Qui edebat panes meos, magnificauit su-  
per me supplantationem.* De eius agone & pauore mortis idem: *Cor meum com-  
batum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super  
me.* De eius conspuone & percussione Esaias: *Faciem meam non auerti ab incre-  
pantibus & conspuentibus in me. Iremus. Corpus meum dedi percipientibus, & genu  
meas vellentibus.* Et Hieremias: *Dabit percipienti se maxillam, saturabitur oppro-  
brijs.* De eius flagellatione Psalmista: *Et fui flagellatus tota die.* De eius dam-  
natione in libro Sapientie: *Morte turpissima condemnemus eum.* De baiula-  
tione Crucis Esaias: *P. incipatus eius super humerum eius.* De eius extensione &  
crucifixione denuo Psalmista: *Foderunt manus meas & pedes meos, & dnume-  
rauerunt omnia ossa mea.* Quod præterea sceleratis est sociatus, quod pro ini-  
micis suis rogauit, & quod sponte in mortem se dedit, Esaias: *Tradidit in mor-  
tem animam suam & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro  
ire in gressibus rogauit.* De vestium quoque eius diuisione Psalmista: *Dirise-  
runt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* De eo quod cla-  
mavit se derelictum, Idem: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliqui-  
sti?* De fellea potatione idem: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea pot-  
tauerunt me aceto.* De eius morte Daniel: *Et occidetur Christus, & non erit eius  
populus, qui eum negaturus est.* Et alia id genus multa. Quis omnia enume-  
ret? Igitur de sola (prætermisissis reliquis) resurrectione dicamus quia & ei-  
us Propheta Sophonias meminit, dicens: *Expectate me in die resurrexi omnia mea  
in futurum.*

Tradetur enim Gentibus ad illudendum. Quamuis Pater tradiderit Fi-  
lium in mortem, iuxta illud: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omni-  
bus tradidit illum, & Filius quoque tradiderit seipsum sicut scriptum est: Tra-*

*didit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo;* tamen hic de Apostoli sui traditione & Iudæorum loquitur. Iudas enim Iudæis Christum vendidit, & tam Iudæis, quàm Gentibus tradidit capiendum. Iudæi verò Gentibus, Pilato scilicet & Romanis tradiderunt Christum crucifigendum. Illius autem fuit Christus quatuor vicibus. Primo, in domo Caiphæ. De qua illusione apud Lucam scribitur *Viri, qui tenebant illum, illudebant ei.* Secundo, in domo Herodis: *Sprevit eum, inquit, Herodes cum omni exercitu suo, & illavit eum veste alba.* Tertio illusus est in præterio Pilati, ubi milites coronam ei spineam imprimunt illudentes. Quarto in cruce illudebanti, & principes, & milites dicentes: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.* Flagellabitur. In domo Pilati flagellis cæsus est, vt à planta pedis vsque ad verticem capitis non esset in eo sanitas. Imò vsque ad costarum nudationem (vt multi scribunt sancti) cum esset tenerrimo corpore ac nobilissima complexionem, cæsus est. Dicunt tamen quidam Christum ante quoque fuisse flagellatum in domo Caiphæ tota nocte, vt propterea illud deo intelligatur. *Et castigatio mea in matutinis.*

Illusus vii fuerit Christus quater.

I.

Lucæ 22.

II.

Lucæ 23.

III.

Matth. 27.

Lucæ 23.

Ioan. 19.

Esaiæ 53.

Psal. 69.

Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat verbū istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Non passionem suam tantum futuram Apostolis narrat, sed etiam resurrectionem, vt cum vnum euenisse cernerent, aliud quoque futurum non desperarent. Et ipsi nihil horum intellexerunt, quia non intelligebant Scripturas, donec post resurrectionē illis aperuit sensum, ideo nihil iam intellexerunt. Non parum autem faciebat ad hoc, vt minus intelligerent, quod quia Christum, credebant Dei Filium, ideo de eius morte nihil poterant cogitare, sed ea quæ dicebat vera quidem esse, sed intellectum, quem non caperent, habere putabant, fortasse enim non existimabant eum moriturum, aut mori posse ratione diuinitatis.

Ioan. 8.

Factum est autem cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset, Dixerunt autem ei, quod IESVS Nazarenus transiret.

Cum IESVS appropinquaret ciuitati, quæ erat Hiericho, cum appropinquaret, id est, cum vicinus esset ciuitati, quia alius Euangelista refert idem miraculum factum dum exiret de ciuitate Hiericho; hoc est, cum adhuc vicinus esset ciuitati, vt intelligatur non accedens, sed recedens de ciuitate, iuxta Marcum, cum adhuc prope esset, refertur hoc fecisse miraculum, quamuis satis incongruus sit iste modus loquendi. Hoc autem miraculum Lucas hic anticipatiue narrat, & postea, quod de Zachæo dicendum fuerat, quasi neglectum repetit. Sedebat secus viam mendicans.

M. th. 20.

Marc. 10.

Lucæ 19.

Et clamauit dicens: Iesu Fili Dauid miserere mei: Et qui

X 4 pra-

præibant, increpabant eum, vt taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.

Clamabat, inquit, puta magna voce & ardēti affectu: Iesu Fili Dauid miserere mei. Iesum nunquam viderat, relatione tamen aliorum, tanta de eo audierat, vt illum non solū Christum crederet, sed etiam sanitatis gratiam ab eo flagitaret. Quod enim Christum credidit, in hoc declarauit, quod illum Filium Dauid nominat, de cuius semine Christum nasciturum omnibus palam erat. Et qui præibant, & qui sequebantur Christum, increpabant cæcum, vt taceret, ne turbaret suo clamore, aut Christum contemplantem, aut populum in itinere ad Christi sermonem auscultantem suo impediret clamore. Ipse verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Magnus fuit desiderij feruor huius cæci, ideo noluit sibi prohiberi clamorē ad Iesum. Et tu quoque nō sinas impedire clamorem tuum, vel rememoraciones præteritæ, vel sollicitudines futurę tēporalis vitæ, quādo oras ad Dominum. Imo importunitate, ac orandi violentia tu eorum voces superes, vt tu solus in silentio audiaris, vocibus alijs, quæ se importune ingerunt, compestitis, siue sedatis. Solet enim orantibus nobis frequentior tunc tumultus vitiorum obstrepere, & orationem nostram inturbare. Contra quem eo vehementior intentionis vis oranti est resumenda, quo distractionis atque euagandi pronitatem compestat.

Stans autem Iesus, iussit illum adduciad se. Et cūm appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam.

Stans autem Iesus, iussit eum adduci ad se. Peruens desiderium, feruentiorq; fides cæci misericordissimum cor Iesu sistebat, quod nisi præstito beneficio transire noluit. Porro beneficium hoc dare potuisset illum non aduocando, atque interea eum expectando, sed benignitatem pijsissimi cordis sui gloriosus nobis in exemplum cupiebat monstrare, & quā misericordes, clementesq; absque fastidio aut supercilio esse debeamus in pauperes, nos docere. Et cūm appropinquasset, interrogabat illum, dicens: Quid tibi vis vt faciam? Vide clementiam Saluatoris, ad omnia se paratum offerre. Quid vis inquit, faciam? Vis elemosynam, vis corporis sanitatem? Vtrū vis, concedo. Domine, vt videam, hoc rogo, Lumen oculorum omnibus prætulit. Sine illo enim triste est gaudium, id quod Tobias fatetur salutanti Angelo respondens: *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen calis non video;*

Tob. 5.

Et ait illi Iesus: Respice, fides tua te saluū fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Vt promptum se ad satisfaciendum cæci desiderio obtulerat, ita confestim ei, quod petijt, largitur, imperatiuē faciens miraculum. Respice: Et confestim vidit, qui fuerat cæcus, clarius videns ex gratia miraculi, quā vnquam potuisset ex natura videre. Et sequebatur eum magnificans Deum. Quo ostendit se non modò sanum in corpore, sed in spiritu etiam factum

Ann.  
tribuit  
que De  
bona à  
gratias  
Domi  
E  
P  
includ  
autem  
erat tu  
quoque  
dem in  
fomen  
tur, qu  
tò & h  
nis lib  
In i  
bar, q  
fichar  
rum r  
næ iul  
bis co  
vt in l  
cedeb  
mo er  
tra ci  
nis po  
que a  
gri. I  
rem f  
datis  
precip  
Discip  
plina  
discip  
Chri  
mod  
paci  
est su  
fuer

Hum. Omnis autem plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Laudem Deo optimè tribuit, cuius est omne bonum, & à quo omne est beneficium. Laudem namque Deo dare, est donum Dei, cuius est confiteri, nostram indignitatem, quæ bona à Deo recipimus, agnoscere, & profundissima humilitate iuges eidem gratias agere. Quod omnibus nobis largiatur Iesus Christus Filius Virginis Dominus noster, Amen.

SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Cuiusmodi fuerint iubilei privilegia, & quomodo peccatorum obtineamus remissionem.*

**E**CCE ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, qua scripta sunt per Prophetas de Filio hominis, Lucæ XVIII. Hodierna Dominica Quinquagesima dicitur, eo quod quinquaginta dierum tempus hoc includat, hodiè quidem inceptum, sed in Paschate terminandum, significat autem numerus hic remissionem. Quocirca in lege annus quinquagesimus erat iubilæus, annus gaudij, remissionis, & libertatis. Simili modo nos nunc quoque poenitentiam incipientes, per quinquaginta dies continuamus, eandem in Paschate, ubi est quinquagesimæ huius finis, quasi in iubilæo remissionem peccatorum recipientes. Multa enim in iubilæo olim concedebantur, quæ nobis spiritualiter per passionem nunc conceduntur Christi. Idcirco & hodiè memoria Dominicæ recensetur passionis, qua nos ad remissionis libertatis quæ iubilæum credamus perductos.

In iubilæo namque fiebat remissio debitorum. Qui enim quicquam debebat, quod ante tempus non poterat solvere iubilæi, iubilæo adueniente liber fiebat ab omni debito. Sic nobis quoque in passione Christi debita peccatorum nostrorum sunt nobis dimissa. Omnes enim eramus debitores diuine iustitiæ ex reatu originalis peccati. Hoc debitum nostrum Christus nobis condonans ita condonat, ut pro nobis eadem etiam debita soluat Patri, ut in Psalmo loquitur: *Quæ non rapui tunc exolvebam.* Secundum quod concedebatur in iubilæo, erat, quod venditores ad vendita reuertebantur. Nempe enim agrum, aut aliquid simile perpetuò potuit vendere, præsertim extra ciuitatem constitutum, sed ad annum duntaxat iubilæi vendebatur omnis possessio, supputando iuxta annos distantes à venditionis tempore, usque ad futurum annum iubilæi, precium & iuxta æstimationis frugum agri. Porro in anno iubilæi reuertebatur, quod venditum erat, ad possessorem suum primum. Et nos quomodo gratis, hoc est, alieno peccato venundati sumus, ita etiam sine argento sumus redempti, hoc est, redempti sumus precioso sanguine agni immaculati & incontaminati Iesu Christi Filij Dei. *Disciplina enim pacis nostræ super eum,* ut Elaias dicit. Quod dictum est: disciplina seu correctio, quæ nobis debebatur & peccatis nostris, facta nobis est disciplina pacis, quia nos non sustinuumus eam, sed nobis donata est, & Christo imposita. In ipsum enim Pater posuit iniquitates omnium. Quomodo autem imposita sunt peccata omnium super eum, ita etiam disciplina pacis nostræ, id est, quam nos pati debueramus, sed condonata est, imposita est super eum. Tertium erat, quod in iubilæo obseruabatur, quia serui, qui fuerant propriæ ac venundati, in iubilæo manumittebantur, & libertati restitue-

iubilæi privilegia mylti-cc.

I. Ephe. 2.

II. Psal. 68.

Esaiæ 52.

1. Pet. 1.

Esaiæ 51.

III. Ibidem.

Z. stitue-

E. VI  
21

stiruebantur pristina. Hoc modo nos, qui sub iugo & serui eramus diaboli, per passionem Christi sumus redempti, & facti filij Dei. Eam ob rē in Apocalypsi dicitur: *Ocisus es, & red. mistinos Deo in sanguine tuo.* De hac liberatione Christus quoque loquitur dicens, *Si filius vos liberauerit, vere liberi eritis.* Quartum erat, quia in iubileo fugiui recipiebantur. Licebat enim tunc in patriam redire. Nobis autem expulsis à patria caelesti, siue exclusis, atque in exilio constitutis, nulla erat spes alia redeundi, nisi in iubileo per passionem Christi, de quo Paulus dicit: *Iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.* Redire enim nobis licet ad patriam, & ad ipsum per ipsum. Est tamen hic obseruandum, quod per passionem CHRISTI IESV dicimur restitui libertati, & à seruitutis iugo liberari, non est hoc intelligendum de libertate Lutherana, quam Euangelicam ipsi vocant: sed nequaquam Euangelica est, sed Satânica est, carnalis, & quouis nomine honestatis indigna. Neque enim ad hanc libertatem vocati aut liberati sumus, vt quicquid libet liceat, vt nullæ legi obnoxij simus, vt nemini, imo ne Deo seruiamus, quamuis Lutheranos putem non negare seruitutem debere Deo, licet ea, in quibus seruendum est Deo, destruant & explodant. Non sumus o filij ad hanc immundissimam pessimamque libertatem, hoc est ad malè agendi licentiam vocati, sed in hanc sumus libertatem spiritus vocati, vt non ex metu quæ legis sunt faciamus, nec coacti & inuiti, sed vltro volentes ea, quæ lex iubet, iam spiritu diligamus ea, quæ iubentur, vt nulla esset etiam lex suapte voluntate bona ac deuota, ea, quæ lex dicit, amaremus. Non ergo ita sumus liberati, vt nulla sub lege simus, sed vt nulla lex sit nobis necessaria, quæ inuitos cogat aut compellat: quod quidem, quod lex dicit faciendum, nos facimus vltro, non impulsim per legem, sed inuitati per gratiam. Vbi autem id ipsum sit, vltroque sit, quod lex iubet, iam non est dicendus per legem cogi, qui sponte sua legem facit, liber viuens: non quasi nullam habens legem, sed quod per nullam est coactus legem. Nemo enim cogi, aut compelli dicitur, nisi inuitus. Quum autem inuitus non sit, quomodo dicendus est compelli sub lege, aut lege? Quare potius legem dicamus ei, quomodo Paulus iusto dicit non esse positam, quia (vt sæpius dixi) legem non inuitus tamen propter legem sibi impositam facit. Quapropter, vt huius iubilei priuilegia obtineamus, curandum nobis est huiusmodi nos inueniri, quibus possint hæ libertates atque immunitates iubilei dignè communicari. Veniamus igitur ante Dominum oportet immunes ac anxij ab omni peccato. Quod hanc quaquam nobis est possibile, nisi per penitentiam id fiat, qua damnamus puniamusque in nobis omne peccatum. Cùm itaque nobis penitentia iam ex tempore hoc statuto sit facienda, non hoc tantam nobis faciendum, vt plangamus castigemusque in nobis peccata præterita, sed vt muniamus nos quoque contra futura. Quæ autem municio, quæ ve armatura validior, aut quod præsidium maius contra omnia vitia, contra tentamenta quæcunque, & contra quaslibet diaboli insidias, quam passio Christi deuotè meditata seu deuotè inuocata? Ne igitur viribus nostris deficiamus, muniri debemus armis Christi, id est, eius virtutibus & exemplis. Proinde enim nobis dicitur: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armati.*

Apoc. 1.  
Ioan. 1.

III.

Roma. 5.  
August.

Libertas Lutheranicum quæ sit.

Libertati vere quæ necessitant.

1. Tim. 1.

1. Pet. 4.

Et sic  
vni  
fra no  
Christi  
Tota  
pax oc  
fraudis  
perpor  
aliqui  
erimus  
etiam a  
inrab  
Qui de  
fuit, S  
line pec  
xerunt  
aliqui  
rum, p  
bis pass  
fecim  
ginus,  
camus,  
inueni  
mus. Sec  
baptis  
sunt no  
quis pe  
omnia  
catis s  
pæccat  
miseri  
porell  
ipsum  
dignati  
plauit.  
Est  
catis s  
quæ po  
tuem  
dignu  
consili  
peccat  
satur  
in pecc  
mas igit

Recogitate eum, qui contradi-  
 ctionem sustinuit aduersus se-  
 metipsum, ut non fatige-  
 ret animis vestris. Absque enim confortatione superna ac diuina arma no-  
 stra nobis sunt magis fatigationes, quam praesidia. In sola autem passione  
 Christi certa nobis promittitur victoria. Quapropter Origenes dixit:  
 Tanta est virtus passionis Christi, ut si in corde continuè teneatur, & <sup>Passionis</sup>  
 pro oculis habeatur, nulla libido superare possit, aut nequitia diabolica <sup>Christi vir-</sup>  
 fraudis. Iustè igitur, ac meritò sit, quod hodie nobis Dominicae passionis <sup>tus quanta</sup>  
 praepositur memoria, qua confortemur, ne intolerabile nobis videatur <sup>fit.</sup>  
 aliquid pro peccatis nostris pati. Iustissimum autem est nos pro delictis  
 nostris etiam non nihil nos affligere ac pati. Quomodo enim alias socij  
 erimus gloriae, si non fuerimus socij passionum Christi. Ut interim hoc  
 etiam addamus, si etiam nostra nos non excluderent peccata, quomodo  
 intrabimus aliter regnum caelorum, nisi ea via qua intrauit Christus?  
 Qui de seipso dicit: *Nonne haec oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam* <sup>Lucæ 24.</sup>  
*sciam*, Super quo verbo beatus dicit Gregorius: Si sine flagello non exiit qui <sup>Gregor.</sup>  
 sine peccato venit, quomodo flagello digni non erunt, qui in peccato vi-  
 xerunt? Fallit enim multos stulta praesumptio, qui absque poenitentia,  
 absque dolore cordis de peccatis suis, putant se introituros regnum caelo-  
 rum, propterea quod misericors sit Dominus, & ut nos saluaret, pro no-  
 bis passus sit. Est reuera misericors Dominus, sed poenitentibus: & hoc pre-  
 ferim tempore, quam diu viuimus. Quare si eius misericordiam negli-  
 gemus, si resistimus gratiae, si super eius hac misericordia confidentes pec-  
 camus, iustissimè nobis irascetur, & post hanc vitam implacabilem eum  
 inueniemus. Est certè pro nobis passus, & pro peccatis nostris, & nos rede-  
 mit. Sed hac huius liberatione semel vti sumus, dum eiusdem passionis in  
 baptismo facti participes, eidem sumus incorporati. Tunc enim omnia  
 sunt nobis peccata ablata penitus, etiam si vniuersorum hominum solus  
 quis peccata habuisset, & adultus, aut senex ad baptismum veniret, gratis  
 omnia ei in baptismo donantur, & Christus qui pro omnibus eius pec-  
 catis satisfecit, ab omnibus etiam liberat & innoxium facit, ut liberè ei  
 pateat regnum caelorum. Sed non ita donat, ut postea liceat ei super hac  
 misericordia peccare, ac spiritui gratiae contumeliam facere. Sed quia non  
 potest, si iterum peccauerit, iterari baptismus, nisi poeniteat, & nisi se-  
 ipsum afflixerit, aut in corde per contritionem, aut in corpore per ca-  
 stigationem, luet ea peccata post mortem, quicquid in vita, hic non ex-  
 ptauit.

Hebr. 10.

vii passio  
 Christi pro  
 omnibus pec-  
 catis satis-  
 fecit.

Eccl. 5.

Hebr. 12.

Est quoque indubitatum passionem Christi pro singulis & vniuersis pec-  
 catis satisfacere. Sed tantum de hac satisfactione participabis circa peccata,  
 quae post baptismum patraisti, quantum passionis Christi tibi applicas vir-  
 tutem & meritum, quantum ve in operibus poenitentiae & misericordiae te  
 dignum exhibes, ut tibi Christi virtus ac meritum applicetur. Audi igitur  
 consilium Sapientis: *De propitiati peccatorum noli esse sine metu, neque adicias*  
*peccatum supra peccatum, & ne dicas. Misericordia Domini magna est, multitudinis pec-*  
*ccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo cito approximant, &*  
*in peccatores respicit ira illius.* Altissimus est enim patiens & redditor. *Aspice*  
*igitur in autorem fidei, qui praecursor pro nobis hinc iuit ad passionem, re-*  
*lin-*

1. Pet. 2.  
Bernard.  
Matth. 27.  
Luca 22.  
Luca 6.  
Matth. 3.  
Luca 3.  
Psalm. 118.  
Exod. 5.  
Hebr. 8.  
Matth. 17.  
Iob. 7.  
Luca 9.  
Peroratio.  
1. Tim. 6.  
Psalm. 45.  
Psalm. 54.  
1. Para. 6.  
Psalm. 6.  
Thecn. 3.  
Psalm. 46.
- inquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Bonus, inquit Bernardus miles sua vulnera non sentit, dum regis vulnera intuetur. Non sit igitur durum nobis ieiunare, videntes Christum regem nostrum pro nobis ieiunantem, & inter extrema vita, dum sui nimia torqueretur, nihil nisi acetum & fel gustantem. Nec sit graue à lætitia nobis leuitateq; ac risu continere, si Christum cernimus tristem, pauidum, anxium ac sudore sanguineo madidum. Si præterea orare tædet, vide illum in sanguineo sudore prope orantem. Vide eum aliquando in oratione propter te pernoctantem. Si auaritia tibi dissuadet elemosynâ dare, vide quis dederit tibi omnia quæ habes. Et vnde tu habes vt possis dare elemosynam? Numquid non iustum est, vt pro illius amore panem aut nummum tribuas, qui tibi in cibo potuq; dedit abundantiam? Reddes ne Christo pauperi frigenti aut esurienti, vnde vestiatur, qui diuitias non solum ad necessitatem tibi dedit, sed & ad superfluitatem? Num tibi, vt tu solus habeas, qui solus non viuus, hæc dedit? Intellige quia duntaxat dispensatorem te super his constituit, de quibus tibi nihil plus pertinet quam egeno, nisi vt esum habeas ad necessitatem, reliqua sunt Domini tui ad vsum pauperum suorum. Erubescis ne igitur quod mendico, infirmo, aut egeno opem negas, qui ad Christum quouidie pro cibo, pro potu, pro sanitate, pro salute, & pro omnibus tibi necessarijs orando clamas? Facito igitur dignos fructus penitentia, qui vt digni Deoq; beant accepti, respice vitam ac passionem Christi, tanquam penitentia tua exemplar. Dirige gressus tuos iuxta vitam illius. Scitum est quod Moysi est dictum: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Verum quod hic aliud puras exemplar, nisi Dominum nostrum Iesum Christum, qui tam videndo quam patiēdo nobis exemplar, & pro nobis moriendo redemptio factus est. Postremo, non est tacendum quod piissimus Dominus passionis suæ historiam summatim prædicens, omnes suos Apostolos conuocauit. Porro in transfiguratione non omnes vocauit, innuens, omnes nos vocatos inuitari ad passionem. (Est enim hæc vita præsens vita tristitia, laboris, tribulationum & calamitatum) non autem vocari omnes ad contemplationis dulcedinem. Omnibus enim nobis dicit: *Si quis vult post me venire abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ea namque, quæ ad salutem sunt omnibus necessaria, omnibus quoque sunt prædicanda. Ea vero quæ paucis perfectis ac raris contingunt, his tantum, quibus prodesse possunt, sunt reuelanda. Nos igitur fratres & filij charissimi, cum cæco quoque hodie, quæ Dominus in itinere curauit, importuno clamore cordis ad Dominum oremus, vt nobis lumen fidei præbeat. Lumen scilicet nostræ cognitionis, quo nos vilipendamus & ab omnibus vilipendi, quantum in nobis est, optemus. Videamus præsentia omnia caduca esse & misera, vnitibus de hoc mundo diligamus. Quicquid enim in mundo est, certissimum nobis sit, nos hoc fallere & seducere. *Nolite ergo sperare in incerto diuitiarum. Nolite considerare in principibus & filijs hominum in quibus non est salus.* Nolite sperare in arcu, aut fortitudine vestra, quia gladius vester non saluabit vos. Sed sperate in Domino Deo vestro. Iste sit vobis turris fortitudinis à facie inimici. Iste refugium à facie tribulantis, quia bonus est Dominus sperantibus in illum, & beneplacitum est ei super timentes eum, & in eis qui sperant

DOMINICA I. QVADRAGESIMAE.

187

rant super misericordia eius, quam nobis semper presentem faciat adesse in vita & morte benedictus Dei & Virginis Filius Iesus Christus Dominus noster, Amen.

E. VI  
21

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE,  
Epistola B. Pauli Apostoli, II. Corinth. VI.

**H**ortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Aut enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma iustitiae à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Ut seductores & veraces, sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes, & ecce viuimus: ut castigati, & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egeni, multos autem locupletantes. Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

Esaiæ 49.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**N**on iniuria hac Dominica legitur Epistola hæc, quandoquidem hoc tempore poenitentiae instimus operibus, ad quæ maximè egemus gratia Dei, quo non solum hoc fructuose expendatur tempus: verum quicquid alio etiam tempore negleximus, modo recuperetur. Ait itaque Apostolus: Hortamur vos ne vel in baptismo, vel in poenitentiae Sacramento, aliove modo Dei gratiam in vacuum, ociose, absque fructu & sine incremento iustitiae recipiatis. In vacuum enim Dei gratiam recipit, quisquis cum gratia Dei non collaborat, aut qui gratia Dei recepta non vititur, ad quod data est, aut ex illa non fit melior. Ait enim per Esaiam Dominus: Tempore accepto, id est, opportuno & saluti congruo exaudiui te, dans quæcunque salubriter postulasti: & in die salutis, hoc est, tempore gratiae adiuui te. Quam obrem excusare nemo se potest sibi defuisse gratiam aut auxilium Dei, quæ Deus vltro omnibus offert tempore hoc gratiæ. Ecce autem nunc est tempus illud, de quo Esaias loquitur, acceptabile, ecce nunc dies salutis, quibus gratiam Dei negligere haud oportet, sed prospicere, ut nemini dantes ullam offensionem scandali aut iniuriarum, quæ charitati repugnarent, ut non vituperetur, aut minus fructificet tam prædicationis nostræ, quam obedientiæ vestræ ministerium. Sed hoc magis curæ nobis sit, ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, non similitudine, sed veritate, ne vita nostra discorde à prædicatione & professione nostra Euangelica. Iuxta quam nemini offendiculum ponere nos decet aut scandalum: quin potius quæ pacis sunt, sectari ad omnes, & quæ ædificationis sunt, alteru-

Gratiam Dei in vacuum recipere quid.

Esaiæ 49.

Rom. 14.

trum ostendere in patientia multa, id est, perfecta ac abundante, qua constantes ac fortes perseueremus in tribulationibus, quæ nemini non occurrunt ambulanti viam ad regnum cælorum, in necessitatibus seu indigentibus, in angustijs seu pressuris, quibus hic in anima & corpore dubij & defolati sumus, ignorantes quid agere, aut quid eligere nos oporteat. In plagis seu verberibus, & in carceribus, quæ nobis occurrunt sustinenda. In seditionibus quoque, vbi populi commoti contra nos insurgunt & sauiunt. In laboribus denique, quibus pro nostri corporis sustentatione operari, aut vbi impijs resistentibus pro Dei honore certare ac laborare cogimur. Et postremo in vigilijs quibus extenuamur nocte pro cibo operantes, vt interdum Dei meminimus verbum: aut nocte in oratione constituti, die insistamus prædicationibus & ieiunijs. In quibus omnibus patientia longanimitasque nobis seruanda est, sed non in his tantum, sed in pluribus quoque alijs proximis nostris nos ædificare oportet, puta in castitate, in scientia eorum quæ ad salutem pertinent. In longanimitate tristitia præsentia tolerando, & futura nobis promissa bona perseueranter expectando. In suauitate qua proximis nostris nos exhibeamus mites, non asperos, blandosque ac suaves, non amaros. Denique, in Spiritu sancto, iuxta cuius instinctum & beneplacitum omnia hæc faciamus. In charitate non ficta aut simulata, sed sincera & vera proximis ædificemus. Neque enim diligere nos tantum sufficit verbo & lingua, sed opere & veritate. Demum ædificare proximis nos oportet in verbo veritatis, nihil sophisticantes, sed puram explicantes veritatem, & in virtute Dei quo nihil nostris aut viribus, aut meritis, sed totum gratis tribuamus Dei. Quocirca exhibeamus nos Dei ministros oportet per arma iustitiæ, quibus regnum debellemus peccati, quibusque tentamenta vincamus diaboli, à dextris & sinistris contra nos insurgentia, hoc est, tam in prosperis, quam in aduersis, armis nos vti iustitiæ necesse est, quando quidem alijs & alijs modis vtrobiusque impugnamur. Oportet enim nos (quod Dei ministros decet) ambulare in virtutum medio per gloriam & ignobilitatem & vtriusque tentamenta periculaque, quæ occurrere nobis solent, vt sine laudemur siue vituperemur, contemnere. Ambulare, inquam, nos conuenit sincerè & integrè per infamiam & bonam famam, in neutro à Christo, aut à rectitudine iustitiæ deuiantes. Imò vt seductores ab alijs vocati, ab alijs verò veraces: à plebe quoque existimati aliquando vt ignoti, seu reprobi ac abiecti à Deo, aliquando verò vt cogniti, & Deo dilecti. Inter quæ vtrobiusque nobis sine offensione est ambulandum. Quasi enim morientes sumus inter quotidiana pericula, quibus mors, vel per malos homines nos trucidare molientes, vel aliunde nobis continuè insidiatur, & ecce Deo nos protegente viuimus. Vt castigati à Deo, atque per eius disciplinam, quam nobis assiduè imponit, humiliati & non mortificati, hoc est, non prorsus occisi aut consumpti. Quasi sumus tristes (vt ab alijs iudicamur) propter arumnas & persecutiones, quas patimur, semper autem gaudentes, vtpote interna Spiritus sancti consolatione roborati. Est enim gaudium & consolatio sanctis Dei in tribulationibus, maxime quas pro Dei sustinent amore. Idè de Apostolis scribitur: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Nouissimè

a Ioan. 3.

Acto. 5.

simè in hoc mundo (quod decet Christi ministros) viuimus, ac viuere debemus sicut egentes, multos autem locupletantes. Viuimus, inquam, vt hi quibus multa defunt, quibusque deficiunt multa, tamen quamuis nihil in hoc mundo videamur habere, spiritualibus tamen diuitijs complures locupletamur. Tunc autem vel diuitias terrenas habentes sumus egentes, si diuitias non amamus, si spiritu pauperes humilesque viuimus, & alios multos beneficijs ac elemosynis nostris locupletamus. Tunc, inquam, sumus quoque nihil habentes, quando cuncta Christi amore relinquimus omnia tamen interim, quia nihil appetimus, possidentes. Nemo enim verius omnia possidet quam qui nihil habere concupiscit.

EXEGESIS EVANGELII DOMINI  
ca I. Quadragesima, Matthæi IIII.

**A**CTIO Christi omnis, nobis instructio exemplumque est viuendi. Coepit enim Iesus facere & docere: nec separatim facere & separatim docere, sed faciendo etiam docere. Opera enim Christi omnia erudunt. Nihil quoque Dominus propter se, sed propter nos omnia fecit. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, vt & vos ita faciatis*. Itaque quomodo propter nos est natus, ita propter nos baptizatus est, abstiniuit & est tentatus. Verum cum nobis modo abstinentia ieiuniorum sit obseruanda, quam diabolus impugnat impedireque nititur, quibus potest fraudibus: & hoc vel propterea, quod timet per eandem nos recedere ab eius seruitute, vt exemplum habeamus in Christo, quomodo diabolo debeamus resistere, & non armis nostris, sed Christi virtute pugnemus, hodiè proponitur nobis Euangelium de tentatione Christi in hunc modum:

Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Luc 4.

Ductus hic refertur Iesus à spiritu in desertum. Non dubium esse cuiquam debet Spiritum intelligi sanctum, cuius impulsu admonitus, homo Christus ierit in desertum, vt tentaretur à diabolo. Non illum aggredi fuisset ausus hostis antiquus & tentare, nisi illum prouocasset Iesus. Aduertit enim Dominus, quod se tentare diabolus cuperet, propterea quod de Christi diuinitate dubitaret: idè se illi tentandum exposuit suapte voluntate, quomodo occidendum diaboli se membris vltro exhibuit. Eam ob rem in desertum abiit, viuens in solitudine & abstinentia. Quod viuendi genus valde infestum nouit diabolo. Muebatur autem homo Christus, seu Christi humanitas à spiritu sancto, sicut instrumentum seu organum Spiritus sancti atque beatissime Trinitatis. Quare etiam Christus muebatur à seipso, puta à Deo. Intrauit itaque desertum, vt viuendi hoc genus, id est, eremiticam vitam commendaret, & locum pœnitentiæ deuotionisq; exercendæ ac obrinendæ perfectioni, ostèderet esse maximè congruum. Est enim triplex viuendi genus, quo seruatur Deo. Est vita actiua, que operibus virtutum, operibus misericordiæ ac charitatis circa proximum, & mortificandis crassioribus vitijs insudat. Vita triplex  
1.  
Manusmodi multi fuere sancti, qui in xenodochijs, aut in proprijs domi-

Z 4. bus

E. VI  
21

bus ministerio infirmorum, suscepcioni hospitem, visitandis infirmis & captiuis, regimini & eruditioni populorum audientia quæ confessionum intendunt, ad hoc instituentem suam vitam, ut proximos aut corporalibus auxilijs, aut consolationibus eruditionibusque spiritualibus Dei intuitu rescerent. Huiusmodi fuit Gallicanus, Elisabeth, Heluigis, Radegunda, & alij penè innumeri. Est alia vita contemplatiua, cui secretus est locus magis congruus. Gaudet enim sui abstractione, solitudine & silentio. Vacat lectioni, orationi, meditationi & contemplationi. Absque necessitate parum circa proximum occupatur, Deo precipue intendens. Habet tamen ab initio pro domatione corporis sui abstinentijs & afflictionibus uti. Ad hanc influitura est vita eremitica. Tertia est vita afflictiua, in qua Dei seruus exercetur ægritudinibus, incommodis calamitatibusque & doloribus. Huic maxime omnium est necessaria patientia. Triplicem hanc vitam Christus exercens docuit. Nam dum sub matris cura vixit subditus illi, monasticam siue actiuam docuit vitam, vbi quis sub aliena obedientia, puta prælati, confessoris aut pastoris sui viuit, illius directioni obediens propter Deum. Eremiticam duxit, quando quadraginta diebus & noctibus solus desertum incolens, à cibo abstinuit orationibusque vacauit. Postremò, in passionibus, imò in omni vita sua afflictione non caruit. Vide præterea, quomodo non quoque ratione temporis instituit, quo desertum petijt. Nam mox ut baptizatus erat, ad desertum profectus est, solus vixit, solus abstinuit, solusque tentationes vicit. Deinde quod facta hæc sunt antequam prædicaret per mundum Euangelium, ostendens prædicatorem haud tuto prædicationis onus assumere, aut certè inutiliter, qui ante in exercitijs spiritualibus, qui in tentationibus & castigationibus proprijs non fuerit quasi in deserto, in solitudine probatus, ideo de se Apostolus dicit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Voluit præterea insinuare, ab initio conuersionis exercitia pœnitentiæ assumenda. Tunc enim fortius quoque diabolus nouiter conuersum tentat & insequitur, illum ad se, in suamque seruitutem ac captiuitatem reducere moliens. Quocirca nouiter conuersis optima sunt conuersionis initia fundamentaque locanda. Primo, ut occasiones fugiantur deferanturque peccatorum, deinde in Dei timore viuendum, & contra diaboli insidias semper vigilandum. Ad quæ hortatur Sapiens: *Accedens, inquit, fili ad seruitutem Dei, sta in timore Dei, & prepara te ad tentationem.* Deinde Petrus quoque nos cohortatur, dicens: *Fratres, vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui fortes resistite in fide.* Tertio, ut tentamenta possint diaboli superari, insistendum est carnis castigationi, ieiunijs, & orationibus. Est enim quoddam genus dæmoniorum, quod teste Saluatore, aliter non vincitur, quam in ieiunio & oratione. Itaque carni subtrahendæ sunt voluptates, delicia, ocia, leuitates, societates nialæ, noxiaque colloquia, ut carnis quoque petulantia infirmetur. Dicit fortasse quispiam: Quare Christus non potius vitam pœnitentiæ & afflictiuam coram hominibus exhibuit ad nostram ædificationem, cum ipse nobis dicit: *Videam homines opera bona vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in caelis est?* Dicendum, quod in omnibus nobis melius sapientiusque prouidit, quam

Lucæ 2.

Matth. 4.  
Marc. 1.  
Lucæ 4.

Matth. 4.

1. Cor. 9.

Fundamenta  
nouiter con-  
uersis locan-  
da quæ.  
Eccl. 2.

1. Pet. 5.

Matth. 17.  
Marc. 9.

Matth. 5.

quam ipsi intelligere possumus. Intrauit desertum, vt nobis ostenderet loca peccantium, delinquendi que occasiones fugiendas ac deserendas, & vt doceret malam societatem cauendam, in amoenitatibus penitentiae adhibendam. Nam vt ostenderet in penitentia non delicias, non consolationes querendas, ided in desertum, vbi nulla solatia inueniuntur, abiit.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt.

Infra virtutem est humanam tanto temporis spacio sine cibo viuere. Quapropter neque Helias, neque Moses sua id virtute sed diuina adiutus potuit. In Christo tamen, vt Augustinus ad Dioscorum in epistola dicit, mirabilis fuit quod esurijt, quam quod non comedit, vt potè in cuius anima tanta fuit beatitudo, vt ex ipsius redundantia corpus eius fuisset ab omni passione & latione (nisi suspensa hæc fuisset redundantia in corpus) præseruatum. Esurijt igitur quia ita voluit, nec existimandum est leuiter illum esurijisse, sed cum grandi afflictione, quia famem, famisque huius cruciatum assumpsit propter nos, & in remedium cibi vetiti contra Dei præceptum sumpti. Itaque diabolus ieiunantem Dominum videns, non potuit omnino sentire illum Filium Dei, quia Heliam & Mosen non ignorabat totidem diebus abstinere cibo fuisse, licet longè aliter ieiunarent illi, quam Christus. Illi enim adiuui aliena virtute, puta diuina, abstinabant cibo. Christus abstinbat cibo virtute propria. Posteaquam verò esurijt, hominem suspicatur Christum diabolus.

Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

Verisimile est (vt quidam purant) non in specie qua se cognosci posse suspicabatur, diabolus apparuisse, sed in specie humana quo callidius falleret, puta cuiusdam deuoti viri aut eremitæ, nec ita ex abrupto aut incompositè hunc sermonem exorsum diabolus: sed alijs sermonibus & occasionibus quæstis ad hæc venisse verba, Si Filius Dei es, &c. Nihil etiam miretur, quod tentari se patiatur Dominus. Voluit enim idcirco Dominus tentari, vt formam nos doceret resistendi. Deindè, vt culpam quam Adam in humanum genus induxerat tentatus & victus, excluderet, iterumque deleter tentatus victor. Tertio in nostram voluit fore consolationem, vt tentaretur, ne propterea desperaremus si venerit super nos tentatio, quandoquidem Iacobus ait: *Omne gaudium exstimat e fratres mei, dum in tentationes varias incidistis. Neque enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.* Sciendum tamen, omnem Christi tentationem foris fuisse, non intus, quia cum fomitem in se nullum originalis haberet peccati, non potuit intrare in illum, vnde tentaretur intus. Nō igitur desperes si in tentationes incidis, sed ora Deum, vt tibi det fortitudinem superandi. Propterea enim (quod quarto erat loco dicendum) tentari voluit, vt sua virtute resistendi tibi prodesset, hoc est, vt nullius virtute resisteres, illius victoria superares. De quo Gregorius Magnus: Non erat indignum redemptori nostro quod tentari voluit, qui ven-

Math. 4.

1. Reg. 19.

Exod. 24.

Augustin.

Gen. 3.

1. Reg. 19.

Exod. 24.

Tentari cur

voluerit Do-

minus.

I.

Eph. 2.

II.

Iacob. 1.

Hebr. 4.

III.

Gregor.

AA nerat

E. VI  
21

nerat & occidi, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sic mortem nostram sua morte superauit. Si Filius, inquit, Dei es, dic, id est, iube propria autoritate, vt lapides isti panes fiant. Intentio diaboli precipue hæc fuit, Christum inducere in aliquod peccatum, & percipere aliquid ex eo, quod ignorabat. Magna est autem quorundam concertatio, verum diabolus ignorauerit Christum esse Christum, an ignorauerit Dei Filium. Certum est si loquamur de Dei Filio, quomodo Iudæorum multi putabant, vt Dei Filius dicatur, non qui natura sit Dei Filius de Deo genitus & ipsæ Deus (hoc enim modo putabant non fore possibile vt diuinitas vniretur humanitati) sed vt sit Dei Filius ex gratia, qui per in habitationem Dei excellentem, Deo sit singulari adoptione coniunctus, vnde dici potuerit Filius Dei. Hoc modo diabolus non ignorare potuit Filium Dei. Vtrum autem sciuerit verè esse Christum, aut verum Dei Filium, doctioribus relinquo, & cum Augustino in libro de Ciuitate Dei dico, dæmonibus Christus innotuit, quantum voluit. Tantum autem voluit, quantum oportuit.

August.

Deut. 8.

Qui respondens dixit: Scriptum est. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Mansuetè, ac humiliter diabolo Iesus respondit, scriptum est: Non in solo pane, scilicet corporali, viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Non corporali dumtaxat alimonia indiget homo, vt subsistat, sed viuit etiam homo interior verbo sacre scripturæ & Dei inspiratione, quibus confortetur, vt bene feliciterque viuat. Cum enim ex vtroque constitutus homo, anima scilicet & corpore, non minus anima, quæ nobilior est, indiget sustentaturque cibo, quo feliciter ac benè viuat, quam corpus. Multæ enim sunt sacre scripturæ virtutes, seu effectus boni. De qua Psalmista declaratio, inquit, *sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat paruulo.* Item: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Item: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.* Item: *eloquium tuum viuifi- auit me.* Item: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Itaque verbum Dei illuminat, ad fidem perducit, quia viuificat, charitate accendit, consolatur & confortat. Obserua quoque quod Christus non potestate voluit dæmonem vincere, sed humilitate, respondens ei per scripturam, non vi coercens. Voluit autem in hoc nos docere, vt quoties à prauis aliquid hominibus patimur, ad doctrinam perducamur, quam ad vindictam.

De salm. 118.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & stetit eum super pinnaculum templi, & dicit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.

Morem suum obseruat diabolus, etiam in processu & ordine tentationum. Primo enim à leuioribus perfectos viros tentat, quod hæc facilius negligantur, aut paruipendantur. Quæ tamen si homo neglexerit, Deo esse ingratum faciens hosti subiecerit maligno, ad maiora contra eum proce- dit inimicus, fortior iam ex victoria factus. Assumpsit eum diabolus. Quo modo Christum assumpserit, variat multorum opinio. Quidam enim Iudæorum putant diabolum ita assumpsisse Christum, vt quasi fatigatum respice-  
nio per-  
volare  
supra  
si per  
occidit  
lumen  
Assump-  
cum an-  
Iesus as-  
Duxisse  
sustentat  
& com-  
supra p-  
cens, it-  
in temp-  
macula  
tur Do-  
riam. I-  
Scr-  
in r-  
dem t-  
Scrip-  
solam  
non re-  
porten-  
Patab-  
enim h-  
scrip-  
Luthe-  
peuris,  
uerio-  
nem h-  
diaboli  
precip-  
copiar-  
nouit.  
Ai-  
num  
Ten-  
aut ne-  
Deo.  
Deum  
cuius-  
um. V-  
locum

F. VI  
21

nio per aera portauerit, vt simul faceret Christum inaniter gloriari, si vel volare vel portari à turba videretur. Et iuxta hunc intellectum, ne quis hoc supreat, Christum scilicet portari à diabolo, dicit Gregorius: Quid mirum, si permisit se à diabolo in montem duci, qui se permisit ab illius membris occidi? Aliorum est opinio, quod assumpserit eum secum per terram ambulatorem. Iuxta quem modum intelligitur, quod de Christo scribitur alibi: Assumpsit Petrum, Iacobum & Ioannem: non quod portaret eos, sed quod secum ambulantes seorsum abduceret. Ita hic quoque fieri potuit, vt humilis Iesus ambularet cum diabolo in sanctam ciuitatem, scilicet Hierusalem. Duxisse quoque Dominum Iesum diabolus putandus est, non vi, sed persuasionibus humanis, quibus admonebat Christum accedere ad homines, & comedere, aut opus aliud, quod appareret bonum, facere. Et statuit eum supra pinnaculum templi, hoc est, deposuit, si illum portauit, aut illuc ducens, ibi eum constituit. Vult autem dicere locum quandam eminentiorem in templo, vbi erat ambulatorium, & sedes doctorum, quæ non erat pinnaculum, sed in pinnaculo, hoc est, in fastigio muri ædificatum. Illuc igitur Dominum statuit, volens eum ex loco quoque tentare ad vanam gloriam. Et idem ait: Si Filius Dei es, mitte te deorsum.

Gregor.

Math. 17.

Scriptum est enim: Quia Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.

Psal. 90.

Scriptum est, inquit, de te in Psalmo: Quia Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Diabolus, qui semper mendax est, scripturam non rectè citat. De Filio Dei enim nusquam intelligitur, quod Angeli eum portent, aut custodiant, quin potius Dei Filius portat & custodit Angelos. Putabat enim Dominum inani gloria mouendum, vt ita faceret. Scriptura enim hæc de viro iusto intelligitur. Itaque hoc modo vtiur testimonijs scripturarum diabolus, non vt doceat, sed vt fallat. Non igitur glorientur Lutherani, quod scripturis vtantur, cum diabolus quoque vti sciat scripturis, sed perperam, & non in vero catholico sensu, sed ad animarum subuersionem, quomodo illos ab eodem id didicisse perspicuum est cum ad fidem his quoque similem vtantur. Mitte te deorsum. Hieronymus: Vox est diaboli, qui semper homines deorsum cadere desiderat. Persuadere potest, precipitare non potest. Et Ambrosius: Accepit tentandi licentiam, sed non copiam subruendi, nisi sua spontè labatur infirmus animus, qui sibi non nouit auxilium accersire.

Psalm. 90.

Ioan. 2.

Lutherani  
qua inuentio-  
ne vtantur  
scripturis ve-  
ritatis.  
Hieron.  
Ambro.

Ait illi Iesus rursus: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Tentare Deum dicitur, qui diuino se auxilio committit absque vtilitate, aut necessitate, vbi adest humanum, intendens experimentum sumere de Deo. Vbi ergo hæc intentio adest sic mouens, dicitur quis explicitè tentare Deum. Si verò non adest intentio tentandi Deum, opus tamen facit, quod eiusmodi circumstantijs est circumdatum, dicitur interpretatiuè tentare Deum. Vel ita: Primo modo tentat Deum ex animo, seu ex intentione quis, secundo modo ex facto. Contingit nihilominus Deum tentari alijs modis,

Tentare Deum quid sit.



Exod. 17.  
Num. 20.  
Psal. 77.  
Iudith 8.

puta experimentum quarendo ac dubitando de Dei omnipotentia, aut sapientia, aut providentia. Sicut fecerunt filij Israel, dicentes: *Est ne Deus in nobis, an non?* Item: *Nunquid de hac petra possumus aquam eijcere?* Item: *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Et Iudith: *Qui vos estis qui tentatis Dominum?* *Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrio vestro diem constitulistis ei.* Hæc itaque omnia vitanda sunt, quando homo interim habet, quod faciat, à quo se iuuet humano modo.

Deut. 6.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Tunc dicit ei Iesus: *Vade Satana.* Scriptum est enim: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.*

Assumpsit eum diabolus, aut portando, aut docendo, vt de auaritia & ambitione tentaret: & duxit eum in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, dicens: *Ibi est Asia, ibi Græcia, ibi Roma, ibi Alexandria, &c.* Deindè & gloriam eorum, hoc est, fertilitatem, diuitias ac bona, quibus regio quæuis præmineret, Christo exposuit. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Pompa hæc est vetus dæmoni solita, qua cupit timeri, adorari, coli & dominari. Petit autem adorari adoratione latriæ, tanquam Deus. Tunc dicit ei Iesus: *Vade Satana, puta in abyssum, aut in ignem æternum.* Scriptum est enim: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.*

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Rectè Iesum reliquit diabolus, sed confusus & victus, de nulla re, qua dubitabat, certior factus. Obserua quod sicut diabolus se celauerat in specie sancti viri, ita Christus hæcenus quoque dissimulauerat se eum agnoscere Satanam: modo verò, vbi de se loquitur adorando, Christus ostendit se illum, eiusque studia agnoscere. Et ecce Angeli accesserunt, qui ad tempus recesserant, vt locum darent diabolo illum tentandi, & ministrabant ei, sic vt serui Domino suo. Glorificemus Dominum nostrum Iesum Christum filij charissimi, & gratias agamus illi, qui tanta pro nobis dignatus est subire, vt nos instrueret, consolaretur, ac iuaret, rogemusque eum, vt in nulla sit tentatione nostræ in memor infirmitatis, sed nos confortet, seruet, nobisque tribuat fortitudinem superandi diaboli, carnis & mundi omnia tentamenta ad gloriam suam, qui est benedictus in secula, Amen.

#### SERMO IN EADEM DOMINICA.

*De tentatione seruatorum Dei, & fructu ieiunij.*

**E**T cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt, Matth. III. In hac Dominica prima, postquam penitentiam assumptas carnes nostras cepimus castigare, prælegitur nobis Euangelium nos erudiens, quo possumus modo, quo ve exemplo contra fraudes hostis

hostis maligni, insidiasque dimicare. Quamdiu enim seruius diabolo, quid tentatio sit, interim nescimus, imo quid vitium sit, aut peccatum, utpote in tenebris adhuc constituti, ignoramus, quia tentationem non expectantes, ipsa mala voluntate nostra diaboli voluntatem praeuenimus. Verum, postquam ab eodem recedimus, insequitur nos, tentat nos, & reuocare nititur ad eadem vitia, in quibus aliquando illi seruiuimus. Contingit enim nobis non dissimiliter, quam filijs Israel, qui Pharaoni seruietes, dum à Domino per Mosen & Aaron vocarentur, ut sibi sacrificarent, & eam ob rem recedentes à terra, in qua habitabant sub seruitute Pharaonis, via trium dierum in desertum: Pharaon cum diu eos nollet, ut abirent, dimittere, tot tandem à Domino plagis est percussus, ut ultro à se dimitteret. Veruntamen mox penitens insequitur eos ad reuocandum, sed id frustra, quandoquidem ipse & vniuersus eius exercitus perijt, filij autem Israel salui euaserunt. Hoc modo eos quoque diabolus persequitur, qui suum iugum excusserunt, atque reducere sub suum imperium contendit. Ne autem propterea terrii desperemus, aut victos nos tradamus nimirum formidantes, rememoranda nobis est Christi tentatio, qui à diabolo tentatus est, tamen si nihil in eo haberet diabolus, per quod intus eum moueret, siue incitaret. Nihil, inquam, in Christo habuit, quia Christus nunquam peccauit, nunquam Christus succubuit alicui vitio, quanto minus nunquam seruiuit diabolo? Veruntamen, vbi Christus austeriore penitentiae vitam assumpsit, diabolus quoque ad tentandum illum sese accinxit. Nemo igitur ex sua tentatione pusillanimis fiat, quandoquidem propter consolationem nostram à diabolo se tentari sua sponte Christus sustinuit. Sunt autem tres tentationes Christo propositae, quarum prima fuit ad gulam. Pari modo nobiscum facit diabolus. Primum enim quos tentat, ad carnalia, corporaliaque eos nititur vitia reuocare: in quibus si quod machinatur, obtinuerit, mox ad grauiora tentare vitia pergit. Explorat autem cuiusuis naturam, studium, actionem, exercitum, inclinationem, occupationem, officium, aliasque occasiones quaecunque, ut vbiunque viderit hominem studiosus, aut quasi securius occupari, ibi ponat insidias, & occasiones quærat nocendi. Tentat autem primo ad peccata corporalia, seu carnalia, quae nobis sunt magis familiaria, ad commestrationes scilicet & comotationes, ad familiaritates quoque mulierum, ut sub specie honestatis, aut tentationem gulae, aut illiciti amoris, & paulatim luxuriae introducat: sperans si hac via profecerit, ad maiora per hanc facile sese veterum. At verò si hic nihil potest lucrari, & timor Dei ad omnes ingressus custodes posuerit, qui illum excludant, ad aliam tentationem conuertitur. Nam eos, quos carnalibus non potest vitijs superare, propterea quod sunt erga Deum in deuotione seruentiores, alia tentatione aggrediens, nititur eos praesumptione euertere. Siquidem ultro currentes nititur ad alitudinem impellere perfectionis, idque per indiscretum feruorem: sciens ibi parem exitum futurum, vbi negligentia, & vbi nimietate, indiscretione delinquitur. Suadet itaque feruentibus sui curam abijcere, & in Domini confidere potentia, quasi in eis mirifica sit operaturus opera Deus, quae olim in praesentibus exhibuit sanctis, proinde quomodo in secunda tentatione. Christum tentauit, ut se mittat deorsum: quandoquidem Angelis suis.

AA. 3. suis.

Exod. 5.

Exod. 12.

Exod. 14.

Ioan. 14.

Tentatio  
triplex quae  
I.

Leo papa.

II.  
Praesumptio  
quae mala  
generet.E. VI  
21

Pfal. 90.  
Iudith 6.

Liber viarum  
Dei.

Discretio  
quæ studio  
obseruanda à  
deuotioni  
deditis.

Psalm. 47.

Math. 10.

Esaia 61.

fuis Deus de eo mandauerit, vt custodiant eum in omnibus vijs suis, ita hic huiusmodi suadet hominibus, vt humana spernant consilia, auxilia abdicent, & Deo soli confidant, qui confidentes in se non derelinquit, quasi Deus miraculo quoque debeat eos seruare, cum totum eorum sit propositum erroneum. Siquidem Deo illa non placet confidentia, quæ subsidium, si ad est humanum, contemnit, & miraculum pro se fieri petit, aut confidit. Hac enim non est confidentia, sed temeraria præsumptio. Quapropter in libro viarum Dei per Angelum huiusmodi deuotis (vt multi sunt, fueruntque eremita) loquitur in hunc modum Deus: Necessaria vobis est discretio, vt non cito sequamini impetum zeli vestri, qui vos ad altitudinem perfectionis impellit, neque supergrediamini mensuram virtutis vestræ, laboribus immoderatis. Multi in præsumptione spiritus sui ambulantes, vitam suam nimia afflictione extinxerunt, & perierunt in adinventionibus suis. Multi mensuram suam excedentes, humanum intellectum in seipsis subuerterunt, & inuiles facti sunt, & similes iumentis insipientibus. Tu igitur homo dominatorem cæli ne tentes, sicut faciunt, qui sui curam incaute abiciunt, & habent fiduciam, quod mirificetur in eis potentia Domini secundum dies antiquos. Hæc itaque (vt dixi) versutia est diaboli, vt quos carnalibus non potest vincere peccatis propter feruorem multum, molliatur vel nimitate, & indiscretionem vincere. Sunt enim, qui putant in hoc sacrificare se Deo, si donis communibus Dei abieceris, spretisque auxilijs cunctis humanis, siue infirmi, siue fatui, melancholici aut manici fiant, nil hoc iua referre dicunt: imo, si Deo placeat, libenter maniam, insaniamque eligant sustinere: & vt ego addam, stultitiam quoque, inquam certè non parum iam lapsi sunt. Neque (vt ipsi putant) hæc resignatio est, si parati sint omnia ex Dei manibus recipere, & interim sua negligentia, sua incuria, & per abiectionem humani regiminis, prouidentiaque circa seipsos sese destruant, quia hæc non suscipiunt de manibus Dei, sed de manibus suis: quandoquidem sibiipsis hæc fecerunt, non absque graui culpa. Debet enim homo seipsum regere, vt ratione vtens, & per industriam mala declinare, cunctaque noxia, quæ cognoscuntur Deo non placere. Debet, inquam, nulli se periculo exponere, vnde in corpore, animave lædatur. Debet quoque vbi, & quantum suo corpori est necessarium, datis iam sibi remedijs vti, nec miraculum à Deo expectare. Quod enim semel tibi prouidit Deus, quamdiu illud spreueris, non expectes pro eadem necessitate aliud. Nec vilo modo tibi licet Dei creaturam, hoc est, te, qui tuus non es, sed Dei seruus, in ipsiusque vineam conductus, perdere, aut destruere. Quod si stulta id deuotione feceris, præsertim vbi habes, à quibus consilia petas, aut quorum consilio dirigaris, te, hoc est, alienum Dei seruum destruis, ex rapina holocaustum offerens, quia cum subtractione indiscreta necessariorum corporis tui seruidus, modico vis tempore Deo seruire, vt totus postea inutilis ad omnia fias, nihilque ad Dei valeas seruitium. Et hoc est, quod diabolus operatur. Siquidem siue per indiscretam abstinentiam, per irrationabilisq; exercitia deuotionum, siue per nimiam corporalium indulgentiam te impediens, ne Dei continuare seruitium queas, æque diabolo placet, Deoque displicet. Et hæc dicta sint contra præsumptuosos deuotos. Nam Deo

in eius timore seruientes, sub obedientia degentes, acquiescentes consilijs, & humiles, non potest diabolus capere, aut fallere. His enim rationabili discretionem vtenibus, à temeritate abstinentibus, & quibuscunque bonæ voluntatis, Deo deuotis, nunquam deest prouidentia diuina. Quibus etiam in rebus necessarijs, vbi humana desunt subsidia, optime licet, imo expedit quoque sublimiter de bonitate Dei sentire, sperare, atque illi se credere. Possunt quoque se multum consolari aliorum Deum timentium consilijs, si timidi sint nimium, aut scrupulosi, modo humilitas acquiescendi non desit, quia non iubet Deus non manducare, sed crapulam & gulam. prohibet. Manducare autem, & corpori necessaria ministrare, tam natura quam diuina lex iubet. Propterea Paulus dicit: *Carnis curam ne feceritis in desiderijs.* Non quidem carnis curam omnem prohibens, sed vetans ne fiat eadem in desiderijs. Quomodo ergo alteri esurienti, & egeno teneris ministrare, si habes quæ necessaria sunt, ita tibi quoque præcipue obligaris.

Lucæ 12.

Roman. 13.

Tertia est, qua deuotissimos quosque diabolus impugnat, puta eos, qui corporalia iam vitia vicerunt, ambitionis. Quia enim fortia quædam prælia gesserunt contra alia vitia, quamdiu tamen inanis gloria in eis prostrata non est, manet in eis ambitio quoque, quæ ex victorijs multarum nascitur tentationum. Inde enim, quod prælijs varijs vitia alia multa superauerunt, nascuntur hæc duo vitia: Inanis gloria & ambitio. Aestimatur enim, qui tentationem hanc latentem maxime & occultam sustinet, ad regendos alios quoque iam se idoneum, qui se putat, aut in corde suo iactat, propter Christum multa ardua & præclara se gessisse, quare ædificationi aliorum iam sit idoneus. Putat autem omnino sincero hoc corde se cogitare, nec aliter, quam zelo animarum, zelotjs diuini honoris se hoc appetere. Verum, vbiunque se cogitatio hæc prodiderit, mox ut alter Satanas est explosenda, nulloque modo toleranda. Satis sit tibi, ut cum aliter euadere non possis, Deo tibi imponente prælationis iugum, sustineas.

Ambitionis mala quæ sunt.

Sunt autem multa alia tentationum genera, quibus præcipue Dei seruos tentare non desinit. Permittit autem id euenire Christus ad maiorem electorum suorum gloriam, gloriosioresque coronam. Prima enim est vtilitas tentationis, quod tentatus seu tentationem sufferens sit humilior, sit simul ac doctior. Liqueat autem hoc ex humiliatione Pauli, qui ne magnitudo reuelationum eum extolleret, angelum se colaphizantem diabolum accepisse se fateatur. Porro, quod tentatio erudiat, Ecclesiasticus ostendit, dicens: *Qui non est tentatus, quid scit?*

I.  
Tentationis vtilitas. 2. Cor. 12.

Eccle. 34.

II.

Secundo, per tentationes discimus non indignari, sed compati proximis. De hoc Paulus quoque gloriatur nos habere pontificem, qui probatus & in omnibus tentatus didicerit ex ijs, quæ passus est, compati fratribus. Petrus quoque Apostolus suam permissus est sentire infirmitatem, ut futurus Ecclesiæ pastor disceret in se, quomodo in alios, qui ex infirmitate delinquant, esse debeat misericors. Cõtingit enim ferè semper, ut is, qui grauati aliqua tẽtatione, aut seuerè iudicat, aut contemnit, incidere, patitur eandem, aut grauiorem tentationem in qua (ut dixi proximum suum constitutum desepxit. Tertio, auget certantibus, & pro se pugnantibus, coronam

Hebr. 4.  
Math. 26.  
Marc. 4.  
Lucæ 12.

AA 4. Chri-

- Iacob. 1. Christus. Ideo scriptum est: *Beatus vir qui suffert tentationem, quonia quum pre-*  
 III. *batus fuerit, accipiet coronam vita.* Quarto, quia feliciter resistentes confolatur. Quod per hoc innuitur, quod Angeli, tentatore victo, accesserunt & ministrabant ei, scilicet Christo. Discamus igitur Christo ieiunante filij ieiunare, & eo pro nobis tentato ac vincente vincere. Temperantia profecto virtus est, ieiunium vero, aut abstinencia, ex suo genere virtus non est, sed exercitium, adminiculum, instrumentumq; virtutis, quod reuera multifariam confert homini. Primo enim reddit, aut custodit sanitatem. Legimus enim in multis escis, multas inesse infirmitates, sobrium verò adijcere dies longaviores. Legimus quoque propter crapulam multos perisse: imo plures crapula (vt alius inquit) quàm gladio. Secundo reddit spiritum liberum, & à captiuitate, qua per carnem opprimitur, liberum facit. Eam ob rem castigauit Paulus corpus suum, & in seruitutē redegit, ne alijs pradicans, reprobis efficiatur. Tertio prohibet à casu futuro. Cùm enim defecerint ligna extinguetur ignis. Scitum est quoque, quod Comicus dicit: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Quamobrem Ecclesia quoque in sacrificio diuino canit: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Quo certè multi simul ieiunij fructus comprehendendi monstrantur. Porro ei, qui sibi indulgens carnem suam fouet, dicitur: *Qui deliçatè nutrit seruum suum, scilicet eum conumacè.* Quarto dæmonij vim eneruat. De quo Christus quoddam esse dæmoniorū genus Apostolis suis subindicat quod nō possit eijs, nisi in oratione & ieiunio. Quinto ad exardiedum facit idoneū. Quapropter, tam in veteri, q̄ in nouo testamēto, quiddo aliquid arduū volebāt à Deo impetrare Patres & apostoli, hoc faciebant per ieiunia sese humiliantes, ac macerantes. Sic Moses & Helias ieiunauerunt. Sic Daniel arcanorum sanctus, interpres. Sic Iudith Hesterq; ieiunauerūt. Sic Apostoli, quādo augustum aliquid erant acturi, aut quando manus imponebant spiritum sanctum daturi, aut ordinem, faciebant. Et Niniuitæ nunquid non ieiunando, & plangendo deprecari sunt excidium ciuitatis? Hodie igitur, quum contemnitur ieiunium, ideo etiam virtus, operatioq; nobis abest ieiunij pariter cum gratia Spiritus sancti, vt simus velut nauis sine remige, & sine gubernatore. Est tamen aliud ieiunium sanctius, quo abstinemus ab illecebris carnis, à peccatis, à vitijs, & malis concupiscentijs. Huius ieiunij gratia corporale ieiunium obseruatur, & propterea est institutum: quod certè sine abstinencia ac ieiunio peccati, Deo acceptum esse non potest. Propterea scriptū est: *Qui ieiunat in peccatis suis, & iterū eadem facit, quid proficit humiliando se? Oratione illius quis exaudiet?* Esaias quoque eos, qui in solo corporali ieiunio confidebant, interim peccatis vitijsque suis seruantes reprehendit, atque ad ieiunium aliud spirituale cohortatur. Quo seruato ieiunium corporale conducit vehementer. Dominus noster Iesus Christus, qui ad exemplum nostrum ieiunauit, ieiuniumq; instituit, dicens: Veniet tempus, quando auferetur ab eis sponfus, tunc ieiunabunt hic nobis suam largiatur gratiam, qua omnia peccata fugientes, mortificantes vitia, spiritu illi obtemperantes viuamus in ipso per omnia secula seculorum, Amen.

## SERMO II. IN DOMINICA EADEM.

De tentationis diaboli.

**D**ivus est Iesus in desertum à spiritu ut tentaretur à diabolo. Matth. quarto. Cum Iesus, Deus ac Dominus noster à Ioâne baptizatus foret, & à Patre per vocē, & per columbæ speciem manifestatus, abiit in desertum.

Hoc enim paulo ante idem refert Matthæus, quod baptizato Iesu, *pari sunt* Matth. 3.  
*caeli, & vidit Ioannes spiritum Dei descendentem tanquam columbæ, & venientem* Ioan. 1.  
*super eum. Et ecce vox de celo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi com-* Matth. 3.  
*placui.* Ioan. 1. Inde sequitur, quod ductus sit in desertum à spiritu, docens à ieiuniis, à solitudine, ab abstracta vita, à silentio, à fuga seculi, atque ab reliquis Marc. 1.  
Matth. 4.

penitentia exercitijs Christiano nouo, aut monacho, aut nouiter conuerso esse inchoandum. Vbi, inquis, hoc docet? Actione sua id ipsum nobis hoc insinuat. Omnia enim, quæ Dominus Iesus, tam agere, quam pati voluit ad eruditionem, ad correptionem, & ad vtilitatem instituit nostram. Astor. 1.

Cum ergo non parum eruditionis simul ac consolationis nobis inde sciret emeritum, haudquaquam id voluit omittere, quod nobis posset prodesse. Itaque ductus est in desertum, haud dubium, quin à Spiritu sancto. Ibi enim Spiritus sanctus eum voluit ducere, vbi diabolus eum tentandum posset inuenire, & vbi ad tentandum illum auderet accedere. Prouocabatur enim tentator, ut illum tentaret loci congruitate, puta solitudine, oratione, corporis maceratione, abstinentia & fame. Quare libenter diabolus didicisset de Iesu an foret Christus & Dei Filius. Primum itaque est, quod I.

hic discimus, militiam esse vitam hominis super terram. Quod item homini Christiano primum sit expectandum tentari à diabolo. Præparet se igitur ad tentationem, sicut scriptum est: *Accedens ad seruitutem Dei, præpara-* Iob 7.  
*aniam tuam ad tentationem.* Voluit itaque Dominus quemcunque nouiter Eccl. 2.  
Eccl. 2. baptizatum, quemcunque etiam nouiter conuersum, suo exemplo conso-

lari, ne timeat, fiatque pusillanimis, si post conuersionem, aut post baptismum grauius, quam ante tentari à diabolo, aut persecutionem se pati senserit, quando Christum quoque mox baptizatum legerit à diabolo tentatum. Est enim non malum, si diabolus quempiam, quod se dereliquerit, infestat indicium. Neque enim infestaret, nisi à se illum recessisse do-leret. Non infestaret, inquam, nisi à bono, quod possidet, postquam reliquit diabolus, illum iterum abstrahere niteretur. Quando ergo tentaris ad mutationem tui status, ut videlicet hunc deseras, quem iuxta institutionem sanctam laudabiliter suscepisti, suspectum habe diabolus, & statum assumptum tibi puta fore vtilem. Propterea enim te auellere nititur inimicus, quia vtilem tibi hunc dolet ac inuidet. Neque enim te meliorem forecupit, sed à bono nititur abstrahere statu, quamuis miram sanctitatem extra hunc statum, in quo sanctè viuus, tibi depingat, atque ut eundem relinquas nitatur persuadere, multa mentiens, quomodo alibi adhuc fructuosius, & melius possis viuere. Veruntamen scito, quia non quarit tuam vtilitatem hostis tuus, sed instabilitatem, ut à bono in quo es, te eijciat. Dicit ergo tibi. Hinc recedas, ut alibi viuas sanctior, quum neque hic, neque alibi te bene, probeque viuere sinat. Ideo igitur, ut dixi, statum alium menti-

BB titur

E. VI  
21

II. titur (vt à bono abducatur) esse meliorem. Secundo discimus rigorem, ac grandè aliquid atque insolitū, quod ferre nos posse nobis merito est formidandum ex præsumptione nostra, aut temere absque consilio timendum Deum, aut absque voluntate prælatorum nostrorum non assumendum. Legimus enim Christum in desertum venisse, sed hoc solum non legimus, verum etiam adicitur ductum à Spiritu sancto, quo intelligeres ex instructu duntaxat Spiritus sancti singularia, atque ea quæ maiora quidem sunt, quàm vt ab omnibus imponantur, esse assumenda. Voluit exgo Christus suo exemplo nos docere, ne faciliter ad sustinendas tentationes nos ingeramus, memores infirmitatis nostræ, sed potius vigilemus, atq; ne in tentationem intremus, oremus, occasionesq; euitemus tentationum. Quæ si à Deo nobis mittuntur, aut si ducti à Spiritu sancto Dei contemplatione (hoc est, ne Dei beneplacitum negligamus) cogimur illis occurrere, aut prætere occasionem, Christi exemplo debemus tentatori viriliter repugnare. Vtrum enim Dominus Iesus docuit, & de sua infirmitate neminem præsumere, ac quasi vincere valeat tentationes, non imprudenter se periculis exponere, & vbi Deo ordinante tentamenta occurrunt, viriliter illis resistere. Itaque volebat Dominus Iesus pro nobis tentari, pro nobis vincere, tētationes vincendi nobis formam ac modum ostendere, & sua quam patiebatur tentatione nos consolari, atque ne desperemus confortare. Hæc enim quatuor sunt causæ quare voluit tentari. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Videsne in quo viuendi genere Christus nos docere exorsus sit? Primo, intrauit desertum, in quo constitutus afflixit corpus suum ieiunio. Intellege igitur quod desertum tibi intrandum sit, qui vis penitentia vias ingredi. Desertum tutum sit, postquam correctiorem agere vitam instituisti, conuenticula, loca, hominum societates, curtasq; pariter peccandi occasiones vitare, atque secretum locum (siue sit cœmus, siue domus, siue camera, aut cella) solum inhabitare. Abstractam operetur eligas vitam, si peccandi à te volueris occasiones excludere. Deinde, quæ ad vires sustinent (nam eas non decet extinguere) corpus affligi necesse est. Quare affligi? Ideo, quia corpus tuum, & caro tua tibi inimica est. Adversatur enim tuo spiritui, & quasi ex pacto hostibus tuis, hoc est, mundo, ac diabolo consentit. Conniuet illis, & quicquid hi moluntur, ipsa caro recipit, & in executionem ducere molitur. Scitis autem quàm pestilens sit hostis, qui intra mœnia quasi cuius atque amicus fraudulentus habitat. Tu igne ab hoste tibi familiarissimo te impugnandum arbitrare, quippe qui caræ tuam vbique non aliter, quàm amicam, sed reuera pestilentem hostem circumfers. Si igitur iam non solum foris, sed intus etiam impugnaris, quanto sunt tibi aduersarij plures, tanto rarior erit tibi victoria. Est tamen hæc tibi consolatio, quod licet caro tua hostis tibi sit, potes tamen eam reddere infirmiolem, potes ei nocendi vires subtrahere, potes denique ne insolentiam compefcere. Quod fiet, si ieiuniorum, vigiliarumq; fræno eius pestilentiam constrinxeris. Hoc te Christus docuit, qui dum penitentia nobis formam ostendere decreuisset, in desertum abiens, ieiunijs, vigilijs, oratione, cæterisq; austeritatibus penitentia sese afflixit. Nam si eius exploratæ conuersationem in deserto, videbis Christū in genibus, terra, humiq; orantem,

Desertū penitenti intrandum quod sit.

tem, videbis humi procumbentem, ac patrem pro humano genere orantē. Videbis inter diferti bestias commorantem, videbis si fortē dormire volu-  
 it, humo ac sub diis cubantem. Videbis postremo cuiuscunque hominis col-  
 loquio, aut praesentia abstinentem. Reuera docuit te, quae sit forma penitē-  
 tiae. Quadragesima itaque diebus sic absque cibo viuens (neque enim diutius  
 in viuere congruebat, ne non homo qui cibo nullo aleretur, esse putaretur,  
 & quia ad alia opera potiora, puta quae animarum conuersioni magis serui-  
 rent, missus fuerat) postea esurijt. Quando voluit, ieiunabat. Quando voluit,  
 esuriebat. Non illi dominabatur, imperabatve aliqua passio, sed quaecunq;  
 vbi aduocabatur aderat, vbi abire iussa fuit, recedebat. Nos verò ediuerso  
 sentimus. Praeueniunt enim nos passiones tristitia, ira, timoris, amoris, le-  
 titiae, vel nolentes, nec quando volumus recedunt, nec adfunt quando cupi-  
 mus, quia rationi, quemadmodum in Christo, non sunt nobis subiectae.  
 Quid iam vltra expectas? Accessit tētor, videns Iesum fame torqueri, quā-  
 tum voluit. Credēdus est enim famem vehementē propter nos tunc assump-  
 sisse. Accedit diabolus & longa verborum ambage circumiens, ad haec ver-  
 ba Evangelica tandem veniendi occasiōē, quaerit: *Si Filius Dei es, dic vt lapi-*  
*di isti panes fiant.* Noluit hostis videri, sed credebat se latere hostem. Con-  
 sultorem simulabat, & ne periclitaretur ex fame Iesus, magna se compassi-  
 one finxit illi prouidere ac cōsulere. Dissimulabat quoque Dominus Iesus  
 diu, nihil, quo cognoscere se illum monstraret, ostendens. Passus est ad alte-  
 ram se tentationem duci. Cui iterū perinde ac in prima tentatione per verba  
 sacrae Scripturae respōdens calliditatē versuti hostis omnē elisit. Postremo  
 in tertia tentatione ipse se tentatorē cognoscere mōstrauit, & ei non tam re-  
 spondit, q̄ repulit. Sciendū filij, quod externa tantū haec tēratio Christo fuit.  
 Non enim intus tētabatur, sed quietus in animo fuit, quia malū ei defuit,  
 quo inclinari vitio posset tentatori consentiēs. Itaq; filij hoc modo satagatis  
 in omni tentatione inueniri, ne in vobis intus malū sit, quod malo externo  
 ad quod tēramini, arrideat. Scimus in ciuitatibus ac castris ab hoste facilem  
 deditionē impetrari, vbi in castro, aut oppido sunt, qui hostibus fauēt, Dño  
 suo infideles. Hoc modo si intus placēt vobis tela, quae foris vobis ingerūtur,  
 hosti certa stabit victoria. Porro si creatorē ac redemptorū vestrū diligitis,  
 & nihil eorum, quae vobis hostis obijcit, aut ad quae inuitat, vultis, si magis  
 acerbissima quaeq; ac durissima optatis pati, quàm à Christo discedere. Et si  
 in hac bona voluntate vestra non praesumitis, sed in solo benignissimi Do-  
 mini Iesu adiutorio confiditis, cunctos fugabitis inimicos, & ministrabunt  
 vobis Angeli caelestis consolationis cibum largiente hunc Domino IESV  
 Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

Math. 4.

DOMINICA II. QVADRAGESIMAE, EPI-  
 stola B. Pauli Apostoli, ad Thessalonicenses III.

**R**ogamus & obsecramus vos in Domino Iesu, vt quemadmo-  
 dum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare & pla-  
 cere Deo, sic & ambuletis, & abundetis magis. Scitis enim quae  
 praecepta dederim vobis per Dominum Iesum. Haec est enim vo-  
 luntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstinatis vos à fornicatio-

BB 2 ne, vt

ne, ut sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij: sicut & Genes qua ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de omnibus his sicut prædiximus vobis & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, in Christo Iesu Domino nostro.

## PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**R**ecte hæc lectio in Quadragesima Ecclesiastica consuetudine sumpta est, qua Paulus Apostolus à fornicatione Theſſalonicenſes retrahere, seruarique in continentia nititur, quando quidem sanctimonia pietatem roborat. Nihil verò pœnitentiam adeo impedit, quàm fornicatio. Cui passioni se quisque subiecerit, vt brutum mox efficitur, ad meditando ea, quæ animæ sunt salutaria, ineptus. Paulus itaque dicit: Rogamus & obsecramus vos in Domino Iesu, cuius gloriam zelamur & beneplacitum, vt quemadmodum ex nostra eruditione didicistis, quomodo vos innocenter necesse sit ambulare, & placere Deo, qui ad cœlestem venire patriam contenditis (quod etiam facitis hucusque ita ambulando) ita & nunc abundanti magis, hoc est, ambulando, suspirandoque ad eandem patriam sitis feruentiores, studiosioresque. Vitam hominis ambulationem hic Paulus nominat, quomodo Christus quoque: *Ambulate, inquit, dum lucem habetis*, Curſus enim vitæ nostræ tendere semper debet ad patriam cœlestem, quare nos quoque in hac vita viatores ac peregrini vocamur. Sequitur: Scitis enim quæ præcepta dederim vobis, non tamen ex me, sed per autoritatem Domini Iesu. Hæc enim est voluntas Dei sanctificatio vestra, quo sitis purgati à peccatis, ornatique virtutibus. Ad quam rem necessarium est, vt abſtineatis à fornicatione, hoc est, ab omni illicito concubitu. Et præterea sciat vestrum vnusquisque vas suum, hoc est, corpus suum possidere, subiectum tenere, ac illi dominari in sanctificationis gratia, quam in baptismo recepit, aut in sanctificatione, id est, castimonia & honore, ne corpus suum indecenter polluat, & non in passione desiderij, cui seruiat, aut satisfaciat, sicut gentes quæ ignorant Deum, quæ corpori quicquid illud oblectauerit, concedunt. Aliud quod facietis, Dei æque est voluntas: Ne quis scilicet supergrediatur opprimens, neque circumueniat decipiens fratrem suum in villo negotio, quoniam vindex est Dominus de omnibus his, quæ prædiximus vobis, testimonioque sacræ Scripturæ confirmauimus. Nam in Iob legimus: Deus inultum abire non patitur. In Leuitico quoque mandatur: *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum*. Nō enim vocauit nos Deus in immunditiam, vt corpora nostra contaminemus veluti iumenta, nec vt virtutum polluamur sordibus. Sed vocauit nos in sanctificationem, vt incontaminatam, atque ab omni turpitudine liberam exhibeamus conuersationem in Christo Iesu Domino nostro.

EXEGESIS EUANGELII DOMINI  
ca. II. Quadragesima, Matthei XV.

Ioan. 12.

Job. 14.  
Leuit. 9-

Post

**P**ost miraculum quod fecit Dominus Iesus reficiens quinque millia hominum ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, transfreta-  
uit in terram Genezareth, vbi à scribis & pharisæis (pura qui ab Hiero-  
solyms venerant) scandalizatis, quod eius discipuli nō loris manibus man-  
ducarent panem, & quod non maiorem zelum haberet Christus pro senio-  
rum traditionibus obseruandis, est interrogatus, quare eius discipuli hoc  
non obseruarent: Christus eos increpauit, quod leuiora legis & suas tradi-  
tiones diligenter magnōq; zelo obseruarent, ea verò quæ ex institutione e-  
rant diuina, quæ ve naturæ quoque præcepta erant erga proximum, minus  
ponderabant. Quapropter illis relictis, quia eius tam eruditioni, quam mi-  
raculis detrahebant, egressus est ad partes, terminosq; gentium. Dicit ita-  
que Euangelista:

Egressus Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce  
mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit dicens ei:  
Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio  
vexatur.

Egressus Iesus à terra Genezarenorum dicitur venisse in terminos, locatq;  
ciuitatum Tyri & Sydonis. Hæ ciuitates erant præcipuè, & metropoles ter-  
ræ Chananæorum, quorum populi circunquaq; habitantes dicti sunt à  
Chanaan, filio Cham, filio Noe, Chananæi. Ad illorum itaque partes ac  
terminos venit Dominus Iesus, quia prohibuerat Apostolis, ne in viam a-  
birent gentium, neque ciuitates intrarent Samaritanorum, quasi latenter  
intrauit, vt qui neminem vellet hoc scire, ne Iudæis scandalum præberet.  
Quamuis hoc quod Apostolis prohibuerat, intelligebatur de prædicatio-  
ne, ne gentibus, Samaritanisq; prædicaretur, nisi post sui ascensionem,  
oblata primum Iudæis salute. Non tamen præcepit eos, qui spontè veni-  
rent, à salute, à fide, & beneficio sanitatis excludi. Itaque cum circa fines Ty-  
ri & Sydonis esset Christus, quo diuertisse est putandus, vt huius mulieris  
nobis ostenderet præstantissimam fidem, exaudiretq; eam pro filia obse-  
crantem, quædam mulier Chananæa de finibus illis egressa, non tam cor-  
pore, quam fide. Locum enim suæ gentis, & incredulitatem, reliquaque  
Chananæorum vitia exiuit. Quare? vt quæreret Christum, in quem iam  
credebat, postulatura pro filia suæ sanitate. Vbi igitur illum inuenit, cla-  
mauit, scilicet voce alta, scemineæ oblita verecundiæ, pro magnitudine fi-  
dei, desiderij ac deuotionis. In hoc multis alijs prudentior, quibus Euange-  
lica prædicatio aduecta est, quorum multi tamen nihil magis propterea  
crediderunt, quum ipsa egressa fines suos quæsierit Christum. Clamauit  
dicens: Miserere mei Domine fili Dauid. Fama iam Christi gloriosa diuul-  
gebatur vniq; tam apud Iudæos, quam apud cæteras nationes. Ideo quam-  
uis mulier hæc erat Chananæa, id est, de genere Chananæorum, & Syro-  
phoenissa, id est, de Syria Phœnicis, audierat tamen de Christo, quippè quæ  
non longè à gente Iudæorum habitauerat, dici eum ex tribu & semine Da-  
uid nasciturum. Audierat quoque fortasse plura alia, tam de Dauid beni-  
gnitate, quam de Messia Iudæorum venturo, quæ Christo inesse credebat  
propter ipsius miracula, quæ in vniuerso orbe fama vulgabat. Filia mea  
BB 3. malè

Ioan. 6.

Gene. 6.

Matth. 10.

Marc. 7.

Chanana  
mulier quid  
quem dicit  
ceat suo ex-  
emplo.

I.  
Origenes.

Ioan. II.

II.

III.

III.

malè à dæmonio vexatur, hoc est, atrociter, grauitè, atq; crudeliter torquetur. Multa habemus in hac muliere, quæ singulariter & vehementer xdistincant. Primo namque quod de gentibus nata Dominum Iesum quærit, eiq; occurrit, miræ fuit fidei, cum nemo adhuc gentibus missus predicauerit. Neque enim (vt dicit Origenes) aut ad homines seductores, nec ligaturas quas fuit inanes, sed omnes relinquens diaboli cultus, venit ad Dominum. Iarum autem fides eius indè apparet maior, quod non adduxit filiam ad Iesum, nec Christo supplicauit, petens vt filiam accederet, & manum illi imponeret, vt plerique Iudæorum fecerunt. Nam Martha, & Magdalena quoq; Domino de fratre suo conquerentes mortuo dixerunt: *Dominus si fuisset hic, frater meus non fuisset mortuus*: hæc autem credit solo Christi nutu posse infirmam filiam sanari. Deinde quam constans fuerit in fide ac fortis, exloquentibus manifestabitur. Nam toties à Domino repulsa, durè allocuta, & iuxta externum modum loquendi, quasi conuictio prouocata, & in fide tamè perseverat. His accedit tertia virtus, prudentia. Nam non expectauit donec ad se Dominus veniret, sed de sinibus suæ terræ egrediens occurrit ei. Voluit enim Dominum quærere, vbicunq; gentium inuenire posset, scient gentem suam, in qua se præcipuè numerauit, immundam & præsentia Domini indignam. Idcirco hoc per se cognoscens, nihil nisi pro misericordia postulauit. Agnouit enim sibi nihil nisi confusionem iuste deberi & ignominiam. Supplicauit tamen pro misericordia, quam sibi fieri magnam æstimabat, si vel preces eius audirentur, per fidem non dubitans aliquando etiam non pro suo meritò, sed pro Iesu benignitate exaudiri. Quarto licet hic magna charitas. Nam afflictionem filie suam æstimat. Neque enim dicit, miserere filie meæ, sed miserere mei, quoniam me pro tribulatione filie materna compassio discruciat.

Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

O quomodo piissimum cor Iesu ad huius mulieris potuit clamorem miserabundum dissimulare. Absit, absit, vt ex duritia fons pietatis ille obturatur. Sed propterea quia copiosius voluit misereri, exaudireque gloriosus, idè qua plenus exuberat, miserationem dissimulat, quo & illam ad petendum fortius stimulet, & nobis fidem, & orantis perseverantiam ostenderet. Alioqui, nisi ad cumulatiores, vberioraque dona præstanda sese ad tempus contineret, haudquaquam misericordiam viscera rogatus non statim effunderet. Et accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Dimitte eam, quia clamat post nos. In alio Euangelista refertur hæc mulier venisse in domum, vbi prociderit coram Christo, orans pro filia. Vnde inteligitur Dominus postquam illa primo in domo rogauit, exisse de domo, silens, nec verbum (licet piissimo id corde fecerit) ei respondens. Quare illa sequuta, clamauit indefinenter post Dominum. Indè intelliguntur ea que sequuntur, facta esse in via. Itaque rogant Apostoli pro muliere, aut compatientes eius tristitia, aut ex importunitate eius tædio affecti, dicentes: Dimitte eam, hoc est, iube vt abeat, aut (quod verius creditur) fac quod petit, vt exaudita abeat, & libe-

Marci 7.

liberemur ab eius clamoribus. Apostoli non intelligentes arcanum propositum Christi fortasse verecundia mouebantur pro magistro coram alijs erubescerent, quod hic qui apud omnes vir misericordiarum habebatur, præter morem suum durior, ac inexorabilior à præsentibus videretur.

Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.

Et quomodo tunc verum est, quod venerit in mundum, vt filios Dei, qui dispersi erant in mundo, congregaret in vnum? Quomodo verum est, sic Deum dilexit mundum, vt Filium suum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam? Et quomodo non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis passus est, & pro vniuerso mundo? Dicendum Christum missum esse populo Iudæorum & primo & præcipuè. Quapropter primo illis per se ipsum prædicauit Euangelium. Deindè ad Gentes Apostolos suos misit post suam ascensionem, cum esset ascensurus ab eis dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruari omnia quæcunque mandauit vobis.* Quamobrem Apostolus quoque vbi Iudæis prædicauerat, & sæpius prædicare tentabat, hi verò omnino obstinati recedebant, & Dei resisterent verbo, dixit eis: *Vobis quidem oportet habere primum loqui verbum Dei, sed quia repulisti illud, & indignos vos iudicasti æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.*

At illa venit & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me.

Vidit constans hæc mulier, quod ne Apostoli quidem exaudirentur pro ipsa rogantes, venit, id est, propius accessit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Adorauit, vt quidam putant, tanquam Deum, aut vt alijs placet, tanquam hominem excellenter sanctum, cuiusmodi adorationes in veteri testamento plures leguntur regibus, aut prophetis factæ. Domine, inquit, adiuua me. Non putat mulier humilis ad iniuriam sui esse, quod Christus ei non responderet, quod non exaudiretiam, quia seipsam exauditu indignam æstimat, quæ exaudiretur. Habet enim hoc humilitas, vt propter negatum beneficium non offendatur, rata nihil sibi deberi, vt potè quæ nihil beneficiorum meruerit, quemadmodum contra habet superbia, vt existimet nihil sibi negandum. Quare profectò offenditur semper, quoties quod petit, illi non conceditur. Adiuua me. Vide hic charitatem mulieris. Non enim dicit, adiuua filiam, sed adiuua me, filia infirmitatem, suam existimans, pro qua pellenda rogabat. Verum, quanto plus rogabat illa, tanto magis negabat Christus, & hoc faciebat allocutione & exhibitione dumtaxat externa, quo eam magis exerceret, probatioremq; nobis ostenderet. Tanta enim eius tenuisset nos fides, deuotio, ac persuerantia, nisi exaudire eam distulisset. Quamuis autem foris se Dominus inclementem exhibuit, intus tamen illam secretò vixit & confortauit, ne deficeret.

Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Iudæos filios nominat propter vnius veritatis Dei cultum, quibus spiritalis ali-

lis alimonia, puta Euangelica doctrina & virtutes, signaque miraculorum sicut erant illis promissa, debebantur. Gentes verò & paganos propter idolatriam, vitamque vilissimam, qui non legibus regebantur sanctis, sed insania atque impetui voluntatis seruiebant, vocat canes, inter quos ipsa comparabatur. Vult itaque Christus æquum non esse filijs, id est, ludæis (de quibus alibi scribitur: *Israel primogenitus meus*. Et in Propheta: *Puer Israel, & dilexerunt*) panem eruditionis, seu verbi Dei opera miraculorum subtrahi, & ministrari Gentibus.

At illa dixit: Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

Canes vt vocentur Gentiles.  
Exod. 4.  
Oseeq. 11.

Chanani-  
dis particula  
quanta.

Magna mulieris patientia, longanimitas magna, atque humilitas. Comparata cani ad eum non offenditur, vt etiam consentiens id ipsum confirmet, nihil horum probro verborum læsa, nec sperare & rogare desinens, dicit: Etiam Domine. Verum est quod dicit. Nihilominus incongruum non est, sed decet quod postulo. Canis sum fateor. Tu autem Dominus meus. Tu iuste me vilificas, quemadmodum iuste ego tibi honorem exhibere cupio. Sum canis, nec canis magnus alicubi utilis, sed catellus. Esto. His tamen non omnino negatur cibus. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Si canis, aut adhuc cane minor sum, tuum erit qui Dominus meus es, vel micæ vt colligam permittere sub mensa dominorum meorum ludæorum, id est, si magnis donis indigna sum, tamen indecens non est, quæ illis superflua sunt & decidunt, vt ego percipiam. Cane sunt fideles dominis suis, & ego quomodo possum a te recedere? aut quomodo domini mei mensam possum relinquere? Aduerte mulieris hanc prudentiam, fidem, patientiam, & longanimitatem. Non contradicere tristior, licet probrofe cani comparata, nec laudibus inuidet aliorum, sed blandè etiam alludens & catellum se vocans, Dominum ad misericordiam mittitur prouocare. Mirum valdè est, clementissimum, misericordissimumque Dominum tam diu potuisse differre, & beneficium continere, datis interim tam inclementibus verbis. Sed in fine tamen quam dissimulanter hæc omnia fecerit, liquet, quia sciuit eam dicturam quæ dixit, imò latentè et hæc verba quæ diceret, in mentem eius posuit.

Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Iam liquet cur tam rigorosum, durumve, ac inclementem fons pietatis se hætenus exhibuerit. Continuit ad tempus clementiæ effusionem, quia eam ad meliora semper & ad perfectiora conabatur euehere, perfectamque in se de nobis ostendere. Dicit igitur: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, id est, fiat tibi sicut petisti. Nolebat fons pietatis tristem abscedere, qui neminem se inuocantem non consolatur, sed beneficio & laude simul eandem dimittit honoratam. Et sanata est filia eius ex illa hora, puta qua dixit hæc verba: Fiat tibi sicut vis. Quanquam iuxta verba Christi ordine veniendum esset ad prædicationem vocationemque gentium, ita vt primo vocarentur ludæi tanquam digniores, qui vnus verique Dei longam habuerant

ram noticiam, exhibuerantque debitum eidem cultum, quibus gentes non erant anreferenda. Hoc tamen non ita erat necessarium, vt in nullo casu id fieri posset aliter. Nulla enim lex aded est generalis, quae nonnunquam in euentu aliquo singulari non praetermittatur. Nec semper generalis regula destruitur, si pro tempore aliquo à regula deuiatur. Nam & Ammonitæ & Moabitæ prohibiti sunt, ne intrarent in Ecclesiam Domini, nihilominus tamen Achior Ammonites, & Ruth Moabites propter singulares eorum virtutes, & feruentem deuotionem statim admissi sunt ad societatem, cohabitationem & ritum Iudæorum. Hoc modo quoque mulier hæc Syrophenis, quamuis de genere Chananæorum nata, ob præcipuam tamen fidem suam, & gratiam vocationis & beneficium in filia sanitatis accepit. Nos facti eidem Dominus eius fidei successores, vt per patientiam & humilitatem in fide constantes, in spe longanimes, & in charitate semper inueniamur seruantes, largiente id nobis Domino Iesu Christo, qui est benedictus in secula, Amen.

Deut. 17.

Iudith 14.

Ruth 1.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Quæ sit demonis vexatio, qua penitentibus est molestus.*

**M**iserere mei Domine fili David, quia filia mea malè à demonio vexatur, Matthæi XV. Hodierno Euangelio charissimi, mulier nobis pro filia sua à dæmonio vexata orans multa fide, patientia, humilitate, ac longanimitate ornata introducit, & hæc Chananæa, vt non ociose factum intelligatur, quod Chananæorum reliquias modicas (Iudæis olim terram Iosue 15. eorumdem inuadentibus & occupantibus) Dominus seruaerit, quando ex illis adhuc tam preciosa monilia (cuiusmodi hæc fuit mulier) Domino erant offerenda. Quæ certè præuidens ipse non prorsus omnes deleri voluit Chananæos. Quid enim non facit propter electos? Egressus itaque Iesus de terra Genes. 27. secessit in partes Tyri & Sydonis, vt preciosam hanc animam totam ad se conuerteret. [Et propterea quasi latenter accessit, & quasi sciri nolens, & tamen latere non potens (quod iuxta ostensionem, exhibitionemq; externam intelligitur) ibi prædicare noluit, partim ne Iudæos scandalizaret, quod illis relictis ad gentes se conuertere videretur: partim vt mulieris huius fidem gloriosiore monstraret, quando illa non prædicantem, sed latentem è finibus suis egressa quæreret, in eum crederet, illum (quod multis placet) vt Deum adoraret, & misericordiam ab eo, non tanquam à sancto, qui intercedit, & non salutem largitur, sed tanquam à Deo sibi precaretur, dicens: *Miserere mei Domine fili David, quia filia mea à dæmonio malè vexatur.* Dissimulat Iesus audire, & abire tacens, sequitur illa clamans post eum, orans pro ea Apostoli, negat Iesus. Adueniens illa, adorat, & perseueranter rogat, audit à mansuetissimo Domino se cani comparari, & cum exprobratione nihilominus sanitatis beneficium sibi negari. Instat illa humiliter non modo canem, verum etiã catellum confitens, & hac comparatione Dominum aded sibi conciliat, vt dicat: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut* Ibidem. anima peccatrice à dæmonio vexata rogat. Vexatur autem anima, dum peccatis & diabolo subiecta est, quia ex vno peccato in aliud protrudit diabolus animam. Chananitis mulier vt signet Ecclesiam Catholicam.

Iosue 15.

1. Tim. 1.

Matth. 15.

Act. 13.

Matth. 15.

Ibidem.

Chananitis mulier vt signet Ecclesiam Catholicam.

animam captiuam, ac semel sibi subiectam, quasi vestigal ab ea exigens peccatum. Quamdiu namque peccato sumus subiugati, ferui sumus diaboli, eademq; subiugati & captiui. Ideo ab eo vexamur varijs concupiscentijs & desiderijs. Et certe non modica est hæc vexatio, qua ad eum torquemur, ut magis eligamus intrare in gehennam ignis, quam concupiscentijs non fatiscere. Videte igitur filij, in quanta sint miseria & calamitate peccatores. Dicitur peccatori assueto in peccatis: Contine ab hoc peccato, responder: Non possum. Cui si dicis: Nunquid non times mortem? nunquid graue iudicium Dei non formidas & infernum? Quid responder? Nempe verbum desperatione plenum. Si, inquit, hic præsto foret mors, aut adesset infernus, non possem superare hanc concupiscentiam meam, qua vexor, quin explam. Heu pro illis necessarium est, ut oret, ut clamet ad Deum mater Ecclesia. Quando enim hi aliter liberabuntur, qui sibi ipsi nesciunt querere salutem? Quærat igitur mater Ecclesia, necesse est, dicatq;: Misere mei fili Dauid, quia filia mea malè à dæmonio vexatur. Sui perat misereri, quia cuiuscumq; gemitus, pericula, calamitatemq; suam æstimat. Potest nihilominus mulier hæc cuiuslibet hominis animam signare, vbi mens orat pro sensualitate, ac pro inferioribus viribus animæ, que nonnunquam vexantur à diabolo varijs tentationibus. Potest enim vexare inuitum, non potest cogere diabolo inuitum. Accipiamus ergo pro muliere hic animam pœnitentem. Ad eam enim est copiosa, ac fertilis seu fœcunda scriptura, ut multos habeant sententia eadem verba, aut idem factum, seu opus. Contingit autem animæ pœnitenti nonnunquam ut in carne, in exteriori homine, intusq; in sensuali affectione multa absurda cogatur sentire, quæ spiritui vexatio est. Ratio igitur & voluntas clament ad Deum. Impudentissimum namq; foret ab aduersarijs opprimi noxijs, habereq; interea sum, qui possit, & velit, aut mœdori, aut liberare, & neque querere consilium, neque auxilium. Sic nos cum habeamus benignissimum Dominum, qui magis nobis querit benefacere, quam nos ipsi possumus desiderare, cum possit & velit ab omni peccato nos liberare, in omni tentatione nobis assistere, nosq; confortare, cur non inuocemus super nos misericordiam Domini? Debet autem & homo sui liberationem non impedire, debet in tentationibus se profundius non intricare, debet denique diabolo se vexandi occasionem non dare. Quod certe facit, membra sua dans arma iniquitatis ad iniquitatem. Quapropter vis non timere diabolum? Abstine à peccato. Esto mundus corde. Esto humilis & mitis animo. Nullius hominis conscientiam tu iudices, aut damnes. Custodi te occupatum, immaculatumq; ab omni re, vnde te non speras meliorem. Quid enim tibi confert, si vniuersum lucreris mundum, interim tuæ animæ detrimentum faciens? Itaque si mundus, humilis, &, vt supra dixi, à mundo & peccato incontaminatus fueris, tu non habes timere diabolum, sed diabolus timebit te. Quæris quod peccatum magis innuitur fuisse in filia hominis mulieris infirma, quo vexetur liberanda anima? Dicendum, quod inuitum & radix omnis peccati est superbia. Hæc est, quæ vexat nos omnes. Nemo vult esse contemptus, nemo humiliatus, nemo correptus, nemo accusatus. Nunquam deest nobis querimonia. Aut enim non sumus auditi, aut nostrum est spreum consilium, nostra industria est derisa, labor ylliusa

Chananti-  
dis mulier vt  
desiguet ani-  
mam quam  
libet Chri-  
stianam.

Rom. 6.  
Matth. 5.

Matth. 16.  
Marc. 8.  
Luca 9.

Eccle. 10.

tra, no  
sumus.  
erit, v  
monstr  
menter  
mens e  
perbiz  
do nob  
spati  
ideo in  
requie  
dixi, su  
commo  
hunc se  
tur, &  
pauper  
culo. I  
autem  
sicu h  
um vis  
hanc n  
num q  
tionem  
que en  
volunt  
defini  
viri or  
ociens  
Non h  
nysis  
cordia  
uid. M  
moner  
hoc est  
& prop  
scio te  
te esse.  
re mi  
Dauid  
re. Sic  
neas,  
tem,  
vexati  
mulie  
malè  
lus? a

sumus, non satis honorati sumus, aliquid famæ detractum nobis est, aut laxi  
 sumus. Itaque nunquam nobis pacem finit superbia nostra. Unde abs re non  
 erit, ut superbiam hic intelligamus significari, quod ex modo curationis  
 monstratur. Cùm enim contrarijs contraria curentur, hæc mulier vehe-  
 menter fuit à Domino humiliata, atque seipsam humilitate interna depri-  
 mens egit, quo filia sanaretur à vexatione dæmonis, id est, à tentatione su-  
 perbiæ. Ipse enim rex est super omnes filios superbiæ. Atque ideo pari mo-  
 do nobis quoque faciendum sciamus. Neque enim poterit à nobis superbia  
 sparari, exterminari ve, nisi magna humiliatione. Quam quia refugimus,  
 ideo infirmi ac viriosi remanemus, semperque à dæmone vexamur, hoc est,  
 requieramur. Habet enim intra nos, quo perturbare nos potest. Sicut enim  
 dixi, superbia nulla gaudet vñquam pace, nulla quiete. Si proximi videt in-  
 commodum, aut humiliationem, illum ridet, despicit, aut fauet, quia  
 hunc se æstimat vilioiorem. Si gloriam eius cernit, aut incommodum, trista-  
 tur, & inuidet. Si cernit diuitias, concupiscit. Si honorem, æmulatur. Si  
 prosperitatem, horret. Postremò, nihil rectè iudicat, nihil simplici aspicit o-  
 culo. Proinde, vbicunque in homine est superbia, nullum ibi bonum finit,  
 aut enim illud tollit, aut corrumpit, aut impedit, aut inquinat. Breuiter,  
 sicut humilitas vas est omnium gratiarum, ita superbia sentina est omni-  
 um vitiorum. Omni igitur studio curemus liberari à superbia. Imitemur  
 hanc mulierem nobis in exemplar virtutis ante oculos constitutam. Pri-  
 mum cognoscamus infirmitatem nostram, sicut ipsa filia suæ agnouit vexa-  
 tionem. Ratio nostra sibi imputet ac voluntas, quod sensualitas vexatur. Ne-  
 que enim satis vigilante se esse existimet ratio, neque constantem ac fortem se  
 voluntas, quo vexatione hac mortificatis vitij careat. Atque ideo anima  
 definis Chananæorum, id est, de incitamentis occasionibusque exiens  
 vitiorum, quærat Saluatorem. Agnoscat suam miseriam, & seipsam sanctè  
 odians ac detestans doleat, & ad Christum clamet: *Iesu fili David miserere mei.*  
 Non habeo aliquid allegare, cur mei debeas misereri, nisi quia *benignus &*  
*misericors es, & miserationes tuas super omnia operatus.* Per illam igitur miseri-  
 cordiam te obsecrò, qua Filius Dei factus es filius hominis, hoc est, filius Da-  
 uid. Misereri mei. Mulier illa Chananæa non potuit Christum fortius ad-  
 monere aut constringere, quam vt recordaretur, quare sit homo factus,  
 hoc est, quare sit filius David. Hoc enim infinitæ eius erat misericordia:  
 & propterea præcipuè illius admonet eum, dicens: Fili David, ac si diceret:  
 Scio te Domine creatorem esse cæli & terræ. Scio Deum Omnipotentem  
 te esse. Quamobrem non ad aruspices, non ad magos, nec ad idola, sed ad  
 te misericordiam imploratura confugio. Reminiscere igitur te filium  
 David, reminiscere quoque quare sis filius factus David, & mei misere-  
 re. Sic tu quoque Dominum, mysteriorum redemptionis nostræ admo-  
 neas, per eius incarnationem, per natiuitatem, per passionem, per mor-  
 tem, & per resurrectionem rogans illum, vt tui misereatur. Est itaque  
 vexatio dæmonis, qua tentamur inuiti ad illicita. Aduerte tamen, quod  
 mulier illa rogans filia salutem, dixerit causam, quia filia mea à dæmonio  
 malè vexatur. Rectè dicit: Malè vexatur. Quando enim benè vexat diabo-  
 lus? aut quem non malè vexat? Certè si diaboli spectanda est intentio, tunc  
 malè vt sem-  
 per vexet di-  
 abolus.

Iob 41.

Superbia  
proprium  
quid.

Matth. 15.

Ioc. 2.

Psalm. 144.

Malè vt sem-  
per vexet di-  
abolus.

omnes malè vexat, hoc est, idèd vexat, vt ad malū ducat eum, quem tentat. At laudanda est prouidentia diuina, tanto què magis laudanda, tanto magis prædicanda, tanto amanda feruentius, què malum, quod nobis aut à diabolo, aut ab aliquo membrorum eius paratur, semper, si volumus, præsto nobis est vertere in bonum: Nōne omnes fatigauit suis vexationibus sanctus diabolus? Quid autem obtinuit? Nihil profecit, nisi quod gloriosiores, pulchriores, & rutilantiores fecit eos vt aurum. Fabricauit enim eis coronas inuitus, quia Deus, quod ille nitebatur eis in ferre ad malum, vertit in bonum. Sancti martyres, virgines sanctæ, sancti eremitæ & monachi, quantis sunt tentationibus à dæmone vexati? quibus sunt fatigati molestis? quot denique persecutionibus & tormentis, vt in perfidiam, vt in peccata carnis, vt in mortem animæ præcipitentur? Fecit quod potuit dæmon machinans malum, quo abstraheret eos à Domino. Verum potuit eos tentare, non potuit cogere. Potuit suadere & illudere, non potuit impellere. Potuit persequi & vexare, potuit corpori molestiam, non potuit vim animo inferre. Malè igitur omnes sua voluntate vexat, quorū vt mali peiores reddantur, tentat. Nescit enim improbus & stolidus, quod persequendo vexandoquè ad regnum cælorum nos compellit. Nos igitur hac consolatione vtentes, benignissimi scilicet Saluatoris nostri bonitate, omnem calamitatem, quam nobis infert, siue homo siue diabolus, neque de homine neque de diabolo, sed de manu omnipotentis Dei suscipientes, eius amore, eius contemplatione ideligamus sustinere, & ab omni iurgio abstinere aut murmure. Tunc enim omnia vertentur nobis, vt potè Deum diligentes in bonum. Habemus autè in hoc Euangelio eruditionem, vt à Domino aliquid obtinere volentes non statim, nisi obtinuerimus, ab oratione deficiamus, sed perseuerandum in oratione. Desideria enim dilata crescunt: quæ in dilatione deficiunt, signum est, quod nunquam verè desideria fuerunt. Quapropter beatus Gregorius probè dicens: Nemo, inquit, quia tardius auditur, credat quod à superna cura negligatur. Sæpè enim nostra desideria, quia celeriter fiunt, non exaudiuntur, & quod impleri concite petimus, ea ipsa melius tarditate prosperatur. Nam & hic in hoc beneficio, quod mulier illa Chananæa postulauit, quam durum, quam alienum, quamq; immutum se foris exhibuit Dominus, tam clemens intus ad præstandum fuit. Nam non solum ea, quæ mulier petiuit, tandem præstitit, sed fidem & patientiam eius quoque laudauit. Sit igitur in nobis humilitas, sit deuotio, sit fides, sit denique longanimitas, vt piè perseueranterquè peramus, quia Deo nunquam deerit largiendi liberalissima pietas, si in nobis inuenta fuerit vera in supplicando humilitas. Quam nobis quoque concedat, qui in cælis gloria & maiestate plenus regnat, Amen.

DOMINICA III. QUADRAGESIMAE, EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI, AD EPHESIOS V.

**R**estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulatores in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis.

Sapient. 1.  
Gene. 50.

Rom 8:  
Perseuerandum vt sit in oratione.

Gregor.

vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquiū, aut scurrilitas, que ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut asarus (quod est idolorum seruus) non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanis verbis. Propter hoc enim venit ira Dei in filios dissidentie. Nolite ergo esse participes eorum. Eratis enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulare. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM

**A** Nte hæc verba Paulus Ephesios fuerat hortatus, vt erga se mutuo benigni, misericordesq; essent donâtes offensiones inuicem, sicut & Deus in Christo illis delicta donauerat, adiciens tandem, quod hodie legitur, quo quasi verborum priorum causam explicat: Estote, inquit, imitatores Dei, puta in misericordia, in clementia, in iniuriarum dimissione, in dilectione, denique & beneficentia inimicorum, sicut filij charissimi. Hæ enim virtutes Filium efficiunt Dei. Quod Saluator testatur nos admonens, quando dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus vobis, vt sitis filij Patris vestri, qui in celis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et ambulate in dilectione ad perfectiora progrediendo, quo suis per dilectionem idonei animam vestram pro fratribus vestris ponere, sicut & Christus dilexit vos, qui pro vobis animam posuit. Ad huc igitur modum, quo nos Christus, puta purè, non dilectus, gratisq; amauit, diligite vos quoque proximos vestros. Ita (inquam) diligite, sicut & Christus dilexit vos, & tradidit semetipsum pro vobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, & hoc quidem vobis fecit. Oblatus enim est, quia ipse voluit, constituens seipsum oblationem pacificam inter Deum & homines, & hostiam pro peccatis nostris Deo in odorem suauitatis. Fuit enim hæc oblatio odorifera, qua Pater delectabatur in charitate filij, pro multorum redemptione se immolari permittentis. Fornicatio autem & omnis, cuiuscunque sit speciei, immunditia & auaritia tam procul sit à vobis, vt ne nominetur quidem inter vos. Tantus nanque vobis debet esse zelus sanctimonie & castitatis, vt ne luxuria à vobis nominetur, sicut decet sanctos: quorum non solum opera, sed etiam mores, verba cogitationesq; castæ sunt ac pudicæ. Non nominetur, inquam, in vobis fornicatio, multo minus in vobis sit, pariq; execratione caute, ne sit in vobis aut turpitudine, id est, inuerecundia, in honestatq; in tactibus, amplexibus, moribus, osculisve offensio, vnde libido suspicari possit. Aut stultiloquiū, ineptia scilicet verborum, nullam habens sapientiã: aut scurrilitas, id est, facetiarū leuiarumq; sermonū ad risum prouocantiū consuetudo, quæ ad rem non pertinet, quia nihil commodi, aut vtilitatis in se habet, sed inanis est sola verborum. Videsne quanto zelo hominem Christianum Paulus vult pudicè, honestè casteq; omnimodis viuere? Quid castius præcipi possit monacho: Hæc tamen cuius scribit Paulus Christiano. Heu quanta hodie lasciuia, quanta loquendi petulantia, iocandiq; libido, dum turpitudinum

Imitatore  
Dei, quem  
constituit  
hominem.

Math. 5.

Luc 6

1. Ioan. 3.

Eliaz 55.

Castimonie  
quanto stu-  
dio sit ex-  
colenda.

VI  
21

1. Corin. 15. dinum gloriationes, obscenarumque rerum historiarum coram virginibus & pudicis passim recitentur, nimisque turpiter denudantur. Putatisne, *corumpunt bonos mores colloquiis mala*? Parcite quæso, ne venenum spargatis fumendum prolibus vestris, aut familiarum vestrarum, imo ne vlli hominum, sed in vobis sit, audiatque magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quare à vobis tam aliena esse debeat fornicatio, quod quicumque fornicator, aut immundus quouis alio scilicet luxuriae genere se commaculans, aut auarus, quod, scilicet esse auarum, est idolorum seruitus, Deo præferens pecuniam, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Sunt qui dicunt: Si omnis fornicator, immundus, aut auarus damnaretur pauci saluabuntur. Nihil verius. *Malli enim sunt vocati, pauci vero electi.* Alij dicunt: Si mulieribus vti non liceat, quare illas Deus creauit? quare sexum commixtioni congruum creauit? Quare animam quoque embryoni, ex fornicatione concepto infundit? Sed nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim vltio Dei venit in filios dissidentiarum, id est, qui spem nullam habent, reddente sibi testimonium conscientia, quod operarij sunt iniquitatis. Nolite ergo effici participes eorum, nec confirmemini peccatis eorum, vt similia eis agatis, aut loquamini. Eratis aliquando tenebræ, quare hæc vt faceretis non erat mirum, nunc autem, cum sitis lux, non ex vobis, sed in Domino, nihil tenebrarum appareat in vobis, sed vt filij lucis ambulate. Fructus autem lucis, quem lux diuinæ gratiæ quasi fructum arbor generat, situs est in omni bonitate, iustitia & veritate.

EXEGESIS EUANGELII DOMINI  
ca. III. Quadragesima, Luca XI.

- Quadragesima  
male tempus  
est institutum  
sit.
- Non absque ratione institutum est charissimi, vt hodie proponatur nobis Euangelium, quo diabolus ex homine refertur eiectus merito. Est enim nunc tempus penitentiarum omnibus Christianis. Quod licet omni tempore hoc debeat esse vitæ nostræ, vt nunquam de peccatis nostris non penitentes debeamus inueniri: hoc tamen tempus quadragesimale præcipue nobis mater sancta Ecclesia instituit, vt si alio tempore penitere negleximus, debeamus nos vel nunc erigere contra diabolum, & ieiuniorum, eleemosynarum, orationum, castigationumque corporalium armis muniti eidem abrenunciare, vniuersisq; simul cum eo & peccatis & vitæ & concupiscentijs nos opprimere. Quod vt feliciter fiat hodie nobis legitur Euangelium, quo docemur per confessionem eiicere à nobis dæmonium, armarumque domum nostram, ne ad nos redeat iterum, semel eiectus. Vera enim penitentia est non solum delicta plangere, sed etiam ea, quæ planguntur, aut plangenda sunt, non iterare. Itaque Lucas hoc modo alloquitur:

Lucæ II. Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiicisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratae sunt turbæ.

Haudquaquam de dæmone est credendum, vt ipsum putes mutum, seu cæcum, aut surdum. Neque enim organa habet aut videndi aut loquendi: sed

sed ita intellige, quod hominem diabolus, quem obsidebat, fecerit mutum, cecum & surdum. Has enim tres calamitates (vt multorum habet opinio) & ex Matthæo clarum est, de cecitate fuerunt in eodem homine, præter hoc, quod obsidebatur à dæmone. Quæ per dæmonis expulsionem à Christo omnes fuerunt sanatae. Nam cum eiecisset per Christum dæmon, homo miser locutus est, audiuit & vidit, vt sequitur: Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratae sunt turbæ de tanto miraculo, non orationibus impetrato, sed ex potestate atque imperatiuè facto.

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia.

Hi multo aliter sentiebant à turba, quæ admirata est, dans gloriam Deo: vt intelligas in magna multitudine raro fieri posse, vt omnes idem sentiant, aut id ipsum omnes probent, Sed quid dixerunt? In Beelzebub principe dæmoniorum eiecit dæmonia. Secundum Matthæum hi Pharisei fuerunt inuidia & liuore pleni, quia cum essent ambitiosi, auari, & gloriæ cupidissimi tristabantur ex honore & gloriosa fama Christi, quam calumniarum more & pessundare nitentur: ideo vbiunque poterant inique illi detrahebant, sperantes sibi tribui quicquid Christo (vt omnium inuidorum mos est) detraherent. Huius enim miraculi gloriæ in hoc detrahere moliebantur, quod Christum non sua virtute fecisse hoc signum dicebant, nec cum turba simplici, & nihil intelligente esse mirandum: quandoquidem in virtute Beelzebub, id est, principis dæmoniorum, cum quo pactum habere, & quem haberet familiarem, minoris virtutis dæmones eieceret. Itaque potestatem in Christo diuinam principi tribuunt dæmoniorum, grauiter blasphemantes. O liuor cæce & edax inuidia, quo miserum, quem obsides, perducis? Bel idolum erat apud Babylonios primum, vnde omnis idololatria prodijt, quod apud Aegyptios dicebatur Beel. A Iudæis verò per contemptum Beelzebub id est, Deus muscarum nominabatur, eo quod semper ibi esset multitudo & frequentia muscarum. Quod vt clarius dicatur, sciendum in Genesi legi de Cham filio Noe post diluuium Chus generatum. Chus verò genuit Nemrod. De hoc ibi scribitur: *Ipsè cecit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino.* Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. Secundum Berosum antiquissimum historicum iste Nemrod primus duxit colonias in terram Sennaar, vbi turris fuit Babylonis extructa. Idcirco vocatus est Saturnus, puta Babylonicus, seu apud Babylonios. Ibi enim designauit urbem, & turrem Babel extruxit. Abduxit autem filium suum Belum, quem Iouem multi vocauerunt. Huc Belum postea mortuū Babylonij numinis loco coluerunt. Itaque Nemrod anno centesimo tricesimo primo regnauit, à quo tempore illo exordium sumptgens Babylonica. Quam obrem (vt dixi) vocatur Saturnus apud eosdem, & regnauit LVI. annis. Post quem huius filius Belus Iupiter dictus, pacificè regnauit LXII. annis, & fundamenta erexit Babylonis, cui magis specie oppidi, quam vrbis dedit. Post hunc Ninus filius Beli regnauit quinquaginta duobus annis, qui à Mose in Genesi dictus est Assur, & ædificauit Niniuem ciuitatem regni præcipuam

Idololatria  
Initium qua-  
do sumptu-  
rit.

Affyriorum. Hic Ninus primus omnium Belo patri suo, & matri Iunoni, & Rheæ auæ suæ, quæ fuerat (vt legitur) soror quoque aui sui Nemrod, edificauit templum, quod secundum Catholicos Doctores, & secundum Hebræos idololatriæ occasionem & initium dedit, accedentibus dæmonibus, & in statuis effigatis ac simulachris responsa dantibus. Iste ergo Bel, Belus fuit pater Nini, cui simulachrum est erectum, & inde in alias quoque nationes mos ritusq; illum colendi translatus, licet aliter nominabatur iuxta linguam Gentium aliarum. Vocabatur enim à Babyloijis Bel, ab alijs Beel, ab alijs Baalim, ab alijs Baal, à Iudæis derisorie Beelzebub.

Et alij tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit:

Iosue 10.  
Exod. 7. 8.  
9. 10. & 11.

Nonnulli tentantes, an diuina virtute eijceret Christus dæmonia, signum de cælo quærebant ab eo, quasi hæc signa hætenus, quæ fecerat Iesus, vilia æstimantes, atque contemnentes. Quærebant igitur portentum aliquod, cuiusmodi tempore Iosue in sole, aut in decem plagis accidit Aegyptio sub Mose. Hoc autem intra se musitantibus dicebant, propterea quod palam propter turbam, quæ hoc censuisset irrationabile murmur, dicere non audebant. Iesus igitur cogitationibus eorum respondens, dum ostendit illorum se cogitationes & secreta nosse, satisfaciens illis, in hoc euidens eis monstrauit suæ diuinitatis signum. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum dixit, respondens nimirum ad cogitata eorum, & quatuor rationibus probans id quod cogitauerant, esse falsum. Prima est ratio.

Ratio Christi  
quadruplex  
contra cogi-  
tationes Iu-  
dæorum.

I.

Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis, in Beelzebub eijcere me dæmonia.

Omne, inquit, regnū in seipsum, id est, cōtra seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domū cadet. Si ergo satanas in seipsum diuisus est, vt cōtra se, hoc est, sibi contrarius, vt dæmon pugnet contra dæmonem, & alter alterum expellat, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? Vos inquit, putatis in Beelzebub me eijcere dæmonia. Hoc si verum esset, dæmon pugnaret contra dæmonem, essetq; discordia & pugna inter eos: qua fieret necesse est, vt regimen eorum collaberetur & periret, cū ediuerso maxima sit in eis concordia in malo, vnde regnū eorum non desolatur, quamdiu mundus stat, sed tot seculis omnes nos concorditer impugnant. Est tamen hoc intelligendum de eiectione dæmonis ab animas. Inde enim solus eijcit Deus, nec diabolus eijcit inde diabolū vnquam, quandoquidem diaboli in hoc obstinate consentiūt omnes, vt perdant animas. Possit autem fieri, vt diabolus expelleret diabolū de corpore, ad seductionem animarum intuentium vbi hoc quasi pro miraculo haberetur ad confirmationem errorum, aut illusionem hominum credentiū eum de re sanitatem. Porro Christus dæmonem expellebat ex animabus. Secundam rationem ita subiungit, probans se non in Beelzebub eijcere dæmonia, ex collatione exorcistarum, seu discipulorum suorum ad se.

II.

Si autem

Si autem ego in Beelzebub eicio daemona, filij vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

II.

Si, inquit, in Beelzebub ego eicio daemona, filij vestri qui ex gente sunt vestra geniti, tam discipuli mei, quam exorcistae vestri, in quo eiciunt? Si illis non adscribitis, quod in virtute daemonis eiciant daemona, quare me huius perfidiae infimulatis? Liqueat ergo quo spiritu me ab illis diuiditis, ut quod in nemine non laudatis, in me calumniemini. Hoc autem facitis quod invidia vos turbet, qua gloriam non potestis videre meam. Ideo iudices vestri erunt, nec erit necesse, ut ego vos iudicem. Ipsi erunt vobis iudices, hoc est, ex comparatione eorum res ipsa loquitur, & iudicat vos: quoniam non est minor, quam illorum mea potestas. Potest enim intelligi aliter. Multi fuerunt, qui in nomine Iesu Christi eiciebant daemona, ut habetur apud Lucam de quodam, quem Apostoli viderant in nomine Christi daemona eicientem, nec tamen adhaerebat Christo. Apostolorum praeterea actus de quibusdam referunt, qui in nomine Christi quem Paulus praedicat, eiecerunt daemona. Apostoli denique in nomine Christi eiciebant daemona. Objicit igitur scribis & pharisaeis rationem hanc: Multi in nomine meo eiciunt daemona (quod manifestum est in meis Apostolis, in vestris exorcistis & magis vestris) quorum nonnulli ut hoc facilius perficiant, meum invocant nomen: ergo multo magis id mea possum virtute. Quapropter Cyrillus sic inferat: Quando alij in nomine meo satanam conterunt, quomodo non multam habet amentiam dicere me a Beelzebub habere virtutem?

Luc. 6.

Act. 9.

Cyillus.

Porro si in digito Dei eicio daemona, profecto peruenit in vos regnum Dei.

Quid sit digitus Dei, non est opus exponere, quando alius exposuit Evangelista, ita haec verba referens: Si in spiritu Dei eicio daemones, unde patet hoc loco spiritum sanctum significari: profecto peruenit in vos regnum Dei. Si hoc capere potueritis, me in spiritu Dei eijcere daemones, capietis etiam in vos paruisse regnum Dei. Haec enim regnavit ille qui vocatur princeps huius mundi. At me adveniente cum ille eijciatur foras, eius regnum cessat, instituiturque dominium & regnum aliud, puta Ecclesiae, cuius ego sum Dominus, dominator & princeps, recte peruenit in vos regnum Dei. Tertio hoc probat alio modo.

Digitus Dei quid sit. Matth. 11.

Ioan. 11.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, uniuersa eius arma auferet in quibus confidebat, & spolia illius distribuet.

III.

Fortis ille est diabolus, cui non est potestas quae comparari possit super terram, intellige si vti permitteretur. Armatus est etiam astutia, dolo & nequitia. Atrium diaboli hic mundus est, quem custodit non ut canis, sed ut lupus praedam, aut leo quaerens quem deuoret. In pace sunt omnia, quae possidet, in pace licet falsa sunt, quae possidet. Neque enim pax est impijs dicit Dominus, in pace tamen sunt, id est, sine contradictione dominatur ipse

Iob 41.

Atrium diaboli quodnam sit. 1. Pet. 5. 1. Tim. 4.

DD homi-

VI  
21

hominibus. Si autē fortior illo superueniens vicerit illum propria virtute, quod ego facio, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, id est, tentationes, fallacias, dolos, simulationesque quibus vniuersum fallit mundus, denudabit, compescet, atque gratia suae inspirationis, virtuteque diuina luce confortabit electos, ut illum vincat. Quapropter discipulis suis dixit Christus: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnia potestatem inimici.* Et in Psalmo: *Sup. r. aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Et spolia eius distribuet. Spolia diaboli haud dubium sunt hi, quos seduxit, quos cepit & sibi subiugauit. Hos enim Christus deceptos illuminauit, captos redemit, abduetos suo patri restituit, priuatos hereditate caelesti, iterum redonauit. Siquidem captiuam ducens captiuitatem dedit dona hominibus. Haec igitur inde colligitur ratio. Qui eijcit, fortior est quam qui eijcitur. Cā ergo ego illum eijcio, eo sum fortior: titer armatus custodiuit arrium suum, & in pace, hoc est, sine contradictione regnauit, agens quae voluit (quod palam est in hoc misero caeco & surdo per me curato) Verū ego aduenies illū expugno, & spolia eius distribuo. Quare perspicuè liquet me in illius virtute nihil agere, nullā cum eo mihi concordiam & societatem esse, nec me quicquam cum eo, sed aduersus eū agere.

Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

## III.

Alio iterum modo probat in Beelzebub non eijcere se demonia. Contraria vtriusque sunt studia & exercitia. Colligere enim & dispergere quomodo simul stare non possunt, ita Christo cum diabolo nil cōuenire potest. Ideo dicit Dominus: Qui non est mecum, qui mihi non consentit aut cooperatur, aduersus me est, id est, contrarius mihi, puta contraria mihi opera agens, & qui non colligit mecum, scilicet ad Deum homines trahens docendo, orando, & exemplum bonae vitae monstrando, dispergit, hoc est, à Deo auertit fallendo, seducendoque homines, & eos erroribus atque peccatis implicando. Vnde colligitur quarta ratio: Quorum cōtraria sunt studia, non possunt conuenire in vno, aut se mutuo iuuare. Sed mihi & diabolo contraria sunt studia & actiones (ego enim colligo animas ad Deū, ipse verò à Deo dispergit) ergo non conuenimus in opere vno. Quare falsum est quoque me virtute illius vti, & simul eijcere nos demonia. Confutata his rationibus pharisaeorum blasphemia, sermonem conuertit ad instructionem exhortationemque eius quem curauerat, admonens illum ne denuo peccaret, gratius propterea quam ante periclitaturus, dicens:

Cum immundus spiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquosa, quarens requiē, & non inuenies dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant tibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Cum, inquit, immundus spiritus exierit de homine per contritionem & con-

Lucz 10.

Psal. 90.

Spolia demonum que.

Psal. 67.

& confessionem expulsus, ambulat per loca inaquosa & arida, hoc est, homines deuotos & sanctos, uisitat, in quibus huius mundi uiror aruit, carnisq; perulantia per mortificationem exsiccata est, quos nihil in mundo delectat, nihil huius mundi in eis uiuit, in quibus mundus aruit, qui non corpore tantum sine sequestrati ab hominibus, & animo peruagatur uniuersum mundum. Itaq; per hos transit diabolus, hoc est, hos uisitat, sed requiem non inuenit. Neq; enim quae grata sunt sibi, sed quae odit apud illos inuenit, ideo sequitur: Et requiem non inuenit eam scopis mundatam & ornatam. Scopis mundata, hoc est, inuenit hominem per confessionem a peccatis euacuatum, sed uacuum & ociosum, a virtutibus & operibus bonis. Homo autem non potest diu esse aut manere in eodem statu. Nisi enim proficiat, deficit. Si bona non operatur, implicatur uitijs. Inuenit enim ornatam domum, scilicet in superficie, & foris decoratam, ut sunt species uirtutum, caeremoniarum & uisitatae consuetudines bonae. Et tunc vadit, uidentis sibi patere locum, & assumit septem alios spiritus nequiores se, uicia scilicet septem capitalia, aut etiam uitiuorum horum oppositas uirtutes simulatas per hypocrisis, quae nequiores sunt uitijs ipsis capitalibus propter simulationem. Et ingressi habitant ibi, tuncque diabolus castrum suum recuperat. Et erunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Vulnere namque iterata aut renouata dolore grauiori recrudescunt, difficiliusque sanantur, & post acceptam gratiam ingratitude est maior.

Tob 14.

Factum est autem cum haec diceret, extollens uocem quaedam mulier de turba dixit: Beatus uenter qui te portauit, & uerbera quae suxisti. At ille dixit: Quinimodo. Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

Hanc Martellam Marthae famulam fuisse multi autumant, quae gratulans Christo diuina sapientia pleno, quod confutare potuit Phariseorum inuidiosam maledicentiam, non hic tantum, sed alibi quoque Christo detrahentium. (Neq; enim se continere poterat, quin muliebri uerecundia posthabita, timorem uinceret) atque coram omni populo in medium prorumpens in Christi laudes exclamaret: Beatus uenter qui te portauit. Tanta est, inquit, laus tua & excellentia, quam nemo unquam potuerit effari, ut beatus sit etiam uenter ille uirginis, beata sint uerbera quae ex contactu tui sanctissimi corporis supra omnem modum & captum humanum sacrata sunt. Sed Christus hoc praerogoniam ita confirmat mulieris huius, ut nos quoque consoletur, quorum nulli ad hanc dignitatem aspirare licet (puta esse matrem Dei) ad quam est beatissima uirgo Maria sola electa, dignaque constituta dicens: Quinimodo, hoc est, ita est, ut loqueris. Non tamen hoc solum ita est, uerum etiam beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Beatam non abnuo eam quae me portauit in suo corpore, cuius quoque suxi uerbera, sed non minus beata est, propterea quod me portauit in mente. Nec ipsa sola est beata, sed beati sunt etiam omnes qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud, ut scilicet memores sint mandatorum ipsius ad faciendum ea. Quod nobis largiatur Iesus Christus Dominus noster in aeternum benedictus Amen.

Beatum quoniam fecerint B. uirginem Mariam.

psalm. 104.

*Quomodo confessionem impediatur diabolus, & quam varia sint  
mutorum genera.*

**E**Rat Iesus eiciens demonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset demonium, loquutus est mutus. Lucæ XI. Multos hodiè habemus in Ecclesia mutos, quibus vtiàm adueniret Iesus, qui ora illis refereret, & expulso demone vocem redderet. Sunt enim quidam, qui non possunt eloqui in confessione sua peccata. Quos nimirum multifariam præpedit diabolus, ne de seipsis ea quæ fecerunt, loqui possint in confessione sacramentali peccata. Multi, inquam, sunt qui sua nequeunt confiteri vbi debent peccata, & vbi eadem per confessionem delerentur. Quorum tamen nonnulli ad eam sunt inuerecundi, ad eam inhonesti quoque, vt in aliorum sui generis hominum, puta impudicorum, leuium ac inhonestorum hominum præsentia non pudeat eos de seipsis sua facinora referre, de fraudibus suis gloriari, iactare de felicitate scelerum suorum. Itaque vbi diabolo confitentur, ibi non timent sua peccata contagiosa narrare ad infectionem innocentium animarum, quo non solum exemplo, verum etiam verbo bonos scandalizent, & quantum in se est, corrumpant: & id eò, quia cum patre suo diabolo eadem faciunt opera, eundem quoque referunt fructum, haud dubium eandem cum illo mercedem quoque tandem recepturi. Hos autem (vt dixi) facit diabolus, ad confessionem venientes sacramentalem, vbi à peccatis exui, Deo que deberent reconciliari, mutos. Si quidem ibi diabolus eorum strangulat colulum & ora, ne loquantur, & ne ipse eos suos amittere cogatur captiuos. Quæris fortasse, quomodo diabolus impedit confessionem, & quare de secunda quæstione, quare scilicet impediatur, citò responderi potest: Quia per confessionem veram peccatorum animam peccatricem, quam iure possidebat, vt pote quæ suapte voluntate illi sese subdiderat, scit se amittere: id eò in eam quibus potest modis retrahit. Deindè eos quos scrupulis inuilibus, quos timore, pusillanimitate, atque dubiorum ambiguitate interrumpat, & deuotionis in eis spiritum per huiusmodi extinguit, scit in confessione reformari, dirigi, atque retia sua euadere, cui rei inuidet potissimum. Solam enim obscuritate gaudet in tenebris, & nunquam in luce ambulans. Quia verò in confessione soluitur obscuritas, lux super nos superna coruscet, & ex filijs diaboli filij efficiamur Dei: id eò diabolus quantis potest viribus, impedit enitur confessionem. Quam si impederit, certus est se Dominum illius peccatoris mansurum, ipsum quæ, quantisper ita perferarit, Deo non reconciliandum. Tertio quoniam confessio sancta, non solum spiritualiter exonerat à peccatis, sed etiam conscientiam facit serenam, tristitiam pellit, desperationem propulsat, atque pressuram cordis omnem, quæ propter peccata non confessã, & propter irreconciliationem diuinam hominem torquet, tollit. Idcirco hoc sciens diabolus hostis alacritatis spiritus & bonæ conscientiæ, impedit nititur, ne confessio fiat peccatorum, inuicem enim ab eo tenetur peccator. In confessione autem peccatorum vbi exhilaratur conscientia, gaudet quæ in Deo, confutatur diabolus cum suis consilijs, propterea quod videre non potest, vt bona ac lacris conscientia gratuletur.

Muti ad confessionem faciendam qui sunt.

Ioan. 1.

Confessione peccatorum eorum diabolus impedit.

dest in Deo, ut fiat de Deo in bonitate, & in simplicitate cordis confidat illi. Generat enim vera peccatorum confessio, exonerationem peccatorum, releuationem conscientiae, & spiritus deuotionisque alacritatem tantam, ut homo (quod multis quotidie fit compertum) sibi videatur, qui rectae confessionis sibi conscius est, à grandis cuiuspiam silicis pondere, quod à corde se remotum, liberatus. Hæc igitur (ne prolixus sim) & alia item multa, quæ sacramentum confessionis commonstrant uilissimum, nec aliter, quam secundum baptismum, tabulamque post naufragium peccatoribus ad euadendum institutam, sunt, cur ad eam exorsam habeat confessionem diabolus, & quare eam dissuadeat, ab ea retrahat, eandemque impediat. Cæterum, quomodo quibusve persuasionibus eandem impediat, dicendum est. Primo enim obstruit os diabolus confessionem facturi pudore: excitans in corde hominis, timorem, suspitiones, erubescencias, phantasiasque multas alias, ut inducat eum ad silentium peccati, faciatque mutum. Pudor autem hic oritur ex superbia, qua uult uideri ac aestimari, quod non est, nec ab hominibus propter Deum, & ubi debet, agnosci uult quod est. Veruntamen de peccato quidem est uerecundia habenda, sed de confessione peccati haudquaquam est erubescendum. Neque enim ignominia est penitere, sed gloria. Per penitentiam namque homo se iterum honestat. Gratiam enim Dei recuperat, Deum reconciliat, famam sibi restituit, diaboli abijcit iugum, conscientiam serenat & pacat, ex peccatore facit iustum, & ex seruo diaboli, Dei filium. Non igitur ex pudore est relinquenda confessio, ubi fructus tam multiplex obtinetur, ubi demonium à te eijcitur, ubi anima tuae sanitas restituitur. Peccare est ignominiosum, penitere de peccato est honorificum. Quando peccare decreuisti, pudor te retrahere debuisset. Modo uero quod te honestat, abijcere times? Non omnis pudor ignominiam adducit, quia fitur scriptum est: *Est confusio adducens gloriam*. Nonne igitur insania est timere te mundari, timere abluui, qui non timuisti inquinari? An immundum esse non pudet, & pudet mundari? Et quid times? Num te deridebit sacerdos? Num odiet? Num despiciet? Minimè. Quando enim te derideret, qui tibi congemiscit? In id quanto purius nudusque eidem fueris confessus, tanto eum facis de te sentire meliora. Indè enim cognoscit tuam synceritatem, & ueram penitentiam, quam non potest non uenerari. Quanto ei igitur in ardua te te illi credideris, eo magis te diligit, qui te illi ad obediendum subiicit, eius consilijs acquiescis, ei secreta tua nudè reuelas, te eius discipulum ac filium constituis, maxime omnium illi confidis, quomodo te contemneret, aut non amaret? Diabolica sunt hæc susurria, timorem inanem habentia, quæ pudorem obstinatum, timoremque ac pusillanimitatem confitendi tibi inducunt. Eijce tu igitur diabolum hunc mutum abs te, pedibus calcabasiliscum & serpentem, & euome uirus abs te. Sed nimis est, inquis, peccatum meum probrosum, idèd non reuelandum. Quæ consolatio tibi est, si hominem tuum peccatum lateat, quando hoc Deo cognitum & nudum est? An ignoras peccatum non confessum, coram Deo continuo stare, & te accusare, clamans & tibi postulans uindictam? Quid quod peccatum tuum non confessum uniuerso manifestabitur orbi? Quid quod ignominia grauissima tunc, puta in iudicio extremo, coram omnibus ibi presentibus affectus

Confessionem quod impediat diabolus modis.

I.

Penitentia fructus multiplex.

Eccl. 4.

Psal. 90.

Peccatum non confessum quid efficiat.

DD 3. in om-

Matth. 4.

in omnium venies execrationem? Modo igitur timore quocunque depulso confortare, statuens omnia peccata tua sacerdoti confiteri, & pacificam hilaremque mentem tibi reducere. Dic: *Vade Satana*. Ego vtriusque odio motus, & te & me confundam. Omnes enim technas & fraudes tuas, omnes abominaciones meas in tui meique contemptum, & ad Christi honorem sacerdoti explicabo. Accedit his alia ratio, quare confiteri non erubescas. Si quidem curari nunquam potes à peccato, à pressura cordis (quamdiu sub mala conscientia viuis) nisi confitearis. Propterea quod faciendum aliquando est, si in peccatis tuis non vis mori damnarique, modo fac. Secundo obstruit os diabolus, mutumque facit confiteri volentem spe longioris vite. Verum non te fallat hæc spes, vt semper differas confiteri de crastino in aliud cras, quia de vita tua nihil est in potestate tua, nihil in scientia tua, nihil in opinione tua. Dic, quot tui similes inopinate vides quotidie in peccatis mori? quot vides inter sacramentorum perceptionem non compunctos ac desperantes animam efflare? quot obstinatos denique cernis in fine quidem (terribili eos vindicante iustitia diuina) & inter vite extrema velle confiteri? Hoc ipsum tibi quoque metuè, si dum sanus es, & peccare potes, confiteri differas, euenturum. Iam igitur virus eiuome totum in confessione, & sanare. Tertio obstruit os peccatoris diabolus facisfactionis timore. Habet enim confitens fortasse aut res alienas, aut bona iniusta, qua non vult restituere. Quare sciens restitutionem sibi mandandam, non vult confiteri. Pari modo est de restitutione famæ, quæ ablata est: quæ tamen nisi restituatur, & læso satisfiat, frustra fit confessio. Quarto impedit aut suffocatur diabolus confessionem timore recidendi. Nam sæpius iterata consuetudo, experta infirmitas, peccati quoque delectatio rememorata à diabolo obiiciuntur, & timorem incutiunt, quod se continere non possit, quod frustra propterea confiteatur, quod gratis denique se confundat: quando quidem nihil possit emendare, & hoc modo homo peccator super seipso fundamentum sibi locans ruinosum, dum sibi ipsi non audet confidere, quem fortem, constantemque nunquam est expertus, & in Deo non didicit sperare, non audet propositum certamen, & conflictum pro continentia à peccato, aut pro melioris vite sanctimonia assumere. Quare etiam superstitium arbitratu confiteri, propterea quod spes vite correctioris post confessionem ei sit nulla. Cæterum erras fili, qui sic cogitas. Nam etsi hæcenus semper in priora recideris peccata, hoc tamen tibi fortasse accidit ideo, quod tuis & viribus & armis tantum pugnaueris, Deum non inuocas. Quamobrem nunquam vicisti.

II.  
Confessio dilata quid magis addeat.

III.

III.

Verum nunc de teipso quidem liceat tibi desperare. Nihilominus tanta constans sit voluntas deserendi peccatum, & sanctè viuendi fixum maneat propositum, quod fundetur, confirmeturque in spe diuinæ bonitatis, in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli cuius virtutis inuocatione tibi ad pugnam. Satage igitur, vt in te non deficiat bona voluntas, vt oratio ad Deum in pugna non quiescat, & aderit tibi diuinum, ne à diabolo vincaris, auxilium. Vade igitur, confitere humiliter, & si timeas recidere in peccato, saltem iam non intendas aliquando ad peccatum redire. Sit modo propositum tuum nullo pacto consentire post hæc peccato. Timor ille nihil tibi nocet.

Psalm. 90.

nocebit. Confitere & per humilem verecundamque confessionem diabolo  
 sua infliges vulnera, infirmabitur vehementer virtus eius omnis, quam  
 haecenus in te exercuit. Praeualebis aduersus eum, si tamen verè ab eo re-  
 cesseris, illumque contempseris. Sauiet in te fortasse frequentiore insultu, &  
 tentandi magis assidua importunitate, sed non maiori virtute te fatigabit.  
 Tu interim pro auxilio clamare in caelum non desine. Assidua surgit tenta-  
 tio, & tu assidue quoque illi orationem oppone. Non deerit tibi Deus, si tri-  
 bisti tu non defueris. Dominus enim protector vitæ tuæ, à quo trepidabis?  
 Dic: *Si constiterint aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum*  
*me praelium, in hoc ego sperabo.* Sunt alij muti quos diabolus quoque elingues  
 facit. Qui vt stipites, seu vt statuae stant in templo muti à laude diuina, ab  
 oratione, & à verbo Dei. Templum visitant magis ad vitandum oppro-  
 brium hominum, ne ceteris sint hominibus dissimiles. Aut vbi sunt in lo-  
 cis sacris, quantum sunt ad orandum, ad gratias agendas, ad laudandum  
 Deum quoque elingues, tantum ad profana, mundana, ac noxia collo-  
 quia sunt alacres, Deo muti, diabolo eloquentes. Sunt tertij muti, qui  
 proximum videntes hallucinantem, qui delinquentem, aut labentem in-  
 tuentur, nec tamen verbo sustinent exhortationis, non admonent, non  
 persuadent ad meliora. In hoc quoque genere sunt qui contristatum ani-  
 moque deiectum proximum non consolantur, confortant, fraternæ chari-  
 tatis, compassionisque humanæ immemores. His iudicium sine miseri-  
 cordia erit, quia non fecerunt misericordiam. Quarti sunt muti qui dam-  
 nabiliter tacent, vbi in consilijs, & in iudicijs pro veritate, & iustitia, aut  
 contra iniquitatem, aut contra proximorum, pauperum ac viduarum op-  
 pressionem loqui debent. Dissimulant enim & tacent, neminem volentes  
 offendere, placentia tantum loquentes, ne gratiam, fauorem beneficiumve  
 cuiuspiam amittant. Quibus non minus insensati sunt, qui huiusmodi sibi  
 asciscunt consiliarios, doctores & iudices, qui vi non possunt irrumpere  
 iniquitatem.

Humilis eb-  
 fessio pecca-  
 torum quid  
 boni adferat.  
 Psalm. 11.

Psalm. 26.  
 Ibidem.

Muti à laude  
 Dei qui sunt.

Esaiæ 50.  
 Muti à frater-  
 na correptio-  
 ne ac conso-  
 latione qui.

Jacob. 1.

Muti in ad-  
 ministratio-  
 ne iustitiæ  
 qui sunt.

Esaiæ 50.

Eccle. 7.

1. Tim. 4.

Lutherano-  
 rum cecitas  
 & mutitas  
 quam exitia-  
 lis.

VI  
 21

dinesque Ecclesiasticas explodant, mutant, abrogent, suaque, imò pessimi nescio cuius demonis instituta & ordinationes effectas in locum eorum denuo supponant. Cuius tamen aliam non habent rationem, quam suam impissimam superbissimamque temeritatem, puta ne quicquam non reiectum sperumque apud illos maneat Ecclesiasticum, apostolicum, aut orthodoxum, quod vetustatem canonicam redoleat. Dominus noster Iesus Christus nobis in laudem suam & gloriam largiatur, vt prout continuique sumus in oratione feruentes, in eius laudibus assidui, & in peccatorum nostrorum confessione humiles, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA IIII. QUADRAGESIMAE, EPISTOLA B. Pauli Apostoli, ad Galatas IIII.

**S**criptum est: Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per reuersionem, qua sunt per allegoriam dicta. Hac enim sunt duo testamenta: unum quidem in monte Sina, in seruitutem generans quae est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quae nunc est Hierusalem & seruat cum filiis suis. Illa autem, quae sursum est, Hierusalem, libera est, quae est mater nostra, sicut scriptum est: Latere sterilis, quae non parit, erumpet & clamat, quae non parturit: quia multi filii deserta, magis quam eius, quae habet virum. Qui autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc si qui secundum carnem natus fuerat, persequeretur eum, qui secundum spiritum, & nunc. Sed quid dicit scriptura? Ecce ancillam & filium eius. Non enim haec erit filius ancillae cum filio liberae. Itaque fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae: qua libertate Christus nos liberauit.

Isaia 54.

Gen. 21.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**N**ON incongruè hac lectione hodiè vtitur Ecclesia. Siquidem penitentes consolari volens, multos atque penitentiae operibus afflictos, dum alia spiritui iucunda multa diuino admisceat officio, hac epistola quoque suos nititur filios consolari, quod à seruitute peccati & legis ad libertatem filiorum adoptionis sunt transfati. Galatis namque scribens Apostolus legem Mosaicam existimantibus Christiano cuius obseruari necessariam, eos insipientiae coarguit, adstruens Christianos ad obseruantiam legis Mosaicæ, quatenus caeremonialia iudiciali iure attinet, minime obligari. Itaque ait: Scriptum est in Genesi Abraham duos habuisse filios: Vnum de ancilla Agar, quae superioribus annis fuerat Abraham & Sarae uxoris Abraham ancilla. Hanc enim Sara, videns se sterilem dederat marito, vt vel per illam semen reciperet ex marito. Quam tamen absque dubio antequam cognouit Abraham, duxit ante in uxorem. Natus itaque est ex ancilla Agar Abraham filius Ismael. Deinde cum respexisset quoque Sara Dominus sterilitate ablata, ipsa eadem libera ac domina Abraham peperit filium Isaac. Porro, qui de ancilla natus est secundum carnem, id est, natu-

Gen. 16.

Gen. 21.

Gen. 17.

VI  
21

ra si fecunditate matris est natus. Quippe cum Agar esset iuuenis, de sene potuit concipere. Qui verò de libera, id est, de Sara natus est, per repromissionem natus est. Sara enim erat natura sterilis, & modo nihilo secius naturali exsenio iam infœcunda, vnde duo habuit pariendi impedimenta. Veruntamen quod natura non potuit, repromissio fecundauit. Neque enim idem ex Sara natus est Isaac, quia caro potuit, sed quia Deus repromisit. Ergo natus est ex libera Isaac per repromissionem. Quæ per allegoriam & mysticam significationem dicta duo nobis indicant testamenta. Nam vnus Pater Abraham Deus intelligitur. Duo filij, duo sunt populi, Iudæorum scilicet & Christianorum. Duæ matres, duo testamenta, quarum alterum, puta vetus in monte Syna datum per Mosen, & in Agar ancilla significatum, filios generat seruitutis, quia lex Mosaica timore compellit homines duræ ceruicis Iudæos, eos Dei subiciens seruituti. Ne autem perperam alicui videatur, per Agar testamentum vetus significatum dicere, addendum Synam seu Synaim montem esse magnum in finibus Arabiæ, conterminum Iudææ, in quo monte cum terrore, fumo & sonitu buccinæ data est lex, cui coniuncta est loci vicinitate, aut saltem allegoria Hierusalem terrena, quæ nunc est, hoc est, synagoga, quæ seruit cum filiis suis, onus ferens legalium præceptorum. Vtrobique igitur seruitus illa probatur legis. Nam in monte Syna Iudæis imposita est lex, in Hierusalem verò terrena eadem obseruatur & viget. Hierusalem enim terrena, id est, synagoga Iudæorum vsque in præsens seruit sub iugo legis, quia noluit libertatem filiorum, quam nobis Christus attulit, suscipere. Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, cum Sara ancilla affinitatem habens, quæ est mater nostra. Vult itaque Paulus duas esse Hierusalem, quomodo duo sunt testamenta: nempe Hierusalem terrenam, quam nemo non nouit olim inhabitatam à Iudæis, legemque ibi Mosaicam viguisse, & Hierusalem supernam, quæ à seruitute legis libera est, & est mater nostra. Vocatur autem Hierusalem superna, aut quæ sursum est, quia Ecclesia licet in terris adhuc militet, sursum tamen esse dicitur, quia per contemplationem, per spem & charitatem, per conuersationem quoque ad Deum erigitur. Hæc itaque Hierusalem, quæ à seruitute peccati libera est, puta Ecclesia, spontè Deo per charitatem seruans, atque eidem placere cupiens, est mater nostra. Scriptum est enim in Esaiâ Propheta: Latere Ecclesia post Christum futura, nunc quidem vt Sara erat sterilis, quæ tempore prophetarum modo non parit filios in fide. Erumpe præ gaudio & clama, vt prædicatio tua audiatur vsque ad fines terræ, quia plures sunt tui filij, puta Ecclesiæ modo desertæ ex gentibus potissimum colligendi, quam eius, quæ habet virum, id est, synagoga, quæ tempore veteris testamenti sponsum habuit Deum. Hæc itaque synagoga tunc filios generabat in seruitutem legis, in Agar figurata.

Gen. 16.  
Gen. 21.  
Gen. 17.

Exod. 10.

Ecclesia cur  
uocetur Hierusalem  
superna.  
Esaiâ 54.

Gen. 21.

Verum nos non secundum carnem, sed secundum promissionem Abraham sumus filij ex Sara geniti, habentes typum & figuram in Isaac, iuxta quem filij vocamur promissionis. Sed quomodo tunc, tempore scilicet Abraham, is, qui secundum carnem fuerat natus, puta Ismael, persequebatur eum, qui secundum spiritum & per repromissionem erat natus, puta Isaac, ita & nunc quoque contingit, vt Iudæi ac pseudoapostoli persequantur Ecclesiam ad

EE fedu-

peffima  
andem  
impipi  
iectum  
thodo  
Christi  
sumia  
rorum

EPL

no de au  
ca nem  
sunt per  
quidem  
ia enim  
seruit  
matris  
qua  
No  
e si pu  
um, in  
on enim  
illa filij

L

peeni  
as affi  
cio, hat  
ti de lo  
ne scri  
obser  
obser  
mini  
uiffe  
& Sara  
mar  
dubio  
e est ex  
Saram  
periti  
natura  
rali

Gene. 21.

seducendos Christianos, atque à libertate gratiæ ad seruitutem legis retrahere moliantur. Sed quid dicit scriptura? *Esse ancillam & filium eius. Non enim heres filius an. ille cum filio erit liber. Non recipiet hæreditatem Israhel cum Isaac.* Quo synagoga relinquenda vel olim figurabatur. Itaque fratres non sumus nos ancillæ, id est, synagoga aut legalis obseruantia filij, sed liberi, hoc est, militantis Ecclesiæ. Qua libertate Christus nos liberauit. Ex ipso enim solo non tam libertatem habemus, quam etiam salutem.

EXEGESIS EVANGELII DOMINI  
ca IIII. Quadragesima, Ioannes VI.

Dominica  
Latere cur  
Ecclesia  
latitiam suis  
sibi proponit.

**E**Xpediebat in medio huius quadragesimæ, in qua se affligunt pœnitentes orationibus, ieiunijs, vigilijs, reliquisque castigationibus carnis, eos qui deuotè pœnitentiam obseruant, spiritali consolatione ac perseverantiam roborari. Idcirco mater Ecclesia non ociose hilaritatem hodiè ostendit, lætitiæ sibi vsurpans verba inter canendum officium diuinum. Nam in introitu missæ ad lætandum excitat nos spiritaliter. Dicitur de legit Euangelium de quinque panum miraculo, quibus aliquot hominum millia sunt refecti. Quo subindicaret nobis multo esse piissimum Dominum proniorem ad animarum, quam corporum refectiorem, immutaretque nos ad desiderium, ad spem, expectationemque cælestis gratiæ, qua refecti confortemur ad maiorem extendere nos perfectionem. Dicit itaque Euangelista:

Ioan. 5.

Abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis: & sequebatur eum multitudo magna.

Marc. 6.

Abijisse Iesus dicitur trans mare Galilææ, quia abijt à Iudæa, in qua est Hierusalem, vbi iuxta probaticam piscinam sabbato languidum quendam curauerat. Quod cum Iudæi calumniarentur ipsum propterea persequentes, cessit Iesus eorum furori, & abijt trans mare, id est, magnum quendam lacum Galilææ: quod mare est Tyberiadis à ciuitate Tyberias in lictore, ad honorem Tyberij Cæsaris ædificata, sic appellatum. Fuit autem tunc illa ratio quoque vt recederet de Iudæa, puta vt discipuli sui post laborem paululum paularent. Sicut enim Marcus scribit: Erant qui ibant & redibant, nec spatium habebant manducandi. Idcirco Christus dixit illis: *Venite sequimini in desertum locum, & quiescite pusillum.* Transit nihilominus de loco in locum Iesus, secundum Theophylum, vt homines ciuitatis vniuscuiusque reddat audiores sollicitioresque ad audiendum Dei verbum. Et sequebatur eum multitudo magna, non minus quinque millibus virorum. Capta enim fuit tanta multitudo venustate gratiosissimi vultus Christi, morumque elegantia, dulcedine verborum, & miraculorum eius gloria, quare non poterant ab eo diuidi. Tanta autem erat affectio deuotiorumque hominum ad Christum, vt Marco teste, vbi cognouissent Iesum transiturum, de ciuitatibus accurrentes properarent, atque præuenirent sæpè discipulos.

Marc. 6.

Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum.

Subij.

Subiit in montem Iesus, fortasse quia locus & contemplationi & doctrinae erat idoneus, & ibi sedebat cum discipulis suis, quos docebat. Nunquam enim erat otiosus. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum. Additur hic Iudaeorum, non quod apud alias quoque gentes obseruaretur Pascha, sed quia Ioannes Ecclesia iam propagata tardior caeteris Euangelium hoc scripsit, quando multitudo gentium conuertebatur ad fidem, quorum multi pentatheucum Mosi non legerant, nec de alio, quam de Pascha audierant Christianorum, ut scirent à Iudaeis quoque aliud olim Pascha celebratum, expressit id nominatim. Antequam hinc recedamus, dicendum quoque non nihil est ad ædificationem nostram. Iam obediens filij Ecclesiae confessi sunt de peccatis suis, & Deo reconciliati poenitentes quæ præteritæ vitæ malæ actæ quærunct Dominum, illum ut ament, deinceps ut verba eius audiant, ut actis denique imitentur. Itaque, ut dixi, quærunct eum. Ecclesia narrans hoc Euangelium, quasi eos videtur alloqui: Quæritis Christum? Ecce abiit trans mare Galilææ. Sequamini illum per mare, hoc est, per aquas poenitentiae & mortificationis voluntatis propriae, quæ sunt amaræ. Si enim o filij verè poenitemus peccata nostra, non erunt nobis dum illorum recordamur, dulcia, sed tam amara in contritione & cogitatione, quam olim quando diabolo seruiimus, fuerunt dulcia in operatione & cogitatione. Est ergo poenitentia nostra mare, sed Galilææ, hoc est, transmigrations. Cuius transmigrations? A vitijs ad virtutes. A seruitute diaboli ad seruitutem Christi. Ab ira ad gratiam Dei. Ab inferno, ad regnum Dei. In hac autem transmigrations sustinere nos oportet, & stultitias, & terrores, & reliqua aduersa, quæ contingunt nauigantibus, hoc est, tentationes, pericula, infestationes, molestasq; alia id genus multa. Verbi gratia: Vides te ex honorari, despici, rideri, contumelias quæ & iniurias pati, nonne hoc tibi amarum est? Etiam profectò. Hoc tamen mare est Galilææ, per quod nauigari oportet ad Christum. Deindè paupertatem necessitatum quæ defectum, & omnem penuriam (quod sæpenumero Dei seruus vsu venie) sustinere, nunquid non amarum est? Quoniam videtur denique hominibus nondum spiritu ac Dei gratia confortatis acerbum continere se à carnis voluptatibus, abstractum & impollutum corpus seruare à venereis delectationibus, & quicquid impudicum fuerit, ne animo quidem cogitare.

Deindè, quid dices, videns eum, qui melioribus delicatioribusquæ habitus saginari consuevit cibis, gulæ irritamenta sibi subducere, famem & sitim pari, ieiunia tolerare? Nunquid hoc illi dulce est? Certè carni mare amarum est. Spiritus fortasse aliter sentit, quandoquidem benignissimus pijsissimusquæ Deus eos, qui se sponte tradunt propter ipsius amorem ad molesta sufferenda, non potest non consolari. Tamen in poenitentiae conversionisque initio, caro aliter haud sentit atque caro, nisi quomodo (ut dicere volebam) sæpenumero de seruore spiritus participans vincitur, quo æquanimiter toleret, spirituiquæ consentiat ad ea, quæ alioqui nollit. Quis præterea satis explicet, quid sentiamus, cum occurrunt nobis iniuriæ, cogimurquæ aliena mala tolerare, aliorum portare odia, odientes diligere, pro malis bona retribuere, de persequentibus nos

Poenitentia  
vi per mare  
designatur.

Galat. 6.  
Lucæ 6.

EE 2 non

non vlcisci, sed pro eis orare? Nunquid carni & sanguini hæc dulcia sunt? Non puto. Postremò ne hoc quidem non est amarum, somnum subducere oculis, vigilijs extenuare corpus, à fabulationibus & risu abstinere, hominum familiaritates deserere, vitam agere abstractam, corpus operibus laboribusq; atterere, & spiritum ad humana non relaxare? Hæc, inquam, grauius, difficilia, & molesta sunt carni, nisi spiritus feruor, exuberantiaque deuotionis ea temperet. Sunt enim mare Galilææ, per quod transmigraue nos oportet, si venire desideramus ad Christum. Rectè profectò nobis dicitur: Regnum cælorum vim pati, & violentos rapere illud. Et iterum: Arctam esse viam, quæ ducit ad regnum cælorum. Consolatur nos tamen, quod postquam mare hoc transferimus, reficiemur & confortabimur, vt quæ ante nobis fuerunt amara, sint iam leuia, vt reliquum pœnitentiæ nobis sit in gaudio & consolatione.

Cum ergo subleuasset oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vndè ememus panes vt manducent hi?

Subleuasse oculos Iesus dicitur, quo intelligas, quam pudicum, quamq; verecundum se gesserit in custodia ac continetia oculorum, omniumq; sensuum. Neque enim vagus erat in oculis Iesus, aut moribus incompotus. Itaque cum vidisset, quia venit multitudo maxima ad eum, cuius non erat ei opus aut necessarium describi numerum. Erant enim ei omnes & numerari & agniti. Quapropter compatiens multitudini, dixit ad Philippum: Vndè ememus panes, vt manducent hi? Qui curiosior est, posset hic mirari, cur Philippo hanc potius questionem proposuerit Dominus Iesus, quam alteri.

Dicunt quidam Philippum, propterea quod ante omnes fuerit vocatus ad apostolatam, Dominum Iesum voluisse honorare, & in signum præcipue dilectionis erga eum cum ipso quasi de hac re & futuro miraculo tractare. Alij dicunt Philippum magis sollicitum pro turba fuisse, quia de sua patria erant sibi conterranei. Quamobrem Dominus quoque, vt hic sollicitiorem ac magis compassiuum interrogauit. Tertij dicunt, quod tardior fuerit Philippus fide & intellectu, idè opus erat eum sic interrogando instrui, quod melius caperet hoc miraculum, in fideq; plenius erudiretur. Et hoc congruum etiam magis videtur, vt illi Dominus de futuro miraculo loqueretur, qui tunc maiori egebat instructione. Voluit autem Dominus interrogare, quo notitia miraculi fieret communior, ac citius manifestaretur. Nisi enim Dominus Philippum interrogasset, vndè nobis manifestum fieret, quod non plures, quam quinque ibi panes fuissent? Quomodo ergo in nuptijs miraculum de conuersione aquæ in vinum facturus, donec vinum deficeret, distulit, vt omni vino epotato querimonia generalis manifestaret vini defectam, cuius penuria percepta de mutatione aquæ in vinum miraculum crederetur, ita nunc prius sciri voluit, quot panes superessent, vt tot hominum milibus satiatis, agnosceretur refectio hæc miraculo facta diuino, non subsidio humano.

Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus.

Matth. 11.  
Matth. 7.

Ioan. 1.

Philippum  
Apostolum  
cur Christus  
interrogauit  
præ alijs  
Apostolis.

Interrogasse  
Christum,  
quid sit.

Ioan. 2.

Imper-

Imperfectionem nouit discipuli, idcirco, vt dictum est, cum Philippo tractauit, quo sibi erudiendum, atque perficiendum illum faceret. Non igitur interrogabat dubitans, sed tentans eum, vt nobis quoque, quæ secreta erant, eius responsione fierent manifesta. Ipse autē sciebat, quid esset facturus, qui omnia tam præsentia, quàm futura nouit. Sciuit quod superesset panes, sciuit quot etiam homines essent, sciuit denique, quo eos modo uellet pascere. Sed interrogat, quomodo Mosen in manu virgam habentem interrogauit, dicens: *Quid est quod habes in manu tua?* quasi Deus, quid in Mose manu teneretur, ignoraret. Interrogat igitur non quasi de re, quam non nouit, sed eo ducere rem cupit, vt ex responsione Philippi, qui interrogatur, locus Christo deur rectius instruendi illum, & vt post hac Philippus, quæ non vidit, videat: & quæ nesciuit, intelligat.

Exod. 4.

Dicit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.

Tanta adest multitudo, vt ducenti denarij non sufficerent, quibus panes emerentur, vnde vel modicam quisque perciperet portionem. Quasi diceret: Tot denarios nos non habemus. Qui etsi essent, tantillum tamen vix quisque perciperet, vt non magis vrgeret fames prouocata, quàm sedaretur. Ecce hic ostendit Philippus se, vt hominem humana sapientē, nec cogitabat Dominum satiare facilius hanc turbam posse, quàm Helisæum. Hic suam nobis fidei imperfectionem reuelauit. Et eam ob rem quoque Christus eum tentans, hoc est, ad discendum prouocans, sic eum interrogauerat, vt quod imperfectione fidei ipsius erat absconditum, patefieret illi ipsi, ex his, quæ erat visurus, vnde se argueret, quod à veritate tantum distabat.

4. Reg. 4.

Dicit ei vnus ex discipulis Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?

Ibidem.

Hic cogitabat recolens quod Helisæus fecerat, qui modicum virorum numerum huius turbæ comparatione multiplicatis panibus satiavit, & putans Christum simili modo posse, vt panes multiplicaret, sed attendens turbam adeo numerosam penè desperans: Sed quid, inquit, hæc inter tantos? Quid conferrent quinque panes quinque millibus virorum, etiam si Helisæi modo multiplicarentur? Hic enim nimia multitudo est populi, & panes multiplicandi sunt nimis pauci. Helisæus enim ex viginti panibus paruum numerum virorum licet maiorem, quàm naturali pastu id fieri potuisset, satiavit. Hic verò cogitare, vt quinque panes adeo forent multiplicandi, vt quinque satiarent virorum milia, ridiculū est. Christus itaque quod in vtriusque, id est, tam Philippi, quàm Andreæ mente versabatur, perfecte considerans, non verbo, sed opere, quid posset, ostendit. Puer hic, iuxta aliquorum astimationem, vnus fuisse discipulorum, seu Apostolorum perhibetur. Nec obstat, quòd alibi legitur: *Nihil tuleritis in via, non sacculum, non peram, &c.* quæ Apostolis predicaturis prohibuit (Ea enim ab his, quibus predicarent Apostoli, voluit tribui. Permisit enim, imo voluit, vt hi, qui predicarent, de predicatione viuerent. *In eadem domo, inquit, manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt.* Eis verò in alijs itineribus constitutis, vbi non

Matth. 6.

Lucæ 9.

1. Cor. 9.

Lucæ 10.

Matth. 10.

Marc. 6.

prædicabant, nõ prohibuit viaticum, aut peram secum sumere. Hoc modo non illicitum fuit illi discipulo secum necessaria sumere inter ambulandũ quia Christus & Apostoli modò non ad prædicandum ambulabant, quoniam potius à prædicatione diuertebant ad quietem, & ad desertum locum. Ideo (vt dixi) non incongruum, nec contra Christi verbũ fuit, quod Apostolorum, aut discipulorum quispiam tulerit in via panes secum. Vide huc tamen, quæ ferula preciosa, & exquisita Christo ministrabantur. Nempe hordeaceus panis, & de pisce modicum, vt erubescat nostra ingluuies.

Dicit ergo Iesus. Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque milia.

Ibidem.

Facite homines discumbere, hoc est, ordinate se componere ad sedendum. Erat autem fœnum multum in loco, aut gramina vnde crescit, efficiturq; fœnum, significat, aut gramina messa ad fœnum. Erat enim circa Pascha, nec mirum est tunc gramina in illis calidis regionibus tam esse perfecta, vt meti possint ad fœnum. Quo erat igitur plus de fœno ibi, eo locus erat ad manducandum, hoc est, ad sedendũ aptior. Vide hic, quia Apostoli ex sermonibus & miraculis Christi tantum profecerunt, vt sine discussione animo simplici obedirent. Certè non absque fide & reuerentia erga iubentem Dominum id fiebat, vt Apostoli turbam hanc magnã ad manducandum ordinarent, præsertim cum nec scirent panes, nec quicquã, quod manducandum foret, viderent, nisi quod futuri miraculi expectatione erant suspensi. Discubuerunt autem per centenos & quinquegenos diuisi: aut sicut alius habet Euangelista, per contubernia, puta vt ex quauis ciuitate, & ex quolibet pago se coniungerent illius loci incolæ.

Acceptit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus, quantum volebat.

Gratias agit Deo Patri secundum quod est homo, distribuit discumbentibus, hoc est, panes, quos susceperat, distribuendos commisit Apostolis, vt discumbentibus tam ipsos quinque panes, quàm hoc, quod sua adiecerat virtute omnipotentis, diuiderent. Omnipotentia enim Christi fons panum erat. Similiter hoc idem fecit in piscibus, quos distribuendos per Apostolos sumendoq; discumbentibus, quantum vellent, commisit. Per discipulos quidem distribuit diuidendos, veruntamen sua eos virtute multiplicauit, & edentes vsque ad satietatem, adeo vt superesset, refecit. Nolo tamen hic putare Dominum immoderate voluisse seipsum ostentare, quod fatiauerit turbã, tot hominũ milia scilicet & plus, quàm appositum fuit, quod sequitur, relictum sit de fragmentis: sed manifestare voluisse miraculi veritatem, quoniam nisi superfuisset multum, non crederentur, qui manducauerant, satiati.

Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt, fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleu-

pleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerunt.

Vt autem impleri sunt, id est, postquam turbæ satiatae sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta. Quæ superauerunt scilicet appetitum, vt comedi non potuerint, vescendi scilicet appetitu satiato, ne pereant. Vult quæ superfuerunt nobis fragmenta diligenter colligenda, atq; in usum pauperum reponenda. Et impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis. Rectè duodecim cophinos fragmentorum in alios distribuendos, qui non praesentes fuerant, fecit colligi, vt non solum ad praesentes, verum ad absentes quoque huius miraculi pertineret testimonium.

Illi ergo homines quum vidissent, quod fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.

Videbant signum, quod gustu oris senserant, & dicebant: Hic est verè propheta, qui venturus est in mundum, hoc est, singularis ille & magnus propheta hic est, quem in mundum venturum expectamus. Itaque hoc miraculum charissimi sic admiremur, vt eum qui hoc fecit, ipsum esse sciamus, qui quotidie paucis granis in terram proiectis vniuersum mundum pascit. Non ergo inferius est miraculum, quod Deus de paucis granis in terram iactis, & ab eodem multiplicatis pascit vniuersum mundum quam quod ex quinque panibus quinque milia satiavit hominum. Nihil, inquam, quantum eius omnipotentiam attinet, interest, inter vtrumque, nisi quod vnum continue facit, aliud fecit semel, aut bis. Quod autem rarius fit, admiramur, quod vero in oculis est nostris vditum, non miramur. Mirentur igitur qui velunt, nobis magnopere mirandum non est, quod credamus omnipotentiam eius nihil non posse. Magis rogandus nobis est, vt nos, quos ad virtutem inuenit tardos, ad opera Dei fastidiosos, ad nostri mortificationem inuitos reformet, spirituque fortiori ac vberiori nos deuotione repleat, qui est semper benedictus in secula, Amen.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Qua sint Evangelicae instructiones hic: qui panes quibus reficimur.*

**L**etare Hierusalem & conuentum facite omnes qui diligitis eam. Esaiæ sexagesimo sexto. Tota hæc Dominica iucunda est, & quicquid in officio hodie auditur diuino, consolatorium est. Gratulatur enim Ecclesia filijs suis, dum in medio sunt penitentiae, quod per confessionem, aliaque opera & exercitia sancta emendatiorem agere ceperint vitam, exhortans eos ad spem, fiduciamque erga Deum, & ad lætitiā, quæ est in Deo. In hoc autem imitatur Ecclesiam triumphantem, quæ est in caelis, vbi (vt Christus ait) gaudium est Angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente. Si gaudium super vno peccatore penitente, quantum est gaudium super multis? Et si in caelis

EE 4 gau-

Gaudij communis ut nos hic Ecclesia commemorat. Esai. 66.

Galat. 6. Genes. 16. Gal. 4.

Luc. 7.

Ioan. 6.

I. Furori malorum hominum quando cedendum sit.

Luc. 4. Ioan. 8. Christus cur hostium furorē declinauerit.

Ioan. 7. August.

Matth. 26. Ioan. 11.

II. Act. 14.

gaudium super pœnitente celebratur, quomodo nos, alter scilicet super alterius pœnitentia, non gaudebimus? Hodie igitur communis gaudij spiritualis admonet nos mater Ecclesia. Cuius gaudij participes non sunt, qui in hac quadragesima nondum sunt peccata sua confessi, propterea quia aliter non pœnitent, aut quia de confessione nil curant. Nam in introitu Missæ monemur latari, haud dubium idcirco, quod restaurantur nunc ex viuis lapidibus muri cœlestis Hierusalem. In epistola quoque instruiamur (qui sub nouo sumus testamento) Abrahæ esse filij, non ex Agar ancilla, sed ex Sara libera in Isaac figurati. Liberati enim sumus à seruitute legis Mosaicæ, & vocati in libertatem filiorum Dei, quæ libertas est spiritus, non carnis, hoc est, libertas qua à peccati & diaboli iugo liberi seruiamus Deo, non coacti, & inuiti, nec quasi nullam legem habentes, sed eadem quæ lex iubet, vitro facientes. Porro, in Euangelio instruiamur, Deum quomodo nos corporali pascit alimonia, ita animas quoque nostras spirituali reficere cibo, & confortare. Legitur autem Euangeliū, ut abierit Iesus à Iudæa ultra mare Galilee, & quinque milia hominum quinque cibauerit panibus. Hoc itaque Euangelium plenum est varijs eruditionibus. Nam quoddam Iudæorum furori Iesus cedens persecutionem declinauit eorumdem, nos quoque docuit, vbi id fieri potest, declinandum ab ira impiorum, atque ab oculis eorumdem abcedendum, ne occasionem demus eis, quo ex præsentia nostra ad iram, persecutionemque nostri magis furiant, & peccata committat maiora. Hanc ob rem sanctorum multi diu & sæpenumero latuerunt tyrannos, quia à Deo nondum vocati, ad martyrium prodere noluerunt semetipsos, nec tyranos in se prouocare. Non enim ignorabant occisionem sui fieri non posse absque grædi crimine, cuius ipsi, nisi singulari, certoque instinctu aliquo diuino admoniti, ad prodendum se timebant dare occasionem absque necessitate, docti nimirum non in hoc tantum, sed alibi sæpius Christi, & verbo, & exemplo occidere se quærentes deuitare. Verum dicit quispiam: Num aliter non potuit Christus hostium suorum vincere malitiam, quàm abeundo? Aut nunquit timuit mori? Non timuit mori, qui in mundum assumpta carne propterea venerat, ut haberet in qua pro nobis redimendis & pati posset & mori. Verum nondum venerat hora eius, qua pro nobis debuit & voluit immolari. Ante prædicandum erat Euangelium, ante faciendæ erant plura miracula, animæ quoque adhuc multæ conuertendæ ac trahendæ ad fidem. Quocirca ad hominum salutem & ædificationem seruabat se, donec tempus veniret opportunum à Patre sibi cõstitutum, quo hostibus se quærentibus etiam vitro obuius venit. Modo verò Iudæorum declinauit furorē, nõ quod huic aliter compescere non posset, sed quia nemini vim inferri, dimittere vnicuique liberum eius arbitrium, nec potestate se voluit diuina defendere, sed humana prudentia vti, docens nos de humanorum consiliorum, remediõrumve nihil debere negligere, sed prudentia & industria vti humana in his, quæ necessario sunt, aut quærenda, aut fugienda. Non, in quæ, debemus pro nobis miraculum expectare, vbi humano modo parata nobis fuerit aut euadendi via, aut impetrandi facultas. Secundo, dicitur mare transfretasse, quo nobis simul ostenditur vitam huius seculi temptationibus, & tempestatibus esse plenam, per quam nos ita transfretare oportet patienter, ut sc:

Astor. 14.  
Leo papa.

ut sciamus per multas nobis tribulationes intrādum in regnum caelorum. Verē enim transfretauit Dominus Iesus per mare Galilææ, id est, trāsmigrationis, quia incōmoda huius vitæ & carni duriora elegit, sustinens omnia propter nos, ut per labores passionum & mortis de mortalitate ad immortalitatem, non solūm transmigraret, sed nos quoque transfueret. Tertiō, subijisse in montem refertur Iesus, quo admoneret alta, hoc est, cælestia semper nobis petenda, nec luto & fæci terrenæ inharendum. Insistendum quoque contemplationi, & mens eleuanda suspirijs & aspirationibus ad Deum continuis. Quarto, quod legis: Cūm subleuasset oculos Iesus, discipulam pudicam fuerit, quamque continens oculorum Dominus Iesus, ut ne leuauerit quidem oculos ociose, tātum abfuit, ut his fuerit euagatus. Huiusmodi autem disciplina omnium ac singulorū membrorum fuit corporis Christi, quorum nullum absque euidenti ratione inutiliter mouebatur, adeo voluit cunctis maturitatis & honestatis præbere exemplum. Cūm subleuasset (inquit) Iesus oculos in turbam, oculos scilicet miserationis & compassionis quibus motus est ad effundendum beneficium, puta ut eos pascere. Hic quinto prælatus discat, in suos subditos oculos miserationum leuare, & pietatis affectum, auxilium, consiliumq; opportunum in eos fundere. Sexto, interrogauit Philippum, unde ad pascendam turbam panes sumeret. Quo arguit prælatorum quorundam supercilium, qui suo duntaxat consilio contenti, volunt omnia regere iuxta suum arbitrium, cūm deberent (ut pax, concordiaq; foueretur) etiam subditorum sapius interrogare consilium, & iuxta eorum iudicium suam voluntatem discutere, aut moderari, si opus foret. Dixit itaque ad Philippum: Unde ememus panes? Non dicit, ubi ememus? sed vnde? quod deesse significat id quo emitur panis, nempe pecuniam. Insinuare igitur quasi septimo hoc loco vult nobis suam paupertatem, hoc est, nec sibi, nec Apostolis tantum esse pecuniarum, ut panes semel rescire possent hanc multitudinem, propterea Philippus respondens, ducentorum denariorum panes ait non sufficere. Quasi diceret: Ducenti denarij, si etiam adessent, non sufficerent ut modicum quis acciperet. Quos tamen habere, longē est à nostra paupertate. Octauo, discenda est mansuetudo Christi, & modestia. Si quidem quum videret Philippum non satis in fide perfectum, nulla obiurgatione ad illius vitur erudicionem, nulla etiam ostentatione qua humiliaretur, sed interrogat illum, ut interrogacione illum præparet futuro miraculo, & attentum reddat. Si quidem opere illū instructurus, quicquid fidei deerat, in eo volebat perficere. Non, hordeacei panes nostram gulam, qui cibos viles, aut si quid non satis delicatum nobis apponitur, fastidimus & murmuramus, coarguunt. Videmus enim quid Iesus cōsueuerit comedere, quid discipuli illi apposuerint, nempe hordeaceos panes. Hæ erant delicia redemptoris nostri. Decimo, discipulorum nos ædificat obedientia, qui panibus tantum quinque visis, verbo tamen obediunt Christi, & faciunt homines ad edendum se parare. Vndecimo, docet nos gratias agere Deo ante & post mensam. Nam ante prandium orandus est Deus, qui nobis cibum hunc faciat vtilem & innoxium, animamq; non sinat tabescere absque refectione spirituali, quandoquidem corpori plus præstat alimoniam. Post prandium autem & cibum

FF acceptum,

III.

III.  
Pudicitia  
Christi quan-  
ta fuerit.

V.

VI.

Prælati vti  
cuncta agant  
cum consi-  
lio.

VII.

VIII.

IX.

Delicia Chri-  
sti qua fue-  
runt.

X.

XI.

Gratia vt sint  
Deo agendz  
pro corpora-  
li cibo.

acceptum, iterum orandum est & gratia agenda Deo pro acceptis beneficijs. Postremo, quia nihil perire vult reliquiarum cibi, sed in vsum coaceruari pauperum, nos admonet sollicitos esse, & memores pauperum, vt quod superest, demus eleemosynam. Hæc dicta sint, quatenus atinent ad ea, quæ hic nos ædificant. Nunc etiam videndum est, quandoquidem nos sumus qui per mare Galilææ transnigramus, hoc est, qui per penitentiam à vniuersis peccatisq; transnigramus ad virtutes, quid sint panes isti quinque, quibus confortamur in deserto penitentia. Primus panis est penitentia, panis certe saluificus. Nisi enim penitentiam egeris, inquit Christus, omnes similes peribitis. De quo Psalmista loquitur: *Cibabis nos pane lacrymarum, & panem lacrimis nobis in lacrymis in mensura.* Secundus panis est verbum Dei. Neque enim in solo pane materiali viuunt homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Hinc panem ministravit Iudæis per seipsum, per Apostolos autem, quasi in cophinis eundem panem portari fecit per vniuersum mundum: *Exentes, inquit, per vniuersum mundum, predicate Euangelium omni creature.* Tertius panis est Eucharistia sacrosancta, de quo dicit ipse Saluator: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Itemq; *Ego sum panis viuus, qui de celo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Quartus panis est correptionis.

XII.  
Lucæ 11.

Fanes quinque mysticè quid.

I.  
Lucæ 13.  
Psalm. 79.

II.  
Deut. 8.  
Matth. 4.

Marc. 16.

III.  
Ioan. 6.  
Ibidem.

III.  
Ibidem.

III.  
Ibidem.

III.  
Ibidem.

V.  
Exod. 16.  
Sapient. 16.  
1 Reg. 19.

Bernardus.

Exercitium ad vulnera Christi.

Humilitas & mitis Christi.

Mich. 6. Obediencia.

Sunt qui per panes quinque intelligat vulnera Christi, idque per deo- tam applicationem quandam. De horum panum subuentione dicit Bernardus: Vltimum & singulare refugium passio tua Domine. Deficiente enim sapientia, iustitia, sanctitate & meritis, illa sola occurrit. Pone igitur in singula vulnera quinque, totidem singulas virtutes, quæ præcipue lucent in passione Domini. Has meditare, pro his Dominum assidue roga. Verbi gratia: In duobus pedibus sit humilitas & mititas. Expende si potes humilitatem Domini Iesu. Vide quis, quantusque sit, & quantum se humiliauerit, quam indigna, quam vilia pro te tantus sustinuerit. Vide, qua mititas, qua benignitate, qua patientia. Exerce te in his virtutibus, & disce ex vita & actibus Christi modos te humiliandi, disce gradus humilitatis ac mititatis. Quotidie quoque tempore aliquo statuo ora vehementer Dominum pro illis virtutibus. Deinde in vulnera duo manuum pone obedientiam & castitatem. Obediencia dico omnem, vt iuxta tuam vocationem expendas ad quæ teneris, & quæ à te Deus requirat, ne quicquam tui status, tui officij, aut tuæ vocationis negligas, sed ea alijs omnibus potius diuina

Quia præcepta, tanquam potiora, magisque à te requirenda credas. Obedientiam faciat perfectissima, plena, nudaque tui ipsius resignatio, ut aliud velle nollegue habere renuas, nisi voluntatem, & beneplacitum Domini nostri Iesu Christi. Porro castitas non solum ad mortificationem delectationum carnalium, siue in opere, siue in cogitatione versetur, pertinet, sed castitatem nunc voco illam perfectissimam & generalem, quæ respicit intentionis, voluntatis, amoris, inclinationum, affectionumque omnium puritatem, facitque ut in his perfecta sit rectitudo, sinceritas, simplicitas, integritasque dei formis, quo nihil vsquam intendas, nihil cogites, nihil quæras, aut diligas, nisi Dei honorem, Dei gloriam, Dei beneplacitum, imo ipsum Deum. In vulnere lateris seu cordis Christi des locum charitati, pro qua instantissime, vehementissimeque Deo supplices tibi tribuenda. Charitas Dei est, ut nihil velis, nihil intendas, nihil quæras, nisi quod sit ad Dei laudem gloriam. Charitas proximi est, ut nihil proximo velis, quod tibi non vis, nec quod tibi velis, illi neges aut tollas. Intelligentur tamen omnia hæc de his, quæ optantur iuste & sincere, ut quod tibi sincere & iuste vis, velis item proximo, & ediuerso, & non in rebus illicitis. Hæc exercitia si frequenter aueris, erunt tibi quinque, quibus conforteris, panes.

Castitas perfectissima  
quæ.

Charitas  
Dei.

Charitas  
proximi.  
Matth. 7.

Pisces duo  
myrice  
quid.

Deo pisces significant timorem & spem, inter quæ duo ambulare nos oportet, ut altero languescente, alterum nos erigat & confortet.

Postremo, duodecim cophini, duodecim sunt Apostoli, per quos panes, id est, verbum Dei, Euangeliumque & prædicatio Christi deportata sunt per uniuersum mundum in salutem & refectiorem omnium. Ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, Amen.

Cophini xij.  
quid myrice.

DOMINICA V. QUADRAGESIMAE, QUAE  
dicitur in Passione, epistola beati Pauli Apostoli,  
ad Hebræos IX.

**C**hristus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non mansuetum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiit semel in sancta, aeterna redemptionis causa. Si enim sanguis hircorum aut taurorum, & cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatam Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruendum Deo viuenti? Et Leuit. 16. id est, noui Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem eorum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem acciperent, qui vocati sunt, aeterna hereditatis, in Christo Iesu Domino nostro.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**L**ectio hæc ex epistola ad Hebræos desumpta est, qua Hebræorum errorem confutare contendit Paulus, existimantium sibi Christi redemptionem

EP 2 ptionem

ptionem absque legalium obseruatione prodesse non posse. Quod Paulus vehementer impugnans, Christi passionis, eiusdemq; oblationis Patri, pro nobis factæ virtutem & efficaciam prædicat, & fortiter defendit, tum hinc, tum in prioribus sequentibusque epistolæ locis, cuius epistolæ pars merito hodierna die, quæ Dominica dicitur in passione, legitur. Ait igitur Christus Dei Patris vnigenitus, qui in cælis semper Patri assistit, ad interpellandum pro nobis, iuxta illud Ioannes: Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, qui etiam secundum humanam naturam orat pro nobis, utpote mediator Dei & hominum, sacerdos ac pontifex, ut Psalmista ait, secundum ordinem Melchisedech. Neque enim sacerdos, aut pontifex propterea dicitur, quod legales hostias sacerdotum more veteris testamenti immolauerit, sed quod semetipsum obtulit Deo immaculatum pro mundo. Quod ad Ephesios scribens idem Paulus: *Christus, inquit, dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Itaque Christus pontifex, atque suo pontificatu collator futurorum honorum, non quomodo pontifex legis in tabernaculum secundum manufactum, seu à Mose extructum, sed tabernaculum amplius, nobiliusq; quod non humanum esset artificij, sed in ipsum cælum, vbi vultui Dei appareat pro nobis, intrauit. Pontifex enim Iudæorum, iuxta legem, semel intrauit in sancta sanctorum, cum præuia effusione seu asperzione sanguinis vituli rufi, aut hirci, orturus pro populo, & pro seipso. Christus verò non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem in die Parasceus effusum, sancta intrauit in die ascensionis suæ in cæleste tabernaculum, æterna nobis redemptione, veraque beatitudine (quæ in lege non poterat obtineri) comparata.

Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ crematæ aqua mixtus & aspersus, inquinatos aliqua culpa, propter quam excluderentur, aut à consortio hominū, aut ab ingressu templi, sanctificat seu purgat, mundosque facit ad recuperandam corporalem munditiam (neque enim reus peccati huiusmodi ceremonialia potuerunt vnquam delere) quanto magis sanguis Christi, qui in spiritu sancto cooperatè semetipsum obtulit Deo Patri, emundabit conscientiam nostram à peccatis, vel (vt vocat ea Paulus) ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Sunt enim peccata opera mortua, vel quia carent vita gratiæ, vel quia inferunt mortem culpæ. Hæc autem mundatio quare facta est per sanguinem Christi, nisi quia quod nos non potuimus, ipse nobis & pro nobis effecit, quomodo Zacharias dixit: *Visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Hanc autem efficaciam & virtutem habuit sanguis Christi propter vnionem cum verbo, hoc est, cum Filio Dei, vnde nobis virtus innata delendi absorbendiq; peccata emanauit. Et quia Christus semetipsum obtulit pro nobis, ideo noui testamenti vocatur mediator, se interponens inter Deum & hominem, qui hæreditate cælesti amissa, nesciuit quomodo ad pacem, aut in gratiam redire posset cum Deo, vt promissam recuperaret cælestem hæreditatem, nisi per Christum: cuius morte interueniente, et nobis impetrante indulgentiam seu redemptionem earum prauaricationu

LANSP.

querant, nosque premebant sub priore, id est, sub veteri testamento, hi accipiant re promissionem æternæ hereditatis, hoc est, cælestium bonorum omnibus electis annunciatam, qui ad hanc æternam prædestinationem à Deo vocati sunt.

EXEGESIS EVANGELII DOMINICAE  
in Passione, Joannis VIII.

**H**odie vocatur Dominica in Passione, non quod hoc die sit Dominus passus, sed quia initium recolitur Dominicæ passionis, quando iam Iudæi illum sententia firmata statuerant occidendum, ideo iam incipitur eius passio recoli. Seruatur autem Dominicæ passionis memoria duabus hebdomadibus, quo significetur Christum & pro duobus populis, & à duobus populis passum. Populus enim Iudæorum tradidit eum in manus gentium, clamoribusque importunis institerunt, ut crucifigeretur. Populus verò gentium iudicauit eum ad mortem, eumque crucifixit, non aliam habens causam quare ita faceret, nisi quia importunis clamoribus à populo fuit Iudæorum ad hoc impulsus. Cum ergo in Iudæorum concilio decretum fuisset, ut ille foret occidendus, Ecclesia mox incipit passionis Dominicæ celebrare memoriam. Habitum autem fuit concilium hoc post suscitationem Lazari, quem iuxta calculum aliorum gestorum sequentium constat sexta feria proxima præcedenti vitæ restitutum. Post quod miraculum Iudæi conuenerunt, de nocte tractantes Saluatoris. Eo tempore dedit consilium Caiphas, dicens: *Expedit vobis, ut vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat:* vnde ab illo die statuerunt eum interficere. Eam ob rem hodie incipitur planctus maior super Dominica passione futura, quæ iam meditata fuerat à Iudæis & statuta. Cum itaque Dominica hodie passio recoli incipiat, legitur Euangelium rei huic non inconueniens, quo voluntas animusque Iudæorum erga Dominum Iesum declaratur. Ex hoc enim Euangelio ostenditur diu etiam ante à Iudæis necem Domino fuisse meditatam, & ad hanc inferendam sæpenumero eos quæsisse occasionem. Quod totum ex illorum inuidia esse natum, textus quoque huius Euangelij commoustrat. Itaque dicit Ioannes Euangelista:

Dixit Iesus turbis Iudæorum & principibus sacerdotum:  
Quis ex vobis arguet me de peccato?

Iam ante Iudæis eorum vitia exprobrauerat, mendacium, inuidiam, ambitionem & iactantiam illorum taxans, nunc subindicat quoque eos stimulans, quod sibi necem quoque meditarentur. Quod si iuste (ut videri volebant) hoc facerent, necessarium fore ut peccatum in Christo inuentum obijcerent, cuius gratia indignus non esset trucidari, nedum puniri. Dicit ergo turbis Iudæorum, ac principibus sacerdotum: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* scilicet, verè quis mihi peccatum obijciet, quia misistis ministros qui me caperent, vobisque adducerent. Si me quæritis occidere, causam mortis ostendite. Ecce me vestro nunc submitto iudicio, interrogo vos licet hostes meos, & licet vitæ meæ insidiatores, tamen vos illuc inuito, ut si quid quod

FF 3. iuste.

Math. 24.  
Memoria  
passionis  
Christi cur  
seruetur dua-  
bus hebdo-  
madibus.  
Matth. 15.  
Lucæ 21.  
Ioan. 16.  
Ioan. 11.  
ibidem.

Ioan. 7. & 8.  
Ioan. 7.

VI  
21

iuste sit reprehendendum, aut cuius sim verè reus, fuerit in me delicti, producat in medium. Quod cum non poteritis, res ipsa loquetur vos non aliunde, quam malitia & inuidia moueri aduersum me. Satis hic Dominus Iudæos arguit calumniarum, & iniquissimi odij quod aduersus se habebant sui persecutores. Magna fiducia iustitiæ est, magna innocentia, quando hostium se Christus submittit iudicio, iuxta illud: *Et inimici nostri sunt iudices*. Neque enim indocti erant homines, quibus hic loquebatur, nec viles. Cui si quid potuissent contradicere, procul dubio illud obiecissent. Hoc certè nemo nostrum posset dicere, qui sumus in peccato licet alieno, & concepti & nati, & in proprijs delictis nostris enutriti. *Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Dicit etiam Psalmista: *Dominus quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Cui respondetur: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*. Item quæ: *Inno. ens manibus & mundo corde*. Quia verò nihil horum in nobis est (Sumus enim inquinati omnes) ideo primo datus est nobis baptismus, deinde poenitentia, quibus mundemur à peccato. Solus ergo Christus dicere potuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato? quia illum decuit esse absque peccato, qui pro aliorum se peccatis voluit ac debuit interponere mediatorem*.

Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Si, id est, quia veritatem vobis dico, quare non creditis mihi? Semper credendum est veritati, contra hanc enim nulla est dissimulatio. Prædico vobis Euangelium salutis, & quomodo efficiamini filij Dei, doceo vos. Confiteor me Filium Dei esse, & vestra peccata (quandoquidem ipsi neque corrigere, neque advertere vultis) obiurgare non desino, quo à via perditionis ad viam vos reuocem salutis, quare non creditis mihi? Neque enim creditis, qui non ad obediendum, sed magis ad me occidendum animos vestros paratis. Multa fuerunt (tamen si difficultas fortasse vlla sese objeceret credituris) quæ testimonium perhibuerunt Christo ipsum esse Messiam, quæ profecto veritatis erant argumenta tam efficacia, vt his non posset contradici, quin ad credendum pias mentes euincerent. Omnes namque palam erant scripturæ, & prophetarum testimonia de Christo venturo. Impletum præterea erat tempus expectationis humanæ, iuxta prophetarum vaticinia, & iuxta calculum Danielis, quare non modo inuestigandum erat, an natus esset Christus, sed potius vbi esset natus. Accedebat præcursoris multiplex, clarumque testimonium. Ad quem studiose miserant Pharisei interrogandum de Christo. Aderant denique Christi miracula, & signa, quæ faciebat virtute propria. Discipulorum quoque miracula in nomine ipsius Christi Iesu facta id ipsum testabantur. Hæc itaque quid aliud loquebantur, quid sentire & fateri aliud cogebant, quam Dominum nostrum Iesum, Christum esse & Dei Filium? Adde iam, quod innocentia vitæ eius, quod puritas, sanctitasque prædicationis eius, quod denique constantia & zelus, quem pro veritate, & iustitia gerebat, satis testabantur eum esse Christum. Quia ergo veritatem (inquit) vobis dico, & nullum, quod verè mihi possit obijci, in me est peccatum, non ex mea parte seu culpa, sed ex vobis ipsis est, quod non creditis mihi. Quomodo?

Deut. 32.

Psalm. 50.

1. Ioan. 1.

Psalm. 14.

Psalm. 11.

August.

Messia Christum esse quæ testimonium perhibuerunt.

Acto. 1.

Daniel. 9.

Matth. 3.

Luc. 3.

Ioan. 1.

Matth. 11.

Luc. 10.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Qui est ex Deo tanquam Dei amicus per fidem, & per gratuitum amorem, hoc est, per charitatem eidem coniunctus, ut id ipsum cum eo, & velit, & nolit, hic verba Dei audit delectabiliter, & obedienter. Propterea vos non auditis, id est, hæc sola & præcipua est, quare non audiat me, causa, quia ex Deo non estis. Hoc tamen intelligendum est, non ut ex Deo non fuisse putentur Iudæi secundum esse naturæ (omnia enim hoc modo sunt à Deo) sed quod per esse gratiæ, seu gratuitum non erant ex Deo. Per prædestinationem namque, per reformationem gratiæ, per imitationem quoque diuinae bonitatis fit, ut alij sint ex Deo, alij non sint. Qui enim natus est ex Deo, inquit Ioannes, non peccat, peccatum scilicet ad mortem, hoc est, in peccato non perseverat vsque ad mortem, quoniam semen Dei manet in eo, & generatio seu prædestinatio Dei conseruat eum. Non potest enim de hoc mundo aliter emigrare, quam Filius Dei. Hoc loco admonemur non parum, nec vulgariter timere, si Dei sermones non diligimus, si non seruamus iuxta Christi verbum, ex Deo nos non esse. Sunt autem in triplici genere hi, qui Dei verba non audiunt, vnde se ipsos agnoscere possunt, ex Deo se non esse. Sunt enim qui prorsus audire contemnunt Dei verbum, aut ut rem infructuosam æstimantes, aut circa alia occupati, in quibus eorum genus infectus est, ut aliud eos interim non delectet. Sunt alij, qui Dei verbum audiunt, sed nihil eos delectat, nil afficit, nil mouet, terret, aut allicit, vnde Dei obediunt verbo. Tertij sunt, qui audiunt & delectantur, sed cum illud perficere debeant opere, Dei verbum rejiciunt. Nemo tamen est temere iudicandus, nemo contemnendus, aut desperandus, quia qui forsasse, hodie non audit, cras aut aliquando adhuc audire incipiet cum desiderio. Et contra: Quem hodie delectat audire, cras aliquando ve non delectabit. Propterea omnia aguntur hæc in secreta scientia Dei, nos autem latent, quoniam iudicia Dei abyssus multa.

Responderunt igitur Iudæi, & dixerunt: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Quia nihil vitiorum ei poterant obijcere, ad contumelias (quod perpetuum erat eis refugium) se convertunt: Nonne bene dicimus? Subindicant non iam solum se dicturos, sed dicere etiam astutos, idque iuste, quod esset Samaritanus, id est, partim Iudæus, partim non, qui quod vellet obseruaret, vbi non vellet, ad morem Samaritanorum Iudæorum legem, eorumdemque obseruantias contemneret. Et dæmonium habes. Quali dicerent: Recte sentimus te dæmonium habere. Neque enim diuina id virtute tibi vultu venit, ut secreta cordium agnoscas, sed diabolo reuelante, cui confederatus es, quæ meditatur, agnoscis. Huius enim adiutorio facis, quæcumque facis. Nouerant, hi qui eum vocabant Samaritanum, natum esse Iudæum, sed ex contemptu, quia sabbato infirmos curabat, ut desertorem legis Samaritanum vocabunt. Samaritani non erant ex stirpe Israel generati, sed transfati ex Assyriorum gente in Samariam, in locum filiorum Israel, qui fuerint.

FF 4 quos

1. Ioan. 3.  
Verbum Dei non audientium genus triplex.

- I.
- II.
- III.

Ioan. 9.  
4. Reg. 17.  
Samaritani qui fuerint.

quos Salmanasar rex Assyriorum transfulerat in terram Assyriorum, & pro illis suæ gentis homines in Samariam transfuderat, qui vocabantur Samaritani, cum origine forent Assyrij. Itaque hi Samariam incolentes à bestijs impugnabantur. Quapropter consultum eis fuit, vt Israelitarum, qui ante habitauerant ibi, ritus, Deumque colendi modos imitarentur, vt sic à bestijs liberarentur. Quod vbi fecissent, à bestijs sunt voracibus liberati. Itaque legem Mosi quidem & libros eius receperunt, sese quoque circumciderunt, sed nihilominus simul colebant idola. His itaque comparabant Christum, ipsum vocantes Samaritanum, qui non sincerè obseruaret legem Mosi.

Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos in honorastis me.

Ioan. 8.

Dominus Iudæorum calumnijs respondens: Ego, inquit dæmonium non habeo. Vide quam humiliter respondet, quam mansuetè, quam benignè. Ante Euangelium hoc scribitur, quod gloriati fuerant se filios esse Abrahamæ liberos, & nunquam seruituti alicuius obnoxios, quam obrem dure obiurgauerat eos Dominus, dicens, nihil prodesse illis propaginem carnis, aut feminis translationem, quandoquidem Abrahamæ non imitarentur virtutem. Neque enim ea, quæ ipsi faciebant, fecit, ait, Pater Abraham. Quare ab illo nimis dissentunt opera eorum. Non igitur rectè eius possunt dici filij, nisi sint etiam ipsius virtutis ac fidei imitatores, imitatione. Iure itaque (vt dixi) de hac eos iactantia obiurgat, pro gloria & Patris sui honore zelans. At modo vbi contumelijs ipse grauatur, quam benignè respondit, docens nos pro Dei honore fortiter zelari, respondere constanter & prudenter, & Dei defendere honorem. Porrò vbi pro seipso alicui nostrum zelandum est, ibi mansueti debemus esse, misericordes & humiles. Vult nobis quoque pari modo virtutem mansuetudinis esse commendatam, vt eo tempore, quo ab aduersarijs contumelias recipimus, eos non corripiamus, ne vtrinque exasperati, aut nos deliquimus excedentes modum, aut illi acriter sauiant. Est præterea alia ratio, cur eos, qui maledicta in nos iaciunt, non arguamus. Tunc enim & qui increpantur, & hi, qui audiunt, faciliè exultant ex appetitu vindictæ hanc procedere correptionem. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum. Quare duabus sibi contumelijs obiectis, ad vnam tantum respondet Dominus, ad alteram tacens dissimulat? Dissimulat enim, quod vocatur Samaritanus, nec ad hoc respondet. Superfluum enim erat respondere, se non esse Samaritanum, quia nemini non esset manifestum ipsum esse Iudæum natum. Nec etiam pro præbro aut conuicio id accepit Dominus, licet illi ex intentione hæc dicerent, quo opprobrio illum adficerent, eum vocantes Samaritanum. Nemo enim propterea melior neque vilior, si corporali fuerit natiuitate, vel de parentibus natus Samaritanis, vel Iudæis. Docuit igitur nos non irasci, nec respondere, si quando ad nostri vituperationem dicatur de nobis id, quod culpam non habet. Verbi gratia: Non est contumeliam sustinuisse, nec inde turbari debemus, aut moueri, si dicat nos quis elemosynam comedisse, si ex pago & de agrorum colonis natos, si dicat deformes, si dicat in-

Maledictus  
res cur non  
sint arguendi.

suauem

suauem nos habere vocem, si gibbosum, aut si monoculum eum, qui altero caret oculo nominet, quia hæc omnia sunt, quæ culpam habent nullam, de quibus nemo quoque debet erubescere. Sed honorifico Patrem meum, quod non facerem, si dæmonium haberem, ille namq; minimè honorat Deum. In hoc autem honorifico, quod homicidas & mendaces arguo, dicentes se Abraham & Dei filios. Longissimo enim à se intervallo distant illorum vita & opera Dei aut Abraham. Quippe cùm Deo ex diametro mendacium & homicidium repugnent. Diaboli magis est horum patrem esse, qui mendax fuit ab initio, & mendacij pater. Iactauerant enim se paulo ante, quòd Patrem haberent Deum, Abrahamque essent filij. Ideo arguerat eos Dominus: Si Dei, aut Abraham essent filij, eorum opera imitando perficerent. Iam verò conuincerentur ex patre esse diabolo, cuius opera imitando vellent perficere. Et vos inhonorastis me contemnendo, atque opera Dei diabolo adscribendo. Videtis quomodo, cùm malediceretur Iesus, non maledicebat, conuiciantibus tam mansuetè respondens, quo docuit nos quoque, ne vincamur à malo, sed in bono vincamus malum, reddentes pro malo bonum, & iræ exagitationem superemus. Quod solus is poterit, qui fuerit humilis. Ille enim solus non sentit contumeliam, quisquis suam non amat gloriam.

Ego non quero gloriam meam: est qui quærat & iudicet.

Ego me non ostento, nec gloriam quero, sicut diabolus facit, qui se quærit adorari, cultumq; sibi fieri, cùm nihil sit, ideo nihil concordia, conuentionisque mihi est cum diabolo. Est qui quærat & iudicet, Pater scilicet meus cælestis, qui honorari non potest, nisi honoretur & Filius, sicut ipse testatur idem: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Obserua itaque quod per tria purgare se vult Dominus, quod dæmonium non habeat. Primo, quia Patrem honore colit. Secundo, quia suam gloriam neque amat, neque quærit, vt homo. Tertio, quia Pater cælestis filij sui gloriam quærit, & iniuriam vindicat. Horum nullum non potest non satis efficax præbere testimonium, quod Dominus dæmonium non habeat. Vides hic quia Christus gloriam suam, quæ illi debetur, non quærit? Num igitur tibi licet, aut congruum est, vt quæ tua non est, nec tibi debetur, quæras gloriam, peccator vilis? Aut vt dominari, seu præesse, regere, inaniter extolli velis? Proinde vide, ne tu quoque propterea ad Christum non pertineas, sed ad diabolum, cui ex vicijs tuis, quàm Christo es similior.

Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.

Quo magis erudire Christus cupiebat populum hunc duræ ceruicis, eo magis dæmone pleni furebant. Quicquid enim Christus loquebatur, veritas erat & mansuetudo. Quicquid illi respondent, blasphemiam sonat. Dicit enim Iesus: Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, scilicet per fidem, charitatem, & obedientiam, mortem non videbit in æ-

GG ternum,

ternum, id est, mortem animæ non experietur in æternum. Loquitur enim de morte, non qualicumque, sed de ea quæ est animæ, quæ à Deo separatur anima. Illam namque huiusmodi homo non videbit mortem in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia demonium habes, qui tam stolidè, tamque præsumptuosè mentiris, tantum tibi arrogans, omnibus impudenter se præferens. Abraham pater noster mortuus est, & Propheta, quibus fuit nemo maior. Hi sermonem seruauerunt Dei, & tamen nihilominus mortui sunt. Et tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Proh insaniam. Quis enim tu es, pauper homo, & filius fabri, vt tanti facias sermonem tuum, dicasque eum non moriturum, quisquis tuum sermonem seruauerit? quandoquidem sanctus Abraham, qui Dei licet audierit sermones, non tamen quin moreretur, seruatus est. Quasi verba tua maioris forent efficaciam, quàm Dei.

Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Et Propheta mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus, qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus noster est: & non cognouistis eum, ego autem noui eum. Et si dixerò, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.

Si ego glorifico meipsum, id est, gloriosum & magnum prædico me, quasi non à Patre, sed à meipso, quicquid habeo, habeam, gloria mea nihil est, id est, nullius momenti, maximè iuxta opinionem vestram, qui solum hominem, fabrique filium me putatis. Est Pater meus, scilicet cælestis, qui glorificat me, id est, gloriosum facit in operibus, signis, virtutibus, & testimonijs, puta qui dixerat de me baptizato? *Hic est Filius meus dilectus.* Quem vos dicitis, id est, de quo dicitis, quia Deus noster est, qui nos pascit, regit, ac tuetur, nosque ei cultum vt Deo vero impendimus. Et non cognouistis eum sub ratione Patris, quia Trinitatis mysterium ignoratis. Aut non cognouistis eum, quia factis, hoc est, pessimis vestris operibus negatis illum. Aut non cognouistis, vt cognoscendus est, quia seruitis ei pro commodis temporibus, vt serui, non vt patri filij. Ego autem noui eum omnibus modis prædictis. Et si dixerò, quia nescio eum, ero vobis similis mendax. Sed scio eum, scientia æterna & increata, & sermonem eius seruo, id est, voluntatem eius facio opere & veritate. Deinceps ad verba eorum: Nunquid tu maior es patre nostro Abraham? respondet.

Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.

Abraham pater vester exultauit, id est, cum læta, hilarique fiducia optauit diem meum, scilicet videre. Quo perspicuum est, illum minorem me esse, qui optauit videre diem meum, id est, tempus aduentus mei, passionis que mex, quia in carne mea redimam mundum. Et vidit, & gauisus est. Quando vidit? Per fidem vidit incarnationem Christi, quam putatur intellexisse, cum audiret: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Aut ad minus per re-

Matth. 5.

Matth. 6.

Matth. 3.

Lucæ 3.

Gen. 1.

relationem Ioannis Baptistæ in limbo vidit, id est, didicit Passionē Christi quoque dici potest vidisse in figura, quando Isaac filium suum immolare voluit, quo tamen saluo atque incolumi ad Dei iussione manente, hircum harentem cornibus pro eodem Deo obtulit.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dicit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

Non intelligentes verba Christi Iudæi pleni furore, fremdebant aduersus Iesum. Inuidia namque eos excacabat. Quamobrem Christi verba nisi literaliter tantum intelligere non potuerunt. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Quare non dixerunt: Triginta, aut quadraginta annos nondum habes? sed de quinquaginta loquuntur. Respondetur iuxta Chrysostomum, Dominum Iesum tenerimæ fuisse complexionis ac nobilitatimæ, atque ideo propter multijugem laborem, propter paupertatem & parsimoniam, & propter calidæ regionis illius intemperiem, annosiorē, quam erat, apparuisse. Amen amen dico vobis: Non vincitur pietas, sed li-  
Sapient. 2.  
Chrysost.  
Exod. 1.

audens se Filium esse eius, qui dicit: *Ego sum, qui sum*, esse suæ æternitatis, quod neque præteritum habet, neque futurum, insinuans.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiit de templo.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, ceu in hominem blasphemum, qui se æquaret Deo. Ipse autem nolens exercere potentiam, sed patientiam, abscondit se, id est, inuisibilem, seu non cognoscibilem se per diuinitatem reddens, exiit de templo, mallens gloriosius iniuriam patiendo fugere, quam respondendo superare. Voluit enim blasphemis istis subducere furoris occasionem, ne ante tempus tantum flagitium committerent, quia nondum venerat hora eius. Dominus idem noster Iesus Christus imitatis ac patientiæ suæ nos faciat imitari hoc exemplar, quod est in se, nobisq; imitandum constituit, qui est benedictus in secula.

## SERMO IN EADEM DOMINICA.

*Quando liceat ab infamia se purgare, & quibus aduersus suos hostes remedijs Christus fuerit usus.*

**Q**uæ ex vobis arguet me de peccato? Ioannis VIII. Occasionem huius verbi Christus Dominus noster accepit ex præcedentibus, quæ gesserat & locus fuerat coram Iudæis, qui magna moti inuidia contra eum, quærebant ipsum interficere. Quod vt liberius auderent, tentabant, quibus poterant eum dolis & quæstionibus circumuenire, vt exorsum illum facerent populo. In festo itaque scenopegiæ in ultimo die cum vehemēti zelo prædicasset, & varius esset rumor in populo de eo: aliorum dicentium eum Prophetam, aliorum Christum, aliorum id negantium & obstrepentium, dissensio facta est in turba propter eum. Itaque cum Pharisei audirent turbam, id est, aliquam partem turbæ murmurantem de illo, mise-  
Ioan. 7.

runt ministros vt apprehenderent Iesum: sed nemo in illum misit manua. Quin potius ministri redeuntes & à pontificibus & Phariseis, quare non secum adduxissent Iesum, interrogati, responderunt: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur. Iram igitur in illos, & postea etiam in Nicodemum, qui pro Iesu loquebatur, Pharisei ad aliam calliditatem versatissimi se conuerterunt. Siquidem mulierem in adulterio deprehensam pijsimo Domino adducunt, interrogantes, quid illi iuberet faciendum: quandoquidem huiusmodi lapidare iussisset Moses. Putabant enim sapientissimo Domino se struxisse decipulam, vt qualitercunque responderet, calumniandi haberent occasionem, praberetur quæ sibi ansa turbam in illum insidiandi. Siquidem si iuberet adulteram absolui, contra legem (vt sæpe solebant) illum agere clamarent: Si lapidandam diceret, durum & immiseri-cordem calumniarentur. Sed eorum reia Christus Dominus disrumpens digito scribebat in terram: Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat. Proinde confutati omnes discesserunt. Post hæc autem, quum multis verbis eorum cæcitatem & duritiam arguisset, etiam hoc illis obiecit, quod se odio habebant gratis, & ex odio moti, quærebant eum occidere, quod iam aliquoties tentauerant quoque, licet nihil præualuerunt. Inde ergo in hæc verba incidit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si occidere me quæritis, ostendite iniquitatem in me, quare sim occidendus. Ne sciamus enim est quemuis occidere innoxium, & à peccato mundum. Per hæc itaque & sequentia purgat se, reum scilicet se non esse mortis, sed veritatem docere, Patris sui gloriam quærrere, nihil denique miraculorum cum dæmonibus inuocatione, aut eius auxilio seu virtute operari.

Purgatio sui  
ab infamia  
quando li-  
cita sit.

Primum itaque est, quod nos in hoc Evangelio docet, licere nobis, vbi infamia nos premit iniusta, aut vbi grandem patimur iniuriam, nos purgare, rationem reddere, & nos ab iniusta infamia cum veritate excusare. Laudabile namque est, vbi iniuste aut falso quis infamatur, præsertim si infamia non leuis fuerit, se excusare & purgare. Idque tunc maximè. Primo, quando fama periclitatur innocentis. Siquidem multa sunt, propter quæ vituperamur, quæ quum non sint contra famam, nõ oportet ea omnia excusari. Hæc enim leuia multo excusat melius patientia, aut dissimulatio, aut humilis confessio, quæ honoratum faciunt hominem quàm excusatio, accurataque defensio. Quando enim accusationes sunt, quæ nõ grauitè lædunt, aut si vituperia sunt, quæ animam non inquinant, multo magis ædificabis auditores, si humiliter te propugnes tacendo, quam si digladiando, contendendo, irascendo, atque defendendo nifus fueris te purgare seu iustificare. In huiusmodi enim semper periclitatur humilitas, periclitatur charitas, periclitaturque patientia, quarum cura sapissime maior est habenda, quàm opprobrijs pellendi, vnde non nimium grauat fama, nec adeo grauat, quin maior vtiliorque fructus ex patientia & humilitate proueniat, quibus infamia quoque, si leuis est, aboletur. Verum hoc sola potest humilitas. Quando enim hoc superbo possit persuaderi? Porro, si quid, quod famam grauitè lædit, obiectum fuerit, quum fama sit nobilissimum in rebus temporalibus (scriptura dicente: *Melius est nomen bonum, quàm diuitia multe*) detergendum est illud spongia purgationis, Quomodo enim

Ex. quer. 2.

nim defendere licet rem, temporalem, ita multo magis famam. Quae ubi  
 semel amissa fuerit, vix recuperabitur. Duæ namque res nobis sunt, di-  
 citur Augustinus, necessaria conscientia & fama. Conscientia necessaria no-  
 bis est, fama proximis nostris. Quamobrem Apostolus quoque ait: *Provi-*  
*dentibus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Secun-  
 do licet excusare se & purgare, ut lingua detrahentis emēdetur. Multa enim  
 mala infert detractor & sibi & audientibus. Plerumque enim parum aut  
 nihil nocet detractor ei, cui detrahit, non potest autem detrahēdo non sem-  
 per nocere, & sibi & audientibus. Cui verò plus noceat, num sibi an audi-  
 entibus, dubitat Bernardus, sic dicens: Detrahēdo & detrahētem audire, quid  
 horum sit damnabilius, non facile dixerim, quia uterque portat diabolium  
 sub lingua. Detrahens præterea pestilentior quàm vipera. Tres enim si-  
 mul inficit vno flatu, puta seipsum detrahentem, eum cui detrahit, & au-  
 dientem se. Multa alia mala lingua detrahentium efficiunt. Quare expedi-  
 tiores confitari & vinci, quo minus noceat. *Susurrone, enim subit aelo, iurgia*  
*conquiescunt.* Tertio licet expedire se purgare, quando scandalum im-  
 mune pusillus. Scandalum vocatur, quando delinquendi datur occasio seu  
 causa ex re mala aut illicita, seu mali speciem habente. Quod semper, ubi-  
 que id fieri potest, amputandum est. Quocirca, quum Christo Iudæi duo  
 falso impingerent, puta quod esset Samaritanus, & quod dæmonium ha-  
 beret, alterum excusavit, alterum dissimulans tacuit. Samaritanum enim ef-  
 fe, tamen coram Iudæis foret probrosum, non tamen erat malum, ideo Ie-  
 sus ad hoc probum nihil respondens dissimulavit. Porro dæmonium ha-  
 bere Christum, illiusque confederatione seu virtute morbos curare, mi-  
 racula eius adiutorio facere, scandalizaret vehementer, noceretque saluti no-  
 stræ de Christo id credere. Quamobrem Christus de hoc se purgavit. Tria au-  
 tem sunt, in quibus Christo Iudæi detrahebant. Primo nitebantur innocen-  
 tiam eius detrahere, quo infamarent illum, dicentes eum peccatorem. Idcirco  
 caeco illi à Christo illuminato, Christumque egregie defendenti, Pharisei  
 dicebant: *Nos scimus quia hic homo peccator est.* Et alibi: *Ecce homo vorax & pota-*  
*tor vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Secundo detraxerunt eius eru-  
 ditioni, quia dixerunt eum seductorem. Quod scribens Ioannes, *Multus,*  
*inquit, erat murmur de eo. Quidam enim dixerunt quia bonus est, alij verò non, sed se-*  
*ductur turbas.* Si quidem coram Pilato quoque inter præcipua hanc accusatio-  
 nem locaverunt, quod non doceret, sed seduceret turbas. *Hunc* (inquiunt)  
*invenimus subvertentem gentem nostram.* Ad hæc autem calumniose illum etiam  
 mendacij infimulabant dicentes: *Tu testimonium perhibes de teipso testimonij*  
*tuum non est verum.* Tertio detrahebant eius virtuti & miraculis. Hæc enim  
 omnia erant quæ confirmare debebant veritatem prædicationis, & Euange-  
 licam salutem, quæ nobis offerebatur à Christo. Ipsi verò diabolica frau-  
 de instructi his omnibus, quæ nos iuvare debuerant, contradicebāt, obstre-  
 pebant, detrahebant, calumniabantur & iniquè pervertebāt. Si enim Chri-  
 sti nova lex, eiusque Evangelizatio nobis esse debeat salutifera, necesse erat  
 ut essent vera quæ nobis dicerentur, ut etiam is qui doceret nos, esset san-  
 ctus & innocens (quomodo enim credam, ut bene doceat, malè viventi?)  
 ut denique nos salutaria doceret, quibus nos à via veritatis, & à Deo non

Augustin.  
 Roma. 12.

Detrahitio  
 quantum  
 noceat.

Bernar. lib. 2.  
 de consider.

Prouer. 24.

Scandalum  
 quid sit.

Ioan. 8.

In tribus  
 Christo Iu-  
 dæi detra-  
 hebant.

Ioan. 9.

Matth. 11.

Ioan. 7.

Ibidem.

Lucæ 11.

Ioan. 4.

Hebr. 7.

GG. 3. abdu-

abduceret, sed ad eundem nos reduceret. Postremo, quum difficultas posset prægrandis, & scrupulus vexare Iudæos, quo fortasse videretur, quia Christo non crederent, excusandi, puta quod sibi non liceret de his, quæ per Moysen à Domino nouerant sibi tradita atque iam recepta, quædam relinquere & noua assumere (Neque enim ignorabant vetera hæc priora olim placuisse Deo & fuisse bona) ideo opus erat illis videre testimonia diuinæ virtutis, voluntatis ac beneplaciti eiusdem, quo horum quæ docebat Christus, veritas probaretur. Ideo quamuis satis vitæ innocentia suum Euangelium fulciret Christus, & ea tantum, quæ iustissima & legi naturæ maximè sunt consentanea doceret: tamen quia illa omnia Pharisei calumniabantur, & à diabolo suo præceptore ac magistro excitati omnem prædicationis, omnemque operum Iesu fructum nobis moliebantur adimere, adhibuit simul miracula & signa Christus, opera faciens, quæ præter Deum nemo alius possit, quibus prædicationem suam confirmaret. Veruntamen nihilominus adhuc signis & virtutibus eius diuinis detraxerunt pessimi illi, tribuentes ea potestati diaboli, in cuius nomine, virtute seu consensu ipsum Christum dicebant facere ea, quæcunque turbæ quasi diuina mirarentur. Itaque Christi detrahebant miraculis, dicentes illum dæmonium habere, & in virtute illius, dæmonibus alijs, infirmitatibusque Christum præcipere. Sæpenumero enim Christus illis loquebatur alta & sublimia, quæ non intelligebant. Sæpenumero quoque opera ex potestate diuina agebat, quæ facultatem humanam excedebant, nec minus frequenter secreta cordium eorum manifestabat. Ideo hæc omnia tribuebant diabolo, existimantes quod cum eodem pactum haberet Dominus Iesus, cuius vigore hæc omnia efficeret. Neque enim adeo erant imbuti Spiritu sancto, vt crederent eum diuina propriaque virtute hæc operari posse, quos inuidia tantum excæcauit, vt quicquid operabatur, quod virtutem excederet humanam, hoc diabolo ascribebant, Christoque detrahebant. Moliebantur enim ea omnia destruere, quibus Christi prædicatio potuit fulciri, ac vera probari. Sed quid Christus contra eos fecit? Num iussit ignem descendere de caelo, qui eos consumeret? Nunquid terræ mandauit vt eos deglutiret? Minime. Quid igitur fecit? Quinque usus est remedijs ipse contra Iudæos, quæ non quoque contra iniurias, si quas patimur, tenenda docuit. Primum fuit patientia. *Melior enim est pateriens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Secundum fuit silentium. Ad multa enim conuicia nihil respondit, maximè vbi manifesta erant mendacia, aut si vera etiam fuissent, culpa tamen & vitio hæc animi carebant. Hoc modo ad conuictum quo Samaritanum eum nominabant in hodierno Euangelio tacuit ne contentionis illis materiam præberet vberiore. Itaque maluit Samaritanus vocari, quam contentionem fouere Iudæorum. Tertium fuit responso molli & pacifica. *Responso enim mollis iras mitigat.* Quamobrem vbi respondendum erat, tam mansuetè benigneque respondit, vt magis iram alienam eius verba sedarent, quam prouocarent. Quartum fuit ab hostium suorum oculis se subducere, ne grauius in illum delinquerent. Sæpe enim conuenit hostium suorum furori cedere, & eorum sese oculis subtrahere, interim in aliam regionem aut locum diuertens, donec illorum acquiesceret

Ioan. 7.

Sapientia. 1.

Lucæ 9.  
Deut. 11.  
Psalm. 105.  
Remedia  
Christi quin-  
que contra  
iniurias.  
Prover. 19.

Ioan. 6.

Prover. 15.

Ioan. 7.  
Ioan. 6.

infantia. Quintum fuit pro malis bona retribuere, pro conuitijs reddere instructionem, pro persecutionibus beneficia, pro malevolentia benignitatem & charitatem. Hæc sunt arma sanctissima, quibus omne genus hostium expugnatur, atque inuidia sternitur. Quid tibi nocet vermicule, si contumeliam tibi quis irrogat? An soli tibi irrogatur? Nonne Christus contumelias pertulit & tacuit? Nunquid tu vis esse Christo aut melior aut dignior? Christus patitur & tacet, & tu quæris vindictam? Legimus de quibusdam philosophis, qui ingenti mansuetudine præditi iniurias ac contumelias non minus fortiter, quam æquanimiter tolerarunt. Quapropter cum quidam à vilissimo quodam homine conuitium pateretur, interrogatus quomodo hoc tolerare posset: Si, inquit, asinus pede me calcasset, nonne tolerarem? Non ergo tolerabo ab homine, quod ab asino tolerandum erat? Sic ethnicorum philosophi virtuti studebant, quibus tamen nulla erat reposita corona iustitiae à Deo percipienda, quandoquidem finem, in quem opera aut virtutes suas dirigerent, nesciebant: & nos Christiani, quibus, si vel calicem aquæ frigidæ cuiquam tribuamus, merces aeterna à Deo retribuitur, nõ

Math. 50.

anhelabimus ad virtutes? Charissimi igitur filij parum est quod de philosophis legimus, quorum virtutes sunt, vt opera mortua. Nobilius habemus exemplar in Christo Domino nostro omnium virtutum, quod imitemur, non solum ad utilitatem nostrâ, sed etiam, imo multo magis propter voluntatem eius, & ad honorem ac gloriam ipsius, qui est benedictus in secula, Amen.

DOMINICA PALMARVM EPISTOLA BEATI Pauli Apostoli ad Philipenses II.

**H**oc sentite in vobis quod est in Christo Iesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genua flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**L**ectio huius epistolæ Christi explicat humilitatem & patientiam, quibus per passioem à Patre exaltatus est ad gloriam, ad cuius imitationem hic inuitamur. Quare congruè huic Dominicæ est applicata. Dicit itaque Apostolus: Hoc sentite in cordibus vestris, hunc sentiat anima vestra affectum humilitatis & patientiæ, qui in Christo Iesu iuxta humanam naturam fuit, vt quemadmodum ille humillimus, patientissimusque fuit, nec quæ sua, sed quæ aliorum erant, quæ fuit, ita vos quoque in vobis hunc animum sentiat ad humiliationem, charitatem, patientiamque pacatissimum.

Math. 11.  
Zach. 9.

Hic nanque Christus cum in veritate Deus esset, vnus cum Patre essentia atque nature, non rapinam arbitratus est, hoc est, non vsurpatione rei esse credidit alienæ, si quod verè est, assentit se æqualem Deo. Et quamvis hoc ita sciret & tantus esset, exinaniuit tamè semetipsum, formam serui accipiens. Non reliquit quod habuit & quod fuit, sed quam ante non habuit naturam humanam, assumpsit. In similitudinem hominum factus, nec tamen hominibus tantum similis, sed verus etiam homo, pura non amittens quod erat, & assumens quod non erat, sustinens omnes indigentias, molestias, infirmitates; hominum absque peccato, hoc est, passibilitatem, non vitia. Et habitu, id est, exteriori manifestatione visibilem se atque sensibilem exhibens, vt eum qui creditur & est Deus, videtur tamen sentiturque ac creditur simul homo. Hic Christus humiliavit quidem semetipsum, & factus obediens Patri secundum naturam humanam, vt quemadmodum per Adæ inobedientiam perieramus omnes, ita eius obedientia saluaremur. Fuit autem non leuiter obediens, sed vsque ad mortem: nec ad quancumque mortem, sed ad mortem crucis, hoc est, ad dolorosissimam, acerbissimam, ignominiosissimamque mortem. Cuius rei gratia, quia ita se, cum tantus esset, humiliavit, vt vltra humiliare non posset, ideo Deus quoque adeo exaltauit illum, vt vltra aut magis exaltare non posset. Nam donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt scilicet Christus homo, quomodo est, ita vocetur quoque Deus. Et quanquam ab exordio incarnationis hoc illi dederit Pater, post resurrectionem tamen & ascensionem illius, tunc primum rectè satisq; mundo manifestatum innouit, vt in nomine Iesu Dei & hominis omne genu flectatur, omnis potestas se humiliet atque subiciat, cælestium, terrestrium & infernorum, hoc est, Angelorum, hominum & dæmonum, & omnis lingua, id est, vniuersa creatura, quæ Dei habet agnitionem, confiteatur vltro, quia Dominus Iesus in gloria est Patris, eiusdem maiestate, natura & gloria coequalis. Videsne quam expresse reuerentiam Christo dicit exhibendam, tam confessione interna siue mentali, siue (vbi ita expedit) etiam vocali, quam corporali quoque genuflexione seu adoratione? ne Erasimiani & Lutherani dicant internam sufficere pietatem erga Deum, tamen si corpore aut in homine exteriori nihil exhibeatur, quasi anima tantum, non corpore etiam esse deberemus Christo subiecti, aut quasi corporis humiliatione non esset nobis Saluator noster agnoscendus, cum non animam tantum, sed corpus & animam creauerit, redemerit & saluator sit.

EXEGESIS EUANGELII DOMINI  
nica *Palmarum*, *Matthæi XXI.*

**I**N hac Dominica multa in officio diuino miscentur tristibus læta. Sequatur enim cum palmis processio, qua primo Christi gloriosum introitum in Hierusalem significamus. Nunquam enim ante maiori laude & honore à turbis exceptus est Dominus Iesus quam hac die, quando vltimo Hierosolymæ fines ingressus est, & iam iuxta figuram legis agnus in Pascha immolandus à grege separatus est. Rogo igitur vos, vt attente audiat, quanto honore, & plausu, cum palmis & laudibus receptus sit, vt edema-  
git

Rom. 5.

Augustin.

Exod. 12.

gi vos moueat, quæ sequetur eius passio ad compunctionem, cum audieris eum, qui cum tanta gloria & fauore introductus fuit in urbem, post dies paucos capi, ligari, ex di, flagellari, atq; vt omnium flagitiosissimum extra urbem cum ignominia maxima eijci. Processionem verò sequitur Missa, in qua fere omnia tristitiam compassionemque excitent, puta tristitia ipsa valde. Sic in hac vita quoque nos viraque circundant, vt sola non eueniat tristitia, neque sola læta, sed miscentur, vt ex altero alterum fiat tolerabile, & rursus ediuerso quod dulce foret & abductiuum à Deo, alterius amaritudinis conspersum non adferat homini periculum.

Cum appropinquasset Iesus Hierosolymam, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, misit duos discipulos, dicens eis:

Hierusalem ciuitas multa olim habuit nomina, nec semper vt in Evangelio hic Hierosolyma vocata est. Nam quantum hic nostro congruit proposito, prima dicta est Salem à filio Noe religioso & bono Sem, qui eandem terram adificasse, & primus in ea regnasse. Cui assertioni si quis contradicere volēs eam à Melchisedech constructam, nihil obstat. Siquidem Sem, idem vocatus est quoque Melchisedech: vnde nō duo, sed idem est homo. Deinde vocata est Iebus, vel ab eo qui ampliolem eam ciuitatem extruxit, sic vt quidam putant, vocato, vel ab Iebusais habitatoribus ciuitatis. Inde accidit vt ex compositione vtriusque nominis tandem vocata sit Hierusalem, quasi Iebusalem. Porro à Salomone, quem urbem hanc triplici scribitur cinxisse muro, nouissime vocata est Hierosolima, quasi Hierosolomonia. A poetis verò & historicis ethnicis vocatur plerunque Solyma per abbreviationem. Quum igitur Dominus huic appropinquaret ciuitati, & venisset Bethphage, hoc est, ad pagum seu villam sacerdotum, iuxta radicem montis Oliueti sitam, quæ distabat ab Hierusalem (vt fertur) vna miliarium, misit discipulos suos. Veniebat tunc ex Bethania Dominus, quo die precedenti, hoc est, sabbatho gratissimus suauissimusque hospes adueniret. Cui conuiuium deuotissimæ mulieres Martha & Maria Magdalena intruxerant in domo Simonis leprosi, vbi Lazarus à morte resuscitatus vnus fuit ex discumbentibus. In hoc conuiuio Maria Magdalena suauissima, & indefectibili deuotione plena vnguentum præciosum effuderat super caput ipsius Domini Iesu recumbentis. Inde ergo venit Iesus altera die ad Bethphage iuxta montem Oliueti, id est, oliuis confitum: vnde misit duos discipulos, vt creditur, ex Apostolis. Sæpe legitur Dominus duos simul misisse. Nam & ad prædicandum misit binos & binos, ad commendationem socialis vitæ.

Itē in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus vobis opus habet, & confestim dimittet eos.

Hierusalem castellum vocat, vel propter loci munitionem (hanc enim Salomon triplici cinxisse muro scribitur, & turribus erat centum septuaginta-

Ioan. 9.  
Matth. 16.  
Luca 19.  
Marc. 11.  
Hebr. 12.

Genes. 14.  
Melchisedech quis fuerit.  
Iosue 7.  
Ierusalem vnde ortum habeat.

1. Reg. 1.  
Iudic. 9.

1. Esdræ 1.  
Hieron.

Ioan. 11.

Marc. 8.  
Luca 10.  
Luca 9.

HH      ptuagin-

Lib. 1. Antiq. Judic. 6. **L**ptuaginta quatuor munita, teste Iosepho, absque turribus, quas Herodes construxerat) quia ut castrum videbatur & edificata, aut propter inhabitantium iniquitates despectiue eum castellum nominat. Contra vos est, v. l. ex oppositione loci erat e regione Apostolorum situm. Vel, contra vos est, id est, contrarium vobis. Me enim magistrum vestrum & Dominum persequitur ad mortem. Vos autem me amatis, ideo contraria sunt studia huius studijs vestris. Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum eius. Asina hæc & pullus in usum erant pauperum, qui propria non habebant iumenta, in quorum numerum humillimus Dominus semetipsum constituit, vt verus agnosceretur paupertatis amator. Pullus asinae dicitur, quia de illa asina natus, super quo nemo hominum federat. Soluite & adducite mihi. Et si quis aliquid vobis dixerit, Quare soluitis? dicite: Quia Dominus his opus habet, non dicit Dominus noster, nec Dominus vester, sed simpliciter Dominus, pura vniuersorum, rex Christus & Messias. Et confestim dimittet eos, vbi dixeritis me illis iudicare. Non incongruum fuit humilitati Christi se Dominum appellare, tamen Domini nomen sic indeterminat positum Deo soli proprium, sicut per Elaiam loquitur: Ego Dominus. Hoc est nomen meum, qua hodie ad consolationem & instructionem credentium verbis & factis, tum suis, tum aliorum maiestatem suam voluit declarare. Hodie namque cum magnis laudibus & gloria introductus fuit in Hierusalem: hodie quoque mox vbi templum intrauit, eiecit ementes & vendentes de templo, sicut is qui potestatem habet.

Hoc autem totum factum est: vt adimpleretur, quod dictum est per Zachariam prophetam, dicentem: Dicite filie Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum filium subiugalis.

Dicite filie Sion, id est, populo Hierusalem. Sic enim filie nomine congregatio populi consuevit vocari in Prophetis. Dicitur autem filia Sion, propterea quod templum Domini habitatioque regis erat in monte Sion. Bene quoque dicitur filia, non quod hoc dulci amabiliq; vocabulo digna fuerit Hierusalem, quæ occiderat prophetas & Dominum prophetarum parabat occidere, sed dicitur filia propter multiplicia beneficia, quæ huic populo sunt exhibita, propterque paternum suum affectum quem nunquam destitit huic plebi impendere. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*, hoc est, humilis, & sine strepitu ac pompa tibi veniet, non aureo curru vectus, nec equo nobili, sed sedens super asinam pacis & tranquillitatis amicam, & super pullum filium subiugalis, scilicet asinæ sub iugo domitæ aut assuetæ. Nisi inuidia fuissent exæcati Iudæi, intellexissent Christi aduentum futurum, non tamen opulencia temporalive imperio, sed in mansuetudine & humilitate, iuxta hanc Zachariæ prophetiam, quæ in nostra translatione, qua vitur Ecclesia, & est Hieronymi, sic legitur: Exulta satis filia Sion, iubilans filia Hierusalem. Ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum asinae.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus

sus, & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

Supposuerunt Domino vestes suas, quo mollius honestiusque Dominus sederet. Videant hic qui bona studia operaque calumniantur, quasi nihil possit Deo placere ab eodem non præceptum, qui dicunt omnia adinventiones esse humanas, quæcunque non iussa sunt in Scripturis. Siquidem Apostoli iussi, vt adducerent asinam & pullum, hoc ipsum fecerunt: sed hoc non solum fecerunt, verum etiam quod non fuerant iussi, fecerunt, quia vestimenta sua Domino supposuerunt, & acceptum tamen nihilominus hoc Christo fuit. Non putamus autem absurdum, aut inconueniens, quod Christus Dominus noster, in tam breui itineris spatio primo asinæ, deinde pullo insederit, cum ob mysticam significationem ita voluerit vt utroque. Nam per asinam primo sedens populum significabat Iudaicum sibi subiectum, atq; legi Moisaicæ subditum, ad se pertinere: deinde gentes absque freno & lege petulanter viuentes, per pullum voluit significari lasciuientem. Qui tamen cum sessorem recepit super se Christum, & ipse mansuetus factus est. Itaque ex utroque populo, vnum populum, vnamque Ecclesiam sibi acceptabilem facere volens, sibi subditam atque subiectam, id in duobus ijs iumentis significari voluit. Et idcirco conijcitur primo sedisse super asinam, quæ populum significat Iudæorū. Cui ipse primum, deinde Apostoli quoque prædicarunt, antequam ad gentes se conferrent. Veruntamen non ignoro, quod ab alijs putatur quibusdam primo sedisse super pullum, formantibus sibi rationes quasdam, quod eorum iudicio relinquo. Incertū est enim super quo primo sederit. Et in hac re profecto parum nobis opus est inuestigare, super quo sederit iumento primum. Satis est nobis scire quod vtrumque sit illi adductum, & quod probabiliter creditur, super utroque sederit. Nam Zacharias de asina meminit. Et Euangelistarum nonnulli de pullo referūt. Porro Mattheus refert adductos ad dominū asinam & pullum, & Apostolos imposuisse vestimenta super eos, Christumque desuper sedere fecisse. Quo satis innuitur super utroque sedisse horis successiuis.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cadebant ramos de arboribus & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosihahna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.

Audientes Christum venturum populorum turbæ, quæ ad festum venerant, propter signum magnum quod audierant illum fecisse in Lazaro, exierunt eidem obuiam circumdantes eum, vt alij præcederent, alij sequerentur. Fecerunt autem triplicem illi honorem. Siquidem nonnulli cadebant ramos oliuarum de arboribus, & sternebant ei in via. Alij sua exuebant vestimenta, & prosternebant in via. Alij ramos oliuarum gestabant in manibus. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant: Hosihahna filio Dauid, id est, cantabant filio Dauid, hosihahna, quod est: Salua obsecro, aut Saluum me fac obsecro. In hoc igitur quod dicit Euangelista

HH 2 lista

VI  
21

Zacha. 9.  
Marc. 11.

Ioan. 11.  
Ioan. 12.

lista cantatum filio Dauid hosihahna, vult dicere Christo' attributam potestatem saluandi, & ab eodem postulatam salutem. Aut si ita construitur, vt turbæ dixerint hæc tria verba, voxque Iudæorum sit Hosihahna filio Dauid, sensus est: Nos dicimus filio Dauid: Hosihahna, postulantes ab eodem salutem. Iudæi enim Christum expectabant ex genere Dauid, ideo nominarunt eum, quando Christum voluerunt dicere, filium Dauid. Hieronymus dicit: Hæc significare voluerunt, quod aduentus Christi salus sit mundi. Benedictus qui venit in nomine Domini, id est, benedicatur siue laude dignus habeatur, qui venit in nomine Domini.

Hieron.

Et quum intrasset Hierosolimam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.

Neque enim viderant Dominum Iesum ante sic venientem, nec tantas audierant laudum exclamaciones à turba. Quare dicebant: Quis est hic? Admirantes insolitum concursum, turbæque cum laudibus gaudium, atque adeo puerorum clamantium in templo dicebant: Quis est hic? Turbæ autem dicebant: Hic est Iesus à Nazareth Propheta. Quam iucundum, quamque suauis est audire de gloria Domini, quam gratulantur pia omnium corda Domino Iesu, quod sic honore tanto exceptus est. At vero quam triste est videre, quod tam breuis hæc gloria fuerit, quæ ilico mutabatur in tristitiam. Nam quem sic gloriose videmus introduci, sero iterum exire videbimus ciuitatem. Neque enim quispiam erit amicorum eius, qui audeat illum recipere hospitio propter metum Iudæorum. Itaque turba Christum laudante, & hymnos dicente, pueris quoque in templo hosihahna clamantibus, sola pharisæorum colluies inuidia tabescit. His enim illa rumpobantur, quod turbam sic affectam Christo cernerent, quod tantum illi videbant honorem fieri, quod denique pueros in templo audiebant Christum laudantes (quod multis eorum præter ætatem vsu venerat, quo maior fieret diuinæ maiestatis offensus) & clamantes: Pax in cælo & gloria in excelsis.

Lucæ. 9.

Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes, Hosihahna filio Dauid, indignati sunt & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. Nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.

Psal. 8.

Luc. 19.

Et alius Euangelista addit. *Dico vobis: Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Quod ita factum est. Siquidem in eius morte, dum non solum pueri, sed omnis etiam turba taceret ab eius laude ac confessione, lapides (dum petra scissæ referuntur) clamabant. Postremò vide quam omnia sincere egerit. Non ceptus tot laudibus & honoribus, dum ingressus in templum videret e mentes & vendentes versari in templo, & auaritiæ huiusmodi quæstus ibi agi, zelatus cathedras vendentium, mensas, nummulariorumque euertere, & genus omne hominum huiusmodi eiecit de templo, dicens non hæc iuscemodi esse vsibus domum Patris sui applicandam, sed orationi. In hæc disticamus adulationes, laudes, honores, beneficiaque; nulla suscipere ab hominibus.

Matth. 27.

Marci 11.



laudantes. Quasi dicant: Neque enim decet te hæc sustinere. Nam si (vt apparet) vis iustus & sanctus es, hos plausus vilis plebeculæ, & turbæ sine iudicio clamantis non deberes sustinere. Vide hic Iudæorum dementiam. Dominum magistrum vocant, & tamen arguunt eum, docentque. Nam volunt discipulos & turbam per eum à clamoribus compescendam. In qua re nonne prudentiores se magistro constituunt? Aegrè ferebant reuera Christi laudes, & sibi, quicquid æstimationis honorisve Christo accessit, detractum putabant. Hæc igitur dicentes, non Christi modestiam zelabantur, sed inuidiæ & ambitioni suæ morem gerebant. Tria enim sunt, quæ laudatos, & Phariseos hic in Christi laudibus torquebant. Primum, quod turbæ dicebant eum benedictum, cum ipsi eum peccatorem iudicarent. Scimus, inquit, quia hic homo peccator est. Secundo, quia dicebant eum regem, quem ipsi ne nobilem quidem æstimabant, dicentes eum à Galilæa fabrum & fabri filium. Tertio, quia turbæ dicebant eum venisse in nomine Domini. Ipsi verd non arbitrabantur eum venisse à Deo, sed in principe demoniorum, cuius virtute, si quid miraculorum faciebat, perficeret. Tertia pars huius populi in hac processione fuit ipse Dominus Iesus, qui quantum non oblectaretur plausu & gloria mundana, testatur hoc, quod inter laudes canentium, ciuitatis ipsæ excidium fleuit. Miserabatur enim ciuitatem Hierusalem, quod tam misere erat vastanda, & habitatoribus trucidatis vacuanda. Qua ex reliquet parum illum de honore sibi exhibito cogitasse, qui animarum flebat excidium. Haudquaquam tamen ociose hoc factum putemus, quod honori & laudibus externis fletum ipsæ coniunxit. Sæpius enim ante Hierusalem ingressus est, & quandoque voluit, compassionem potuit & fletum tristitiamque aduocare. Neque enim ei, quomodo nobis dominabantur passionibus, sed ei seruiebant. Igitur quando voluit, sensit, quando noluit, à se iterum repulit. Quod ergo hoc tempore lamentum super Hierusalem accepit, non propter se, sed propter nos fecit. Illi enim quid conferre aut nocere poterant laudes humanæ? Sed videt, quid nobis noceant.

Laudatus ab alijs ne extollatur, quid agere debeat.

Prover. 1.

Eccle. 11.

Lucæ 19.

Prover. 14.

Quamobrem ipse fecit, quod nos facere docuit, si quando in gloria aut plausu hominum fuerimus constituti, ne gloria nos mundana extollat. Debemus namque tunc tristitia ad memoriam reuocare, quam viles scilicet sumus, quam fragiles, quam mortales, quam paucis rectè cogniti, qui non meliora, quam par est, de nobis sentiant, quam continuè rebelles & ingrati sumus Deo. Quod certè si faceremus, parum tunc nos delectarent fauor & honor mundanus. Scriptum namque est: *Prosperitas stultorum perdit eos*. Et rursus, ne prosperitate iustitia nostra labefacteretur, admonet nos Ecclesiasticus dicens: *In die bonorum ne immemor sis malorum*. Docuit quoque in hoc suo fletu, Hierusalem non solum gaudio intendere dicens: Si cognouisses & tu, quæ tibi ventura sunt, mecumque ea expenderes, non gauderes adeo, viles, sed mecum etiam feres. Deinde docuit nos in nulla fortuna, felicitateve gaudere terrena. Nihil enim in hoc mundo ex omni parte est beatum, sed omnia amaritudinibus mixta. *Risus enim dolore miscebitur, extremaque gaudij luctus occupat*. Quare scitum est illud Boëtij dictum: *Anxia res est humanorum conditio honorum, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam*

VI  
21

quam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familia inclusus mallet esse ignotus. Ille viroque circumfluus vitam celibem desert. Ille felix nuptijs, orbis liberis, alieno censum nutrit heredi. Alius prole lætatur filij, filijve delictus mœstus illachrymatur. Idcirco nemo facile cum fortunæ suæ conditione concordat. Inest enim singulis, quod inexpertus ignorat & expertus exhorreat. Quapropter nullis fortunæ blanditijs, nullis munitæ felicitatis auspicijs, est fidendum. Qui hodiè sanus, cras mortuus est. Qui hodiè dives, cras in egestate est. Qui dominabatur paulo ante, nunc seruit. Vide præterea, quod rami oliuæ præferuntur Domino Iesu, quod quam in se, quam congruè fiat, significatio mystica declarat. Oliua namque & pacem & misericordiam significat. Siquidem dum diluuiò factò Dominus terræ voluisset reconciliari, antequam Noë exire auderet arcam, columbam emisit ex arca. Quæ rediens, in ore portauit ad Noë ramum viridum oliuæ, quo pacatum Dominum Noë intellexit. Sic hoc etiam die, quam dies accederet suæ passionis, qua inter Deum & hominem perpetuam facturus erat pacem Christus, nos ex ingenti sua misericordia & compassione ab æterna damnatione redempturus, Spiritu sancto ordinante præferentem ramos oliuarum, quo insinuaretur illum aduenire, qui mediator esset Dei & hominum, Christus Iesus: adesse quoque iam tempus, quo pro nobis seipsum oblaturus hostiam Deo, in sanguine suo perpetuam nobis compararet pacem. Itaque nos simus hi, qui Christo hos portant oliuarum ramos, ut quantum in nobis est, cum omnibus hominibus habeamus pacem, è medio auferentes quicquid dissidiorum, discordiæve proximis nostris possit præbere ansam. Itaque hoc potissimum sacro tempore cum omnibus deat nos redire in gratiam. Neque enim hoc tantum nos curare oportet, ut nobis, sed ut proximis quoque nostris nobiscum tranquilla pax sit. Hoc est, non solum his, qui in nos peccauerunt, oportet nos indulgere, charitativè impendere, sed hos etiam, qui nobis insensiti sunt, debemus nobis reconciliare. Deinde egenis cunctis, id est, illis, qui pane, consilio, auxilio, opereve alia quacunque nostra indigent, simus compassiui & misericordes, sedque non solum lingua, sed opere etiam & veritate, subueniendo, consolando, suadendo, & quacunque pietatis officia exhibendo. Hoc facientes, ante Christum ramos oliuarum portamus. Quod si pariter veterem exuimus hominem, ea damnantes, quæ olim quærebamus, contemntes ea, quæ dileximus, & quibus cum dilectatione inhaesimus, nobis eadem subtrahentes, tunc vestes nostras exuimus, ut per quæ peccauimus nos ipsos, comitemusque nostrum quærentes, nunc item Christo nos subicientes eidem per illa seruiamus. Est præterea aliud, quod possit per vestes significari, puta temporalia bona. Vestis enim, quam induimus, nec infimum, nec supremum corporis tegit. Sic temporalia nec principium, nec finem vite hominis consolantur. Nemo enim aliter, quam nudus egreditur de utero matris, nemo aliter, quam nudus in terram reuertitur. Omnia igitur temporalia, neque principium, neque finem vite nostræ tegunt. Illa igitur exuere debemus, & ad pedes Christi, hoc est, infirmis Christi mem-

Oliua mystice quid. Gen. 9.

Hebr. 9.

Roman. 12.

Math. 5. Luc. 9.

Coloss. 3.

vestes exuere mystice quid.

Job 1.



bris, puta pauperibus, calamitosis, ac miseris subferre.

Cæterum, de ramis quoque non illud solum, quod diximus, intelligi potest, sed est alia quoque significatio, quæ vobis taceri non debet. Scitis filij multos in Ecclesia Dei fuisse sanctos Dei homines, qui secundum naturam non aliter fuerunt, quam homines, vt nos sumus, mortales, passibiles, & fragiles: secundum vero dona Dei, moribus nobiles, perfecti & virtutibus insignes. Hi itaque in regno Ecclesie fuerunt vt arbores electæ, de quibus frondes virtutum ad imitationem eorundem sunt nobis descendi. Legimus Abraham illum magnum Deo placuisse, atque non solum frondes, sed & fructus suauissimos germinasse. Amputemus nobis inde ramum obedientie, quo ad arduissima quæquæ propter Deum inueniamur semper parati. Ramum mansuetudinis à Mose & Dauid petamus. Ramum patientie accipiamus à Iob viro recto & simplici. Sic in nouo quoque testamento à sanctis Apostolis mundi contemptum, à virginibus castitatem, ab alijs quoque sanctis vendicemus nobis ramos virtutum, quas obuiam Domino venientes ante ipsum feramus. Nemo sanctorum sit, cuius legimus vitam, à quo virtutis aliquid ad ædificationem non suscipiamus. Hoc modo tanquam in nemore Ecclesie, in sylua virtutum deambulantes, virtutes & virtutum exempla coaceruemus, quæ in usum & profectum nostrum vertentes, tanquam ramos de arboribus castos, Christo portemus in honorem. Filij charissimi, videat vnusquisque vestrum malam suam consuetudinem, quam emendare studeat & cauere. Audistis, quomodo laudes Christo cecinerunt, & hosiahna. Sic vos quoque Christum laudate, Christum adorate, à Christo salutem petite & misericordiam. Scurrilitas, impudicus sermo, aut inhonestus, os vestrum non exeat. Neque enim decet, vt os, quod Deum laudare debet, obscenis aut malis sermonibus polluat. Verum, quid dicam de his, qui tota die blasphemant ad singula verba sua, ad singula mendacia testem Deum inuocant addentes: Per Deum viuum, per Deum sanctum? Est ne hoc contra præceptum Dei: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?* Et contra verbum Christi: *Nolite iurare omnino, neque per celum neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum?* Desuescite filij ab hac mala consuetudine. Quomodo in vobis mala hæc consuetudo creuit & roborata est, ita iterum deficiat, & pereat omnino. Bona sic ad hæc volumus, & omnia erunt facilia. Faciat semel homo sibi legem firmam, nullo vnquam pacto, & propter rem nullam velle iurare. Statuat simul quoque sibi poenam tolerandam, quotiescunque ex improviso, aut per malam consuetudinem iurauerit. Quæ, inquis, erit poenitentia? Toties dare nummum in elemosynam, aut subtrahere tibi usum rei alicuius delicatæ, aut orare toties orationem Dominicam. Quam poenitentiam adeo obserues, ac si ita agendi Deo votum fecisses, quotiescunque legem fueris tuam, non iurandi scilicet, transgressus. Faciet enim hæc poena tibi instituta soluenda, vt propofici tui fias memor, nec iures. Verum quid de illis dicemus, qui tota die blasphemant Deum & sanctos, per Christi passionem, per vulnera, per corpus, per sanguinem imprecantes, iurantes & maledicentes? Deinde per sanctum Vitum, per sanctum Hubertum, per sanctum Valentinum, dire execratur? & hoc receptissimum apud nobiles est, quasi nobile & militare sit blasphemiam.

Gen. 22.

Num. 12.  
2. Reg. 7.  
Psalm. 137.  
Iob 1.

Consuetudo  
mala quanto  
studio in me-  
lius vertenda.  
Ephes. 5.

Exodi. 20.  
Iacob. 5.  
Matth. 5.

Blasphemia  
in Deum &  
sanctos eius,  
quæ nam ho-  
mies sit, in ab-  
solutum.

phemare Deum & Sanctos, & nobilior sit, qui dirius maledixerit, aut in Deum sanctosque magis fuerit impius. O miserrimos vos & ignobiles, si hæc maxima est virtus vestra, quæ nobilitat vos, vt vix decem proferatis verbis absque blasphemia in Deum & sanctos, absque maledictione, absque iuramento, absque imprecatione & execratione mala. Væ vobis & misera nobilitati vestræ. Melius euenisset vobis, vt nunquam essetis nati. Rogo igitur & moneo vos, vt abstineatis corrigatisque linguas vestras inflammatas à gehenna. Diabolus, credite mihi, sedet in linguis vestris. Neque enim sic impie execrando & maledicendo possitis loqui, nisi diabolus esset vobiscum. Verum non creditis, quia fortasse Deus singulare cælum pro huiusmodi blasphemis domicellis (vt sic vos nominem) construxit. Quum veneritis, percipietis. Reuera enim sicut viuitis, ita moriemini. Ite igitur, quia hic nobis non vultis credere dehortantibus vos à turpi, lasciuo, voluptuoso, maledico, ebriosoque vestro modo viuendi. Experiamini igitur quid vobis eueniat, & relinquite nobis causam plangendi vos. Neque enim grandis nobis spes erit de felicitate vestra, nisi vera præcedat conuersio, quæ luceat in vita vestra: quandoquidem in peccatis vestris moriemini. Quando enim benefacietis, qui nunquam didicistis benefacere, qui necdum statuitis vos corrigere? Iterum igitur dico: Ex testa parentum vestrorum malè nati, malè educati, malè viuere assueti, malè etiam (nisi singulari vos miraculo Deus muret) moriemini. Hæc non omnibus vobis filij dico, sed diuitibus, nobilibus, sceleratis, concubinarijs, maledicis, & his, qui in continuis peccatis viuentes, sese non corrigunt. Vos autem filij, qui semper estis pauidi, qui pro conscientia vestra vigilatis, qui delictorum fugitis occasionem, qui Deum offendere timetis, Dominum nostrum Iesum Christum cum palmis & oliuarum ramis, in ciuitatem cordis vestri introducite, illi honorem & laudis confessionem offerte, illum nunc in passione & morte ipsius agnoscite, eique compatiens adstate, vt dignetur vos etiam in morte vestra agnoscere, atque ab æternis vos incendijs liberare, qui est cum Patre & Spiritu sancto benedictus in secula, Amen.

Iacob. 1.

Ioan. 8.

Blasphemis  
& execrationibus  
quibus  
nam hoc tẽ-  
pore magis  
dediti sunt.



II EXE-

# EXEGESIS IN PASSIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, IVXTA QVATVOR EVANGELISTARVM

NARRATIONEM, SENSVM ORTHODOXORVM  
*Patrum luculenter referens: atq; ad compassionem gratiarum actionem, & imitationem quemque vehementer extimulans.*

## P R A E F A T I O.

*Dedit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Esaiâ LIII.*



Harissimi filij, licet passionem Domini nostri Iesu Christi quotidie dignum sit cogitare, tamen hodie maximè cum omni deuotione tenemur rememorari, compati Christo, & gratias agere: quando vniuersalis Ecclesia tristitiam & compassionem repræsentans, eius memoriam agit in omnibus quærit, scilicet in Missa, in cantu, in pulsu, in signis, alijsque ritibus & ceremonijs. Omnia etenim membra corporis, languente capite, dolent. Et nos, si membra Christi sumus, non possumus non dolere ipso dolente, non possumus non compati, ipso patiente: maximè cum non pro se, sed pro nobis, id est, pro liberatione & salute nostra patitur, quicquid patitur. Si ergo ei non compatimur, signum est, quia membra eius non sumus, nec despiritu eius vegetamur. Sol & luna hodie obscurantur, terra tremit, petra scinduntur, & etiam creatura suo creatori compatitur irrationalis: & homo (pro quo creator patitur) rationalis, non compatitur? Cogitet vnusquisque, si ego fecissem malum, propter quod Pater meus, vel mater mea occisa esset, nõnne pro morte eius merito dolerem? Et si non dolerem, nõnne & similiter morte dignus essem? Verum iam malum feci ego, propter quod non solum Pater meus, sed & Deus meus occisus est, quomodo ergo non dolebo? Quapropter de hac die intelligitur, quod in Leuitico scribitur: *Omnis anima que afflicta non fuerit die hac, peribit de populo meo.* Non ergo est hodie licitum ridere, propter fletum Christi. Quia qui hodie non compungitur circa passionem Christi, timendum est quod per totum annum non compungatur, id est, timendum est, quod non sit de illorum numero, qui redemptus sit passione Christi, hoc est, cui proficiat virtus passionis Christi. Non tantum tamen hodie solum memores esse debemus eorum, quæ pro nobis passus est Dominus, sed quotidie. Quia dignum est, vt quotidie de illo cogitemus, cuius fructum quotidie percipimus. Talis est passio Christi, quæ nos in susceptione baptismatis, quando ad fidem ingredimur ab omni peccato nos purgat, Christo incorporat, contra tenta-

*Matth. 27.  
Marci 15.*

*Leuit. 27.*

tionis roborat, ad virtutes instruit, meritum conquirat, & in morte, id est, in exitu ab hoc mundo ad æternam felicitatem nos educit. Vnde & homo per meditationem Dominicæ passionis maiorem utilitatem consequitur, quam per aliqua alia exercitia corporalia in Dei acceptatione, teste Alberto Magno, qui in tractatu de missa dicit: Simplex recordatio vel meditatio passionis Christi, plus valet, quam si quis per annum ieiunaret in pane & aqua qualibet sexta feria, vel disciplinaret se qualibet hebdomada per annum vsque ad effusionem sanguinis, vel quotidie legeret vnum Psalterium. Vnde hortatur Bonauentura: Si vis, inquit, homo de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie quanta potes deuotione, mediteris Domini passionem. Nil enim in anima ita operatur vniuersalem sanctificationem, sicut meditatio passionis Christi. De huiusmodi autem utilitatibus & dictis sanctorum persudantibus ad meditandum possent multa dici, sed temporis angustia non admittit; quia restat nobis adhuc diu historiam Dominicæ eiusdem passionis recensere & declarare. Hoc tantum dicere expediat, quod etiam in thematis præscripti verbi insinuatur, quod in meditatione Dominicæ passionis tria querere debemus, siue triplicem finem intendere: scilicet vt ad compassionem nos excitemus, vt ad imitationem prouocemur & instruamur, & vt ad deuotionem & charitatem affectum nostrum inflammemus. Vt autem hæc proficere valeamus pro gratia impetranda dicamus ad honorem amarissimæ passionis Dominicæ, & tristissimæ dolorosissimæque matris eius, vnum Pater noster, & Ave Maria. Dedit in mortem, &c. vt supra dixi filij charissimi, quod vtilissimum sit, passionem Dominicam quotidie meditari: hodie autem omnino necessarium, & quod in eius meditatione, tria debemus intendere ac querere: Primo, debemus meditando passionem Domini elicere compassionem. Ad sentiendam autem compassionem erga Christum, & compassionis deuotionem valent hæc sequentia: Primo pensare amarissimum excellentissimumque dolorem passionis eius. Fuit autem dolor eius duplex, scilicet in corpore, & in mente: externus & internus. Vterque commemoratur in præallegatis verbis: dedit in mortem animam suam: ad quam vtique per multas passiones peruenisse intelligitur. Ecce dolor corporalis, Et cum sceleratis reputatus est: in quo famæ ablationem, & ignominiam, & per consequens spiritualem dolorem, sicut in alijs multis sentit. De vtroque dolore intelligitur, quod in Threnis in persona Christi dicitur. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* quasi dicat, non. Secundum omnes enim communiter doctores dolor Christi fuit maximus, super omnes dolores huius vitæ. Rationes sunt, primo, propter nobilitatem & teneritudinem complexionis eius. Secundum Ioannem Chrysostomum, Ea quæ sunt à Deo per miraculum preciosiora & meliora sunt his, quæ sunt per naturam. Quia ergo Christus fuit miraculose formatus in vtero virginis per Spiritus sancti virtutem, idcirco melioris fuit & delicatioris complexionis, & sensu viuacioris præ hominibus totius mundi. Quanto autem aliquid nobilior, preciosius, tenerius, delicatius est, tanto facilius læditur, tanto grauius & acrius affligitur,

Passionis Christi fructus.

Albertus Magnus. Meditatio Christi passionis quæ sit euerget Bonauentura.

Tria meditatio passionem Domini necessaria.

Compassionem per quendam adiuuati.

Dolor Christi vt fuerit duplex.

Thren. 1.

Dolor Christi vt fuerit maximus.

Ioannes Chrysostomus.

LVI  
21

cum cruciatur: Sicut differentia ista patet in rustico laboribus attrito, & nobili in homine & bestia: in oculo & calcaneo. Cum autem nemo in æqualitate teneritudinis, & nobilitatis, & perceptibilitatis possit Christo æquari (quia tenerior fuit in calcaneo, quam tu in oculo, & clauus magis afflixit Christum, quam ignis Laurentium) Ideo nullus etiam dolor ei comparari potest. Secundo, propter satisfactionem peccatorum totius humani generis. Quia non pro vno peccato, nec pro vno homine, sed pro totius mundi peccatis satisfacere voluit, & satisfecit: non secundum quod sufficiebat secundum dignitatem suæ personæ, quia, vt sic, vna gutta fusa sanguinis sufficisset. Secundum ergo quod congruebat & requirebatur, scilicet secundum demerita hominum, per viam iustitiæ voluit pro nobis satisfaciendo nos liberare, & non per potentiam, ponderando omnia peccata totius mundi, & passionis suæ dolorem quasi in statera. Vnde dixit Esaias: *Posuit, scilicet Deus Pater iniquitates omnium nostrum super eum.* Satisfecit itaque pro omnibus, & omnium nostrum peccatis, pro omnium miseris, pro omnium pœnis, & tristitia, & dolore, quæ homo debuit habere pro culatu huius miseræ. Tertio, dolor maximus fuit, quia multa accidentia habuit valde dolorem suum grauantia. Primo, acerbissimus fuit propter generalitatem, quia in omnibus membris doluit. Secundo, quia sine culpa, scilicet propria, sed aliena. Idcirco, quia tu causa fuisti omnis passionis eius, merito dolere debes. Tertio, quia in vilissimo loco. Quarto, in selectorum consortio. Quinto, in festino tempore. Sexto, coram populi multitudine. Septimo, turpissima mortis conditione. Octauo, quia omnes dolores, & omnes pœnas vniuersaliter & singillatim sensit. Nos si plura habemus vulnera, hoc quod acrius nos molestat obliuisci facit ceterorum, vel non sentire, sicut magnus dolor dentium facit obliuisci doloris in pede. Christus autem distinctè & experimentaliter nouit & apprehendit omnium membrorum dolores singulos: & ideo maximum dolorem habuit immitigabiliter, propter suæ personæ maiestatem, quia scilicet Deus & homo. Et ideo in omnibus quæ auditis de Christo, cogitate, quod non solum homo mitissimus, humillimus, pulcherrimus, gratiosus, piissimus, dulcissimus, & amantissimus, sed etiam Deus est reuerendus, metuendus, adorandus, omnipotens, creator, & iudex noster, qui saluabit aut damnabit nos. Causas autem interni doloris & tristitiæ, infra dicam, quum opportunum fuerit.

Quoniam modo Christus in omnibus suis verbis & factis nos docuit.

Esaias 53.

Secundo, in passione Domini debemus videre, & attendere gestus, mores, & virtutes Domini nostri Iesu Christi ad imitandum, quia quicquid in terris dixit & fecit Christus, disciplina & morum perfectio fuit. Et ideo quando auditis, aut cogitatis, quod Christus dixit, aut fecit hoc, vel illud, inspicatis, quomodo se habuit, exterius, & interius: quomodo stetit humiliter parum loquens, cum disciplina, leniter & piè absque rancore, absque inuidia, quiescens, & tranquillus corde, diligens omnes, cupiens omnibus bene, & faciens, atque compatiens. Idcirco in verbis allegatis supra ad excitandum in nobis imitandi studium dicitur, quod pro transgressoribus, hoc est, pro crucifixoribus orauit, dans nobis exemplum veræ charitatis. Tertio, Dominicam passionem cogitando, debemus a fructu nostro ad deuotionem & amorem erga Christum inflammarè. Ad hoc

hoc valet quod cogitemus, quod omnia quæ sustinuit, non propter se, sed sine culpa propria pro nobis, ad delenda, scilicet peccata nostra, ad acquirenda nobis merita, & gaudia cælestis gloriæ, tolerauit. Vnde & Esaias de eo dicit: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et, *Disciplina pacis nostre super eum, & liuore eius sanati sumus.* Vnde in the-mate dicitur: Peccata multorum tulit, non solum multorum, sed omniū: Quia quantum in se est, pro omnibus satisfecit. Ad excitandū tamen maiorem charitatē, debet vnusquisque Domini passionem cogitare, ac si pro se solo Dominus passus esset. Et reuera, quia & si non nisi vnus fuisset peccator, qui redemptione indiguisset, æque crucem pro eo, & mortem, sicut pro multis sustinuisset. Aut si vnus adhuc superesset, cui passio tolerata non sufficeret, Christus denuo rediret, & iterum semel, vt ante moreretur, ne salutis remedium cupiam deesset. Nunc verò, quia secundum morem Ecclesiæ congruit vobis prædicari passionem, distinximus totam passionem in articulos LXV. vt eò facilius retineatis, quæ circa huiusmodi articulos sic distinctè dicuntur. Ad quemlibet etiam articulum aliquid morale, vel instructoriū, quod ex gestis Domini elicitur annexui. Et licet summarie in tot articulos distinxerim Domini passionem, nihilominus tamen vt magis condescendam vobis, ordinabo & referam articulos singulos ad Horas canonicas, secundum quas gestæ sunt, ad aliquas paucas, ad aliquas plures, secundum quod circa vnā horam plura euenerunt, quam circa aliam. Sicut ad primas Vesperas quatuor, ad Completorium septem, ad Matutinas XVIII. ad Primam quinque, & sic de alijs Horis. Antequam tamen procedatur ad distinctionem Horarum, præmittenda sunt quedam, quasi præambula, & introductoria in ipsam Domini passionem: Post quæ subnectuntur duo articuli, de quibus non constat, qua hora factum sit, quod circa illos geritur.

imitari vti  
debeamus  
Christum  
patientem.  
Esaiæ 53.  
Ibidem.

Meditas pas-  
sionem Chri-  
sti, quinam  
charitatem  
erga ipsum  
excitet.

PRAEAMBULA PASSIONIS DOMINI  
nostri Iesu Christi.

**P**rædicante Domino nostro Iesu Christo penitentiam, dum propter nimiam dulcedinem doctrinæ eius, & propter innocentem, benignam amabilemque eius conuersationem, sed & obstupendam miraculorum eius choruscationem, & variam beneficiorum exhibitionem fama eius vndique divulgaretur, & populi vbique relictis Phariseis ad eum confluere. Scribae, Pharisei, & principes Iudæorum, quia erant inanis gloriæ cupidi, inuidebāt illi: & potissimum, quia hypocrysim & iniquam eorum simulationem Dominus arguebat, & contraria operibus eorum malis docebat. Idcirco ceperunt ei vbique detrahere, opera & verba eius mendacijs peruertere, ipsum blasphemare, persequi, quæstionibus tentare, prædicationem eius callidè obseruare, & ex omni parte quarere, si quid possent inuenire, vbi possent eum accusare, & tanquam iniustum diffamare & punire. Sed Dominus, qui eorū occultas machinationes, & versutas cogitationes nouerat, ita prudenter & innocenter in omnibus se habuit, quod ipsi amplius confundebantur, & omnis eorum subdola cogitatio frustrabatur. Vnde ipsi maiori inuidia furebant contra ipsum: & tunc maxime, postquam Do-

Matth. 1. 9  
& 23.

Luce 12.  
Matth. 21.  
Luce 10.  
Luce 11.  
Ioan. 6. & 8.





plena erat pietate & compassione: & libenter ipsamet fecisset tale quid: sed pauper erat, nec emere poterat, ideo forsitan hæc & similia cogitabat eleuata mente ad Deum: Gratias vobis & sempiterna laus celestis Pater omnipotens, sempiternæque Deus, qui dedisti in cor huius filia vestra, vt ipsa sic honoraret, sic amaret filium vestrum, & meum: permaneatque quæso mercator illius vobiscum in æternū. *Videntes autem discipuli indignati sunt, murmurantes, & dicentes: vt quid perditio hæc? Potuit enim venundari multo. & dari pauperibus.* Non par ratio, nec similis fuit intentio murmurantium Apostolorum ad reprehendendum hoc opus pietatis. Nam ceteri Apostoli præter Iudam murmurabant solum contra Magdalenam, quia sciebant quod Dominus de tali honore non curaret, nec talia medicinalia affectaret. De pauperibus: verò & de danda elemosyna sepe mandauerat: ideo arguebant mulierem ex compassione ad pauperes. Iudas autem murmurabat ex infidelitate & auaritia, quia putabat totum perditum, quod sebat ad honorem sui magistri. Et licet verbotenus, ad colorandam nequitiam suam, videbatur habere sollicitudinem pro pauperibus, tamen nulla erat sibi cura de pauperibus, sed quia ipse oculos habebat, furabatur ex his quæ mittebantur elemosynaliter Christo, & sustentabat inde vxorem & liberos suos. Quia ergo istud vnguentum potuisset vendi, (sicut ipse taxauit) trecentis denarijs, & pecunia venisset in manus suas, vnde potuisset furari decimū denarium, ita quod habuisset inde triginta denarios (qui quæstus iam sibi petijt) ideo murmurat, non solum contra Magdalenam, sed etiã contra Dominum iratus. Et amissio huius pecuniæ fuit sibi occasio quod vendidit Iesum. Sed quid faciebat deuota mulier Maria Magdalena, quando discipuli murmurabant contra eam? Humiliter tacebat, sicut enim facere solebat. Nam & ante quando Simon contra eam murmurabat, quia lauerat lachrymis pedes Iesu conuersa ad ipsum, & quando soror sollicita in ministerio Domini murmurauit contra eam quiescentem ad pedes Domini, similiter tacuit. Et ideo Dominus etiam nunc, sicut semper excusauit eam, dicens, quod bonū opus operata esset in se, & quod vnixisset se ad sepulturam. In quo ostendit in proximo assuturam sibi passionem & mortem. Hoc verbum, scilicet quod esset vnctus in sepulturam, fuit gladius scindens cor virginis Mariæ, quæ non poterat audire de morte Filij.

Matth. 26.

Murmur Apostolorum quale fuerit.

Lucæ 11. 12.

Murmur Iudæ vnde prodierit. Ioan. 12.

Lucæ 7. Lucæ 10.

Matth. 26.

Dominica Palmarum quid Christus egerit.

Matth. 21.

Luc. 9.

Ioan. 12.

Ioan. 11.

Matth. 21.

Marc. 11.

Lucæ 9.

Ioan. 12.

Lucæ 19.

Sequenti die in Dominica scilicet Palmarum, iuit Dominus manè ad Hierusalem, & cum appropinquasset ciuitati præmissis duobus discipulis, qui adducerent sibi asinam, intrauit ciuitatem. Antequam autem venerat vsque ad ciuitatem, exierunt ei obuiam turba, quæ conuenerant ad diem festum Paschæ cum ramis palmarum & oliuarum (quia audierant de miraculo resuscitationis Lazari) sternerentes vestimenta sua in via, & facientes Domino honorem, qualem nunquam ante fecerant. Clamabant enim, & laudabant eum, dicentes *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Osanna filio David. Benedictum quod venit regnum David patris nostri.* Dominus Iesus autem non multum lætatus fuit in tali honore, quia ipse videns ciuitatem, fleuit super illam, non solum ob excidium urbis, & murorum futurum: sed magis propter peccata inhabitantium: & quod tantū facinus perpetraturæ erat, occiduri Dominū suum, regem & creatorē. Intrauit itaq; Dominus in

VI  
21

Matth. 11.

ciuitatem, sedens super asinam, & statim intrauit templum, prædicans vsq[ue] ad uesperam. Et post tantum honorem (quod dolenter dicendum est) nõ fuit in tota ciuitate qui reciperet eum ad hospitium, vel qui daret ei manducare.

Ioan. 9.

Prohibuerat enim principes sacerdotum, ne quis confisteretur cum esse Christum: & quod non reciperent eum, alioquin fieret extra synagogam. Sic Dominus de sero cogebatur redire Bethaniam adhuc ieiunus, & sine cibo. Eat & vos cum eo, & **compatiamini** ei, quod ille, qui cuncta creatur, & omnibus creaturis alimenta ministrat, non habet qui det ei buccellam panis. O Deus ubi nos manebimus, qui sumus tam solliciti, quomodo repleamus ventrem nostrum? Cogitate de beata uirgine, quæ ante receperat consolationem de mane, quando audiuit, cum quanto honore introductus fuerat filius suus in urbem: sed quando iam redit ieiunus, intelligebat quod talis honor fecerat maiorem inuidiam in Iudæis, contra eum.

Die Long post diē Palmæ quid egerit Christus.

Oratio Mariæ ad Filium Iesum.

Ioan. 1. & 9. Colloquium Iesu & Mariæ eius.

Sequenti mane quando redire uoluit Hierusalem, potuit mater dicere ad Filium: Charissime Fili, ego aduerto, quod Principes & Scribæ insidiantur tibi, rogo te igitur, noli amplius redire inter eos, sed mane nobiscum. Cui respondit Iesus: Charissima mater, oportet me facere uoluntatem Patris, & perficere opus propter quod ueni. Sunt enim adhuc quos me oportet attrahere ad agnitionem Patris mei. Quare tristaris pro me? Quare times? Tu scis tamen, quod nemo potest mihi aliquid facere, contra uoluntatem meam. Tu scis propter quod ueni. Tempus meum breue est. Oportet me loqui & prædicare, quod loquendum est. Cui mater suffusa lachrymis. Ego, inquit, nihil cupio contra uoluntatem Patris, aut tuam: nec intendo te retrahere à saluatione animarum. Sed uelim ut saltem per istos dies pauca nobiscum maneat, si non possum te semper habere. Interim forsitan ira Iudæorum quiescet, & tunc iterum prædicabis. Respondit Iesus: Charissima mater, esto contenta. Ego uiuus & sanus adhuc redibo. Et sic iterum iit ad Hierusalem cum discipulis suis, prædicans in templo vsque ad uesperam. Et nemo inuitauit eum ad prandium: sed ieiunus redijt iterum Bethaniam. O quis est tam duri cordis, qui non cõpatitur pijsimo IESV, cui pro tanta charitate sua, nemo est qui respondeat, nemo qui gratias agat, nemo qui recognoscat? quem post tantum laborem prædicationis, post tantam fatigationem totius diei esurientem & ieiunum, nemo est qui uel modico panis refocillet. Nemo qui uel dicat: Magister, per totum diem prædicasti, ueni & comede. Sed quali ignotus egreditur de sero pauper & famelicus, cuius est cælum & terra. Sed dicit forsità quis: quia fuit Deus, non esuriebat. Verum est, si uoluisset, potuisset non esurire: sed nõ utebatur remedio diuinalis potentia suæ, ad consolationem suam. Imo esuriijt & sitiijt, fatigabatur, patiebatur calorem & frigus, ut cæteri homines, tamen differenter, quia patiebatur nõ nisi uolens. Nos uero patimur nolentes, & uolentes. Redijt ergo Iesus hoc sero feria secunda rursus in Bethaniam. Cogitate quomodo Martha sollicita est in domo. ut Dominus reficiatur. Maria uero mater Iesu loquitur interim cum Filio plena mœrore, interrogans eum, & Dominus respondet. Magdalena interim sedet ad pedes eius, diligenter auscultans, quia nunquã poterat satiari in uerbis Christi, quæ fuerunt ei melle dulciora. Feria tertia, Dominus redijt in Hierusalem, & rogat beata Maria Apostolos, ut intro-

Christus ut patiebatur differenter à nobis famem, sitim, frigus, calorem, &c.

Die Martis post Palmam

quid Christus egerit.

Die Mercurij post Palmam quid egerit Christus.

Matth. 29.

Matth. 14.

Lucæ 22.

Matrim. ma- riam stu- dit. Iude proditoris malitiam con- ceptam le- nit.

Ioan. 15.

Matth. 26.

Lucæ 22.

Ioan. 3.

Ioan. Ger- son.

Verba B. Ma- riae ad Iudam proditorem. Ioan. 3. & 10.

terrogent & scrutentur consilia Iudæorum. Rogat illos, ut si quid sinisteri au-  
 dirent contra Iesum, in bonum interpretentur. Ad quod libenter annuunt,  
 quia Apostolis cæteris, præter Judæ, erat maxima dilectio ad Iesum: & ma-  
 ximè timebant, & dolebant de discessu eius. Sed quum de sero redisset ieiun-  
 us, & Apostoli nunciaret matri, quia Iudæi omnino conspirauerant in mor-  
 tem eius, rogauit mater Iesum, ut feria quarta maneret in Bethania. Cuius  
 precibus annuit Iesus, & mansit ibi in domo Marthæ. Iudas verò erat ple-  
 nus cogitatione iniqua, & maximè turbatus, propter effusum vnguentum,  
 quod ablata sibi fuerat occasio furandi. Quum itaque Dominus maneret  
 in Bethania, accepit inde opportunitatem ad complendam malitiam suam:  
 quia cognouit per suggestionem, & instinctum diaboli, quod tunc Iu-  
 dæi conueniebant in illo die, quomodo vel quando Iesum interficerent. Ti-  
 mebant enim hoc facere in die festo propter turbationem populi. Simula-  
 uit ergo Iudas, quasi pro necessitate se oportere ingredi ciuitatem, vel ali-  
 cubi alio: sed intendebat vendere Dominum. Et licet alij Apostoli nihil  
 suspicarentur mali, eò quòd magistraliter celare nouerat malitiam suam,  
 tamen non potuit fieri, quin aliquid deprehenderet domina Maria: quia  
 erat etiam docta ex prophetis, quod Christus Filius suus erat tradendus  
 per vnum, qui reputabatur singularis amicus eius. Et diabolus qui rege-  
 bat Iudam, inquietabat eum, nunc huc, nunc illuc ire, interdum occultè  
 ad Iudæos loqui, & redire ad Iesum. Ex quo beata domina studebat eti-  
 am Iudam singulariter blanda lenitate alloqui, beneficia, & dilectionis si-  
 gna exhibere, & interdum ipsum admonere per dulcia, sed potentia ver-  
 ba, cum dulci benignitate, sed honestissima grauitate: si forte respiceret, &  
 placaretur, & deponeret conceptus iniquos. Hoc enim piè credi potest de  
 beata Virgine: quoniam & Filius eius, quantum in se fuit, conabatur eum  
 reuocare à malo proposito, etiam post sui venditionem aggrediendo eum  
 beneficijs, scilicet lauando pedes eius, dando illi corpus suum, monendo,  
 comminando & huiusmodi, vt infra dicitur. Potuit ergo benedicta Domi-  
 na (sicut venerabilis Gerson ponit) in hunc modum alloqui, tentans si for-  
 tè durum cor ipsius posset mollificare. Vides o Iuda charissime, quomodo  
 Iudæi conspirauerunt in mortem magistri tui filij mei, quo pacto quarunt  
 eum perdere. Sciisti (aderas enim) quomodo nuper tulerunt lapides, vt ia-  
 cerent in eum, quando vix viuus euasisti è templo. Nunc precor te per socia-  
 lem omnium nostrum conuictum, & per, si quid ipse totus bonus & nos om-  
 nes bene vnquam de te meruimus, roga Iudæos ea, quæ ad pacem sunt:  
 Is enim & redis ad eos. Ostende nihil esse in Filio meo dignum morte, qui  
 infirmos eorum curauit, qui doctrinis erudiuit, qui solùm Dei honorem &  
 gloriam viuèdo prædicando quæ quæsiuit. Cur in huius morte peribimus  
 omnes? Scis quod ex eius vita pender mea. Quinetiam tu ipse qualem alium  
 Dominum vel Magistrum habiturus es, in quo plus benignitatis, gratiæ &  
 fauoris expectas? Elegit te in Apostolum, in fratrem, in amicum: pauit te,  
 ministravit tibi, potestate miraculorum cum autoritate prædicandi dota-  
 uit te, dispensatorem suum constituit te: denique maiora sunt quæ promittit.

Sed quid respòdebat putatis ad hæc, similiaq; verba, & ad pios gestus Vir-  
 ginis versutus ille & pseudoapostolus? qualem faciem ostendit? Facile fu-  
 it ei

KK it ei

VI  
21

Matth. 25.  
Marc. 14.  
Lucæ 22.

it ei fingere falsam promissionem. Verispellis enim erat, nequam: & simulare potuit pietatem in verbis, qui plenus erat dolo & iniquitate. Quid mirum, si putauit se decipere posse Dominam Mariam, vt malitiam cordis sui non posset agnoscere, quando etiam putauit nequissimam simulationem suam in osculi prodicione Christum non posse intelligere? quando putauit, quod per signum falsum amicitie crudelissimam eius traditionem magistro posset deregere (vt infra sequitur) Dicebat enim ei: Aue Rabbi, interim osculans eum: quasi Dominus osculum attenderet, & prauitatem cordis sui non intelligeret. Sic etiam: nunc matri potuit fisco pietate respondere: Charissima Domina, nihil mali timeatis Filio tuo, charissimo magistro meo. Non enim aliquid mali eueniet ei. Neque putetis quoddam male affecti sancti illi Scribae & Pharisei. Ex prædicationibus ipsius liberioribus contra ipsos, sunt non nihil commoti: sed cito cessabit illa commotio cordis eorum. Sed tamen si mali aliquid illi machinati fuerint, hoc ipsum tibi protinus nota faciam, illi usque ad mortem adstanti fideliter, illumque defendam quantum poterero. His similibusque verbis vulpinis & simulatorijs ab illo nequam proditore prolatis, beatissima Virgo Maria non quidem omnino simpliciterque fidem adhibens (quandoquidem spiritus eius nondum quiescere ad plenum potuit) sed tamen aliquo modo ab extra videbatur, animo acquire & contenta magis.

IESVS A DISCIPULO PROPRIO  
est venditus. *Articulus I.*

Matth. 26.  
Marc. 14.

Lucæ 23.

Interea Iudas avarus & nequam dolens adhuc de ablata occasione illius recuperare, considerauit Iudæos conspirasse, quomodo Iesum occiderent, & tractare inter se quomodo hoc fieri posset sine tumultu. Et videns se opportunitatem habere exequendae propriae voluntatis prauæ, eod quibus Dominus iam non erat Hierosolymis, sed mansit in Bethania, perrexit Hierosolymam solus, quasi aliquid negocij habens, & verè magnum negocium habebat, & tractabat. Inuenit autem principes, & seniores Iudæorum, & scribas tunc congregatos in consilio contra Iesum, ad quos intravit, non rogatus, non vocatus, sed propria sua malignitate instigatus, & dixit illis: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Ego scio quid tradatis, videlicet, quomodo occidatis magistrum meum, ego noui etiam quid timeatis, scilicet tumultum populi. Quid ergo dabitis mihi, & ego tradam eum vobis sine turbis? Et notate quàm vilem aestimauit Dominum Iudas: Non dixit: Tantum mihi dabitis, sicut solet fieri pro re chara, vel præciosa, sed: Quid vultis mihi dare? Quasi diceret: Ego constituo in voluntate vestra, quid decis mihi: quia non magnipendo, non preciosum facio magistrum meum. At illi promiserunt, & pacti sunt pecuniam se daturos. *Et constituerunt ei triginta argenteos.* Si minus constituisset, minus accepisset. Penitens quantam tristitiam inde habuit piissimus Dominus, quàm ignominiam sustinuit, & quantum dolorem suum hæc auxit, quod ipse qui est summum bonum & infinita bonitatis, vilipensus est adeo, & pro tam vili precio venditus, & hoc à discipulo suo, præsertim cum talis vilipensio redundet in Pe-

in Patrē: quia filijgnominia, dedecus est sui patris. Sed quid debemus  
discere ex hoc Articulo? Primo, quā verum sit quod Apostolus dicit: *Ra-  
dix omnium malorum est cupiditas.* Ecce in quantam cecitatem cordis venit Iu-  
das, ex cupiditate pecunia, vt videlicet magistrum suum, authorem vitæ  
traderet in mortem. Videte quāta peccata veniunt ex avaritia. Vnde furtū,  
larcinia, prædationes, odia, vsuræ, innumerabilia mendacia, & fraudes,  
iurationes falsæ ementium & videntium, nonne ex avaritia? Secundo in-  
firmitur, vt nos non vendamus Christum. Ecce quomodo detestamur &  
maledicimus Iudam, quod Christum vendidit, & nos sepe Christum vendi-  
mus. Quomodo? In omni peccato, præsertim mortali. Intendite quæ dico.  
Quisquis est sine peccato mortali, quisquis charitatem habet, Deum habet:  
quia Deus (inquit Ioannes in epistola) est *charitas.* Ecce habes charitatem, ha-  
bes Deū in anima tua. Anima tua est hospitium in quo Christus habitat. Ad-  
uertit hoc ille pessimus mercator, imo spoliator humani generis inimicus,  
vult tecum mercari, vt tibi tollat Christum, non vt ipse habeat: (ipse tamē  
non cupit eum, quia non diligit eum, nec potest habere eum) sed vult tibi  
tollere, vt tu nō habeas. Quare? Ex inuidia. Scit enim magnum bonum esse  
habere Deum, & quia ipse non potest habere hoc bonum, non fauet tibi vt  
tu habeas. Quomodo hæc facit? Proponit tibi species rerum, delectationes  
creaturarum illicitas, Deoq; contrarias, & cum quibus Deus non potest esse,  
vt cum illas admiseris, Deus à te fugiat. Verbi gratia: Proponit tibi speci-  
em mulieris, suadet tibi delectationem peccati, quā fortē aliquando ex-  
perius es, aut si adhuc virgo es, suadet tibi vt experiaris. Incendit curiosita-  
tem in te, id est, magnum desiderium sciendi. Quid tamen sit in hoc pecca-  
to luxurie, pro quo homines a deo insaniunt (ō quot virgines in veroque se-  
xu ita perierunt, magis ducti curiositate, volentes experiri, quā tentatio-  
ne carnis, id est, libidine) quando sic tibi suadet, & ex officina sua varias spe-  
cies peccatorum tibi proponit, quasi species mercantium, secundum vari-  
as concupiscentias tuas, quid aliud facit, quā, quasi dicat, Deponē te Chri-  
stum, exclude Deum à corde tuo, & ego dabo tibi illam, & illam delectatio-  
nem peccati pro illo? Si iam tu adeo fatuus es, & consentis ei, & peccas: quid  
aliud fecisti, quā quod vendidisti Christum Deum, & Dominum, & cre-  
atorem tuum, pro vna modica delectatione peccati, quæ ad momentū vix  
durat & transit, & finitur? Ecce qualem negotiationē fecisti. Cōparasti bre-  
uissimā delectationē peccati (quæ in suo initio extinguitur & finitur) ab ho-  
mine tuo crudelissimo, qui interfecit animam tuam: cōparasti etiam tibi eter-  
nas miseras, æternum ignem, pœnam nunquam terminandam: & pro illis  
dedisti Dominum Deum tuum, qui vitam præstabat animæ tuæ, & voluit  
te introduxisse ad regnū sempiternæ beatitudinis, vbi nulla est miseria, sed  
semper na lætitia. Si iam interrogarem vnumquemq; vestrum, vtrumvis  
ex duobus quod preciosius, dignius, & vilius est, an hoc quod vilius, indi-  
gnius, deploratius? Omnes diceratis. Quod melius & dignius est. Quis ali-  
ter diceret? Si iterū interrogō, quid est melius, Deus cum regno suo cælortū,  
an luxuria cū inferno? quis est qui nō dedignetur talē questionem, & dicat:  
Quæ comparatio Dei ad luxuriā? Ecce quomodo tunc cōtemnitur, & vendi-  
tur Deus, quasi vilius, & luxuria eligitur, & præfertur quasi melior. Nonne

venditio Chri-  
sti quid my-  
stificē.  
1. Timoth. 6.

Mala quanta  
veniunt ex  
avaritia.

1. Ioan. 4.

Mercator  
qualls sit  
diabolus.

Curiositas in  
virginibus  
quā peti-  
culosa sit.

Negotiatio  
omnium da-  
mnatissima  
quæ.

hoc est Christum Deum tuum vendere, quando ipse reprobatur, & luxuria eligitur? Sic est de vnoquoque peccato mortali. Hinc videtis modo, quod non semel venditus est Christus: sed quotidie venditur pro turpissimis peccatis, quæ nefas est nominare.

*IESVS A MATRE SVA EST LICENTIA, Articulus II.*

**I**AM dixi ante charissimi, Dominum Iesum quarta feria remansisse in Bethania, cum matre, & cæteris amicis. Quid autem tunc fecerit vel dixerit, non est scriptum in Euangelio. Piè tamen creditur & sentitur à doctoribus ac deuotis, quod passionem suam prædixerit matri, sicut prædixerat ante discipulis, quod quæ præmonuerit & consolatus sit matrem blandè, & quod mater rogauerit eum, si possibile sit alium modum eligere humanæ redemptionis, quam moriendo. Si tamen à Patre sic decretum sit, ut scilicet morte sua mundum viuificet & saluificet, se non contradicere: sed hoc rogare obnoxius sibi concedi, ut cum moriente possit mori, & cum sepeliendo, sepeliri. Iesum verò respondisse hoc fieri non debere nec expedire, ut ipsa moriatur: sed oportere superstitem relinqui in consolationem discipulorum, in firmamentum fidei, & fundamentum Ecclesiæ noui Testamenti. Quinta igitur feria, cum Dominus Iesus disponebat ire Hierosolimam, ut comederet tibi Pascha, & inciperet passionem suam, valedixit matri suæ. Cogitate vos cum quali tristitia, cum quibus lachrymis. Si tam triste est diuortium infans, & cæco amore amantium se (hoc sciunt qui in talibus sunt experti) quam tristis putatis fuerit separatio talis matris, & talis filij sic amanti? Putatis quod Maria non fleuerit, quod non intimos gemitus de corde suo virginali emisit pro filio suo, pro magistro suo, pro Domino suo, pro Deo suo, pro creatore suo? Hic omnia erat ei suus Iesus, caro ipsius & sanguis. Ad id certum est, ut si etiam velim dicere contrarium, vos non crederetis mihi. Sed fortè incidit cuiquam, quod Dominus Iesus occultè recesserit à matre, & ei nihil dixerit. Ego credo quod hoc ridiculum sit etiam cogitare, Dominum ita indiscretum ac immodestum fuisse, ut contra euentum talis calamitatis & tristitiæ, quæ matri accessura erat ex passione sua, non præmoneret eam, & solaretur. Si curam illius habuit patiens, & iam penè moriens in cruce, quomodo non carasset eam ante passionem, & tunc cum in tali specie vltra ipsum non esset visura? Vidite namque eum postea in cruce, sed non ut modo: verum, sicut non habentem speciem neque decorem, ut leprosum & percussum à Deo, ut nouissimum virorum, virum scientem dolorem & infirmitatem. Sed dicit quis: An etiam fleuerit Iesus valedicendo & recedendo à matre. Ego non audeo dicere ipsum non fleuisse (licet non sim certus) Nos scimus ex Euangelio ipsum valde amare fleuisse pro morte Lazari, quem tamen parabat resuscitare: Unde & qui astabant, videntes ipsum sentem, dicebant: Ecce quomodo amabat eum. Piè igitur æstimandum est, quia plus amauit Mariam, quam Lazarum ex naturali affectu filij ad matrem (quia vere homo erat & passionem naturalem habebat, sub imperio tamen rationis, & sine peccato) quod recedendo fleuerit: Quantumcunque tamen triste fuerit illi à matre recedere: & se-

Matth. 20.  
Marci 10.  
Lucæ 18.

Diuortium  
Christi à sua  
matre quam  
fecit triste.

Isaia 50.

Isaia 53.

Ioan. 11.

& separari eundo ad passionem, non tamen propter hoc voluit deferere obedientiam sibi à Patre iniunctam: sed potius voluit matrem deferere, & exponere illam meritori & tristitia, quam redemptionem nostram præterminere. Ex hoc habemus documentum, quod Deum debemus diligere super omnia, & præ omnibus, quod nullus debet esse amor ad parentes, nulla amicitia ad socios, quæ sit contra Deum. Nihil debet fieri, nihil omitti propter amicum, quod sit contra voluntatem Dei. Vnde ipse Dominus Iesus dicit in Evangelio: *Qui amat patrem suum, vel matrem suam plus quam me, non est meus agnus.* Nos verò tenemur diligere etiam inimicos propter Deum, & tamen iubemur propter Deum odire parentes & amicos, si impediunt nos in via Dei, vel sunt contrarij nobis, vt propter ipsos negligamus Dei voluntatem, ad complacendum illis, & non contristandum eos. Quod nequaquam fieri licet.

Amor ad patres & proximis habendus.

Math. 10.  
Math. 5.

Vesperæ Primæ hic incipiunt, quæ continent articulos quatuor, quorum primus est.

*IESVS MANDAVIT PASCHA CVM DISCIPULIS SUIB.* *Articulus III.*

Quinta feria, cum Iesus valedixisset matri, præmisit duos discipulos Hierosolymam parare Pascha. Qui cum nescirent vbi deberent parare, indicavit eis introeuntibus in civitatem obuium futurum hominem amphoram, seu lagenam aquæ portantem, hunc deberent sequi in domum, quam intraverit, & dicere Domino domus (qui occultus erat discipulis Domini Iesu) *Magister scilicet noster dicit: Tempus meum scilicet patiens prope est. Apud te facio Pascha cum discipulis meis.* Ac si diceret: Volo vt pares mibi necessaria ad commestionem agni Paschalis, locum, cibum, & cætera necessaria. *Euntes autem discipuli fecerunt sicut dixit illis Iesus.* Et ostendit eis ille paraverit in monte Sion, paraverunt Pascha.

Math. 26.  
Marc. 14.  
Luc. 22.

Appropinquante vespera, Dominus intravit civitatem cum alijs discipulis, & pervenit ad locum, vbi parabatur Pascha. Aspicite nunc Dominum in aliqua parte domus sedentem, & salubria cum discipulis loquentem, in tantum quod paraverunt Pascha. Vespere autem facto, cum parata essent omnia, intraverunt cenaculum Dominus Iesus, & discipuli eius cum eo. Non solum Apostoli tunc fuerunt præsentés, sed etiam alij LXXII. minores discipuli. Omnes lauant manus, & deferunt eis agnus Paschalis assus, panis, xymus, vinum & ius lactucarum agrestium. Hæc enim necessaria erant ad agnum agni, sicut Dominus præceperat per Moysen filiis Israel, quando exierunt terram Aegypti. Hoc Pascha erat figura veri agni, id est, Domini nostri Iesu Christi, qui tali die erat immolandus pro nobis, & etiam manducandus à fidelibus suis in sacramento sub specie panis. Licet enim Dominus non sit mortuus in quinta feria ad vesperam, tamen incepit passionem suam hac nocte, qua agnus immolabatur & celebris erat apud Iudæos, & etiam instituit Sacramentum sui corporis & sanguinis, vt sequetur infra. Iudæi quinquagesimam diem à vespera vsq; ad vesperam numerant, ita vt à serò quinquagesimam diem à vespera vsq; ad vesperam numerant, ita vt à serò quinquagesimam diem à vespera vsq; ad vesperam numerant.

Exod. 12.

Die quoniam Dominus Iesus passus sit.

Iudæi quinquagesimam diem à vespera vsq; ad vesperam numerant.



te ferix, quando luna oritur, vsque ad vesperam sexte ferix computant vnum diem: & ided quicquid inter duas vesperas factum est, ad vnum diem computari potest. Benedictione igitur data à Domino, comedunt omnes. Scribit Comestor in Scholastica hystoria, Dominum nunquam legi comidisse carnes, nisi agni Paschalis, propter obseruantiam legis. Sed est hic dubium, quomodo Euangelista dicit Dominum discubuisse, id est, sedisse ad mensam, cum lex præcipiat, vt stantes & erecti comedant agnum. Dicitur secundum Theophylum, quod primo stantes comederat agnum secundum ritum legis: deinde sedentes, alium, vel alios cibos comederunt. *Edeat autem illa agnum Paschalem, dixit Iesu: Desideria desiderauit, id est, vult desiderari, hac Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, id est, moriar. Quartum. Vt finiam vetus Testamentum, & incipiam nouum, vt perficiam opus redemptionis vestra.*

Cucurrit post nos Dominus Iesus omnibus diebus vite sue, in sui feruentissimi desiderij salutis nostre. Et ista sitis, siue desiderium fuit protelatum ad XXXIII. annos. Discamus & nos patientiam habere, si aliquando bona nostra desideria protelentur apud Deum: quia qui facit nos desiderare, velle bonum, scit quomodo & quando debet exaudire, & quando expectet nobis. Habemus ex illo articulo etiam aliquod documentum: Documentum scilicet vere paupertatis, cuius nobis exemplum magnum hic dedit Dominus: quia ita pauper erat, quod nec domiciliu, nec habitaculum habebat, vbi Pascha feruaret, nec vnde agnum & cætera emere potuisset. Idcirco enim discipuli missi ab illo, antequam indicasset eis locum interrogabant: Vbi vis paremus comedere Pascha? Ac si dicerent: Tu mitti nos parare Pascha, & scis, quia non habemus locum, vel cibum, nec tu habes. Vx nobis, quid dicimus quod vitam Christi, & paupertatem volumus imitari, & tamen in operibus nostris nihil simile videtur: quia vita nostra valde contraria est vite Christi, studia nostra non tendunt post eum. Et notandum, quod multa requirebantur ad esum agni, vt habetur in Exodo: quæ Dominus obseruauit, & illa mysticè intellecta instruunt nos, quomodo debemus verum agnum comedere, cuius ille agnus in lege fuit figura. Primo comedebant agnum typicum cum azymis panibus, id est, sine fermento, & significat, quod non sine fermento malitiæ, cū sinceritate & mundicia cordis agnum Christum debemus sumere in Sacramento. Secundo, cum lactucis agreilibus, id est, cum contritione cordis & amaritudine penitentix. Tertio, accincti ramentis pedibus: per quod significatur, quod affectus nostri non debent inhære terrenis. Quarto, tenentes baculum in manibus, id est, quod debemus vigilantes esse, & diligenter nos custodire contra tentationes inimicorum nostrorum. Sexto, comedentes festinanter, id est, feruenter per spiritualem auitatem & deuotionem.

Petrus Comestor.

Exod. 12. Theophy.

Pauper as Chisim do micelij carentia.

Exod. 12.

Phase comedendi ritus mysticè quis sit. 1. Cor. 5.

IESVS LAVIT PEDES DISCIPULORUM SUORUM. Articulus IV.

**D**iscumbens sic Iesus Magister cum discipulis, Dominus cum seruis, pater cum filijs, tanquam amicus & socius familiariter, voluit ostendere maiorem humilitatem, & se exhibere vt seruum, ad ostendendam suam

VI  
E)

suam magnam humilitatem, & ad confundendam nostram superbiam. Quid ergo fecit? Recitemus textum ex Evangelio Ioannis, quia valde pulcherrime: *Sciens Iesus, qui venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quid est, in finem? perseveranter, & vsque in mortem. Non quod morte terminaret dilectionem, sed in tantum dilexit, quod dilectio perduxit eum, vsque ad mortem. Et *certa facta, scilicet agni Paschalis cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudaeo Simonis Ischariotis.* Non est intelligendum, quod diabolus possit immittere cogitationes malas, sed suggerit & intentat, & potest presentare species rerum & phantasias, ut inde sumamus occasionem cogitandi, desiderandi, &c. Et ideo principium omnis tentationis est ex nobis, & ipse suggerit & insidet, quando percipit cogitationes nostras per aliqua signa exteriora. Non enim potest scire cogitationes nostras, nisi per signa. Ipse tentat nos, ab intra species obijciendo, & persuadendo, & alluciendo quod sit bonum, sicut faciunt mali homines ab extra: veruntamen voluntatem nostram non potest cogere: & ideo non potest nos deicere, nisi nos ipsos deiecerimus, & arma nostra ei tradamus: hoc est, nisi suggestioni consentiamus. Sed de hoc satis.

Cogitationes malas diabolus tantum suggerit.

Dæmones quomodo tentant homines.

*Sciens itaque scilicet Iesus, quia omnia dedit ei Pater in manus, scilicet persecutores, traditorem, & omnia, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, non nos deserens, sed omnia Patri acquirens, & reducens.* Quamvis ergo hæc sciret, suam sublimitatem, scilicet potestatem & maiestatem, quod esset Dominus dominantium, Rex regum, Dei Filius, creator vniuersorum, non tamen suam exhibet sublimitatem, sed humilis serui implet officium, & humilitatem. Quid fecit? *Surgit à cena.* Videte eo surgente, quomodo surgunt discipuli etiam, nescientes quo velint ire, aut quid velint facere. Descendit autem Iesus in locum alium inferius sub coenaculo. (Nam Palestini in superiore parte domus habent coenacula, & in inferiori cubicula) Sic erat etiam in illa domo, vbi Dominus erat, sicut scripserunt, qui viderunt locum. Superius enim habebat coenaculum, vbi coenauit, & inferius erat alius locus veluti camera, vbi lauit pedes discipulorum. Vbi etiam post resurrectionem suam, discipulis ianuis clausis apparuit. Ista duo loca erant post resurrectionem Domini, facta dux capellæ, quas tenebant canonici regulares. Cui loco contiguum est coemiterium bonorum virorum, vbi sepultus est Stephanus, Gura Jiel, Nicodemus, Abiba, David, Salomon, & boni reges alij. Sed quomodo tam est, quum ille locus sit sub potestate infidelium, nescio. Cum ergo Dominus descendisset, iubet sibi afferi aquam, *deponi vestimenta sua, & lauit eos se praecinxit.* Nihil omisit quod pertinet ad officium humilitatis. Deinde *misit aquam in peluum lapideum (vt scribit Ludolphus), cepit lauare pedes discipulorum suorum lutosos, quia discalciati erant & extergere lineo quo erat praecinctus.* Venit ergo ad Simonem Petrum. Petrus videns, quid facturus erat Dominus expauit, dicens: *Domine, tu lauas mihi pedes?* Tu rex caelorum, Dominus Angelorum, Deus deorum, tu Filius altissimi, speculum sine macula maiestatis Dei, lauabis mihi mistro homini, pauperulo piscatori, misero peccatori pedes? Tu, cui flebitur omne genu, caelestium, terrestrium, & infernorum, flectis genua ante defectuosum, vilemque peccatorem: Absit hoc, non conuenit hoc. *Dixit ei Iesus: Quod facio, tu nescis modo: scies autem postea.*

Apoc. 9.

Luc. 24. Ioan. 13.

Ludolphus Carthus.

Luc. 1. Sapien. 8.

Philip. 2.

K.K. 4 Bea.

*fta. Dixit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in aeternum. Non possum tolerare, non possum videre, quod tanta Maiestas se inclinaret, & humiliaret ante me indignam creaturam. Petrus faciebat bona intentione, tamen indiscreta, quia non debebat contradicere, vel resistere Domini voluntati, qui non potuit errare. Petrus tenebat hanc speciem ignorantis discipuli, vel subiecti, qui indiscretè loquitur, vel resistit contra factum superioris sui, cuius ignorat rationem. Et quia nescit, vel non intelligit, iudicat sæpè irrationabile esse, quod tamen est rationabilissimum, & optime gestum. Et dicitur periculosum est valdè prelatum suum iudicare, vel murmurare, quia præterdunt multa sæpè benè, & ad diuersa respicere habent, & in occulto sciamus sæpè multa, quæ non possunt, vel debent dicere, de quibus nos non aduertimus, nec cogitamus. Hoc transeat. Quid respondit Dominus Petro? *Petre si non laueris te, non habebis partem mecum.* id est, si persistis in inobedientia & pertinacia tua, contrarius voluntati meæ, non habebis partem mecum. Respondit Petrus: *Domine, non tantum pedes, sed & manus & caput.* Si sic necesse est, licet graue mihi sit te videre inclinatum & humiliatum ante pedes meos, tamen molestius longè est, à te separari. Si ergo non sufficiunt pedes, laua & manus & caput, id est, totum corpus. Dicit ei Iesus: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus,* scilicet præter pedes. Quare pedes non sunt mundi? quia pedibus calcamus terram, & non potest fieri, quin aliquid pulueris adhæreat pedibus, quibus calcatur terra, quod oportet abluere. Et licet hoc etiam ita veritatem habeat secundam literam, Dominus tamen dixit, & intelligi voluit spiritualiter. Qui lotus est in baptismo, non indiget, nisi ut pedes lauet. Per caput hominis, intelligitur intentio & voluntas: per manus, operatio: per pedes verdè, affectus & motus sensualitatis intelliguntur, qui dum in hoc mundi puluere graduntur, ex toto mundi esse non possunt. Licet ergo Apostoli, quantum ad conuersationem, intentionem, & opera, erant mundi: tamen quamdiu audiunt, tractantque terrena, non potuit fieri, quin desideria haberent, siue affectiones terrenas, à quibus habebant mundari: quomodo dicebat magnus Apostolus raptus ad tertium cælum (Paulum dico): *Sentio aliam legem in membris meis, & repugnantem legi mentis meæ.* Item: *Scio, quod non habitat in carne mea bonum.* Item: *Non quod volo, ago, sed quod nolo, hoc facio.* Habebat ergo, id est, sentiebat, Apostolus adhuc terrenas, vel peccati aliquas concupiscentias. Nolebat concupiscere, & tamen concupiscebatur. Ergo habebat adhuc pulueris aliquid in terra, licet alias mundus esset. Sed quid ipse dicebat? *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu,* hoc est, qui sentiunt concupiscentias, sed non consentiunt. *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim qui traditurus erat eum.* Duo sunt quæ mundant à peccato, eleemosyna, & charitas. De eleemosyna scriptum est: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De secundo: *Charitas operum multitudine peccatorum.* Neutrum illorum habebat Iudas, sed contraria. Non eleemosynæ largitionem, quia fur erat, nec charitatem, quia proditor erat. Ergo non erat mundus. Habemus autem ex illo articulo, quantum prout nunc sufficit dicere, duo documenta. Primum exemplum, siue documentum, est maximè humilitatis, subiectionis fraternæ, & charitatis obsequiosæ. Postquam ergo Dominus omnium lauisset pedes, etiam proditoris, venisset &*

Petrus recusans lotionem pedum suorum, quorum personam gerat. Iudicare superiores quæ sit periculo sua.

Lauare manus, caput & pedes mystice quid sit.

Roma. 7.  
Ibidem.  
Ibidem.

Roma. 8.  
Duo quædam sunt quæ mundant à peccatis.  
Luce. 12.  
1. Pet. 4.  
Frouer. 10.  
Ioan. 12.  
Matth. 26.  
Documenta huius articuli duo quæ.  
Humilitas.

VI  
21

set & osculatus esset, resumpsit vestimenta sua, & ascendit ad locum vbi prius cenauerat. Et cum recubisset iterum, dixit: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & magister, quanto magis & vos debetis alter alterius lavare pedes. Si ergo Dominus vester sum, praeceptum meum hoc servate. Si magister sum, doctrinam hanc meam custodite. Ego non solum hoc feci ob pedum corporalium emundationem, sed propter humilitatis eruditionem. Nec solum in lavandis pedibus hanc legem vobis statuo, sed volo vt in omnibus attendatis exemplum meae humilitatis, & discatis, quomodo debeatis vos vobis invicem inferiores facere, & humiliter & charitative servire. Aliud documentum est, quod Dominus discipulos mundos esse voluit, etiam a pulvere pedum ante sumptionem corporis & sanguinis sui. Per quod indicavit, quantum mundiciam requirat a nobis, & quantum diligentiam adhibere, & nos preparare debemus, vt pura conscientia ad hoc venerabile Sacramentum recipiendum, accedamus.

Lotionis pedum discipulorum ratio que.

Quantis cum puritate accedendum ad sacramenti sumptionem.

IESVS CORPORIS ET SANGVINIS SVI  
Sacramentum instituit. Articulus V.

¶ **C**oenantibus autem illis, scilicet Iesu cum discipulis suis, hoc est, cenam agni typici consummantibus & perficientibus, accepit Iesus panem, non fermentatum & eleuatis oculis, ad Patrem gratias agens, pro veteribus terminatis, & nouis inchoandis, benedixit, ac fregit, scilicet post consecrationem, dedit quae discipulis suis, dicens: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter accipiens calicem, & item gratias agens, benedixit & dedit illis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Illis verbis Sacramentum hoc instituit, & tacite Testamenti veteris caeremonias destituit, quia signum & figura sunt inania alicuius venturi, quando iam praesens ostenditur & habetur, quod figurabatur. Illis verbis iam dictis, scilicet, hoc est corpus meum, &c. Et hic est sanguis meus, &c. mutauit Dominus panem in carnem, & vinum in sanguinem suum. Et creditur tunc illis verbis dedisse efficaciam & virtutem in posterum, vt cum proferuntur eadem a sacerdote super debitam materiam & cum intentione consecrandi, fiat transsubstantiatio. Sequitur, & dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Hic dedit Apostolis potestatem, & successoribus eorum, celebrandi hoc Sacramentum & frequentandi. Significauit etiam causam institutionis, scilicet, in sui memoriam. Et ideo admonemur memores esse sancti per cum magna gratiarum actione, & deuotissima huius celeberrimi Sacramenti veneratione, maxime charitatis, & dignationis diuinae, quod nobiscum voluit permanere, & permanebit vsque ad consummationem seculi, tam verus, perfectus, & in nullo minor, quam est cum beatis in caelo: nec aliqua differentia in eo est maioritatis, vel minoritatis, nisi qui beati vident eum fulgentem in sua propria specie sicuti est: nos vero sub aliena specie latentem, eundem tamen Deum, qui in caelo, & qui in Sacramento est. Ecce ille voluit nobiscum manere, cum peccatoribus ingratis, contemptoribus, transgressoribus, suum nomen blasphemantibus, & tantam irreuerentiam sibi facientibus, & indignè scienter cum sumentibus. Quod maior contumelia

Matth. 26.  
Luc. 22.  
1. Cor. 11.

Charitas Christi in hoc Sacramento quanto.

Matth. 26.  
Post hoc  
dedit panem  
discipulis  
dicens  
accipite  
comedite

LL est,

est, quod ponitur in immundam conscientiam, quam si poneretur in cleam, ceteris paribus.

*IESVS TRADITOREM SVVM CHARITATIVE CORRIPUIT. Articulus VI.*

Ioan. 11.  
Math. 16.  
Auguſt.

**Q**uoniam autem hoc, id est, superiora in lotionem pedum, & institutionem sacramenti, Iesus dixisset, turbatus est spiritus. Quare? Super lapsu, periculo, & damnatione sui discipuli, qui in tam detestabile crimen ceciderat venditionis, videlicet innocentis sanguinis magistri sui, pro quo magis dolebat magister pius & misericors, compatiens illius infelicitati, quam pro seipso morituro. Et quia studuit eum ante per beneficia & signa familiaritatis & affabilitatis emendare scilicet lauando eius pedes & osculando, & (ut quidam doctor dicit, ut credo Augustinus) lachrymando tunc, & cobando illum corpore & sanguine suo: nec profecit, quia cor illius induruerat: adhibet nunc etiam verba reprehensionis, palam ostendendo se non peccatum eius, sub generalibus tamen verbis, & tacito eius nomine, ne alii eum notarent. Unde dixit Dominus: *Amen amen dico vobis, vnus ex vobis me tradet.* Audientes hæc discipuli, turbati sunt, & vnus inspexit alterum, non auctores comedere: Quilibet formidabat pro conscientia sua: quia licet nihil mali sibi conscij essent alij discipuli præter Iudam, tamen credebant magis verbis magistri sui, quam propriè conscientia. Sciebant enim necesse esse verum & fiendum indubitanter, quod Dominus veritas ipsa dicebat. Vnde quilibet eorum dicebat: *Nunquid ego sum Dominus? Aut illi Iesus: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Ex hoc nondum clarè intellexerunt, quia minores discipuli comedebant in alia mensa, & soli Apostoli cum Iesu, ex vna scutella. Ideo solum intellexerunt, quod non ex minoribus discipulis, sed ex Apostolis aliquis traditurus erat Dominum. Subiunxit Dominus: *Vt homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille.* Apostolis igitur interrogatibus quilibet pro se, quis esset, compulsi sunt etiam Iudas interrogare, ut non notaretur, & dicere: *Nunquid ego sum Rabb? Dicit illi Iesus: Tu dixisti.* Credendum est Dominum hæc dixisse leniter, ut alij non audirent. Petrus autem zelosus pro Domino, cupiebat scire, quis esset. Innuuit ergo discipulo, qui recubuit super pectus Iesu, id est, Ioanni, ut interrogaret Dominum. Interrogat igitur Dominum Ioannes, dicens: *Dominus qui est qui tradet te.* Iesus reuelat illi tanquam familiari, & qui scripturis erat in euangelium, dicens: *Cui intinxi panem porrexero, hic me tradet.* Et cum intinxi panem, dedit Iuda Simonis Ischariæ. Et dixit Iesus: *Quod facis facitius.* Hoc non dixit imperando, sed ostendendo, quia spontè, & cum magna sui desiderio expectabat suam passionem, quam cupiebat accelerari, propter redemptionem nostram, & liberationem patrum ex limbo. Cum ergo hoc Iudam Iesus Iuda tradidisset, post buccellam introuit in eum Satanas, hoc est, ampliore potestatem & damnationem in eo accepit, quia per malam voluntatem Iudas se magis illi subiecit, & exiit continuo, ad querendam cohortem, quam caperet Iesum. Ex isto articulo multa habemus documenta. Primum, quod debemus spiritualiter tristari de alterius, scilicet proximi nostri casu in peccatum, sicut Christus turbatus est propter lapsum Iudæ. Secundum, quod

De hoc odus  
ut in proxi-  
morum lap-  
sus in pecca-  
to.

debamus omnibus modis conari, quod resurgat & emendetur, qui cecidit, monendo, orando pro eo, reprehendendo, alijsque modis. Et licet hoc ad omnes, maximè tamè spectat ad prælatos, qui sunt pastores animarum. Vnde Dominus Iesus præbuit se exemplum, quadruplici via tentans Iudam reuocare: Primo beneficijs, vt exolliretur scilicet lauando ei pedes, & dando ei corpus suum, & sanguinem. Non enim exclusit eum à generali communiõne, propter occultum peccatum: sicut etiam nulli sacerdoti licet negare parenti Sacramentum in publico, licet sciat eum esse in mortali peccato occulto, & indignè sumpturum. Secundo, Dominus voluit Iudam retrahere pudore: Vnde dixit in generali: *Vnus vestrum me tradet.* Tertio, timore: Vnde comminatus est, ei dicens: *Va homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Quarto, affectus offensione, & blanda allocutione, quum dixit reuertenti, & officulo prodenti se: *Amice, ad quid venisti?* Ex hoc debent discere prælati, quod non vno tantum modo, aut via, sed qualitercunque possunt, tentare debent & conari, vt reuocetur, qui declinat ad perditionem. Tertium documentum est, quod occulta peccata non sunt reuelanda, sicut Dominus non reuelauit peccatum Iudæ discipulis, nisi Ioanni sub missa voce, qui scripturus erat hoc Euangelium, & tenuit in secreto, nec reuelauit Petro interroganti. Et de hoc satis pronunc. *Cum autem exisset Iudas à cætu, & conuentu sanctorum discipulorum, quorum Abbas erat Dominus Iesus, scribit Euangelista, quod erat rex.* Et hoc bene conueniebat filio tenebrarum, vt ambulet in tenebris exterioribus, qui plenus erat interioribus. Incipiente igitur, & accedente nocte, & nos volumus hic terminare vesperam, id est, ea quæ Dominus gessit circa tempus vespertinum: & quæ sequuntur annumerare volumus completorio.

Iudam traditorè vii Christi studerit quod nescit corrigere.

Math. 26. Prælati quanto studio reuocare debeant ouem errantem. Ioan. 13.

Ioan. 14.

Completorium Primum hic incipit, habens articulos septem.

*IESVS DISCIPVLIS PRÆDICAUIT. Articulus VII.*

Quum Iudas exisset, incepit Iesus dulcissimum sermonem totum plenum igne dilectionis, & melle dulcedinis, in quo consolatus est discipulos, quasi vltimum vale cum illis loquens, & admonens, vt non tristerentur de illius passione, quæ iam instabat, nec turbarentur de sua persequutione euentura. Hunc sermonem solus Ioannes scripsit, quia super peccatum Domini recubuit, ex quo nisi paucissima tangam, ceteris omisissis propter passionem: Dixit ergo Iesus discipulis suis. *Filii, adhuc modum vobiscum sum. Ecce nominat eos filios, ex teneritudine, & dulcedine amoris, quia in separatione amicorũ, amor plus solito feruescit, & corda eorũ magis liquefcunt erga se mutuo. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscant omnes, quod mei estis discipuli, si dilectione habueritis ad inuicem. Non turbetur cor vestrum propter ea quæ videbitis me passurũ, neq; formidet, scilicet ea quæ vos estis passuri. Si diligitis me, mandat a me a seruate. Qui habet mandat a meo, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autè diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eũ, & manifestabo ei meipsum. Non relinquam vos orphanos. Veni ad vos.*

Ioan. 11.

Ibidem.

Filios cur Christus Apostolos vocet.

Ioan. 14.

LL 2 Dein-

VI  
E

Deinde præmonuit eos ad patientiam. *Si mundus vos odit, scitote quia me prius rem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret. Quod verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Nomen totum sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestram seruabunt. Absque synagoga facient vos, sed venit hora, ut omnis qui interfecit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Amen amen dico vobis: plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudet, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Hæc locutus sum vobis, id est, ad hunc finem, ut pacem in me habeatis, id est, non queratis eam in mundo, quia ibi nihil nisi tribulationem habebitis: sed in tribulatione vestra queratis pacem in me. In mundo pressuram habebitis: sed confidite ego vici mundum.*

Post hæc subleuatis oculis in cælum, orauit pro se, dehinc pro discipulis, & vltimo pro omnibus qui credituri erant in eum. Oportet nos hæc relinquere, quia tam multa sunt & copiosa ad explanandum, ut si his vellemus immorari, non sufficeret tempus ad passionem, vel inciendam. Sunt etiam specialia documenta tot ibi, ut vix tribus verbis prolatis, doctrina dilcissima inueniatur. In generali tamen pro toto sermone hoc possumus accipere documentum, quod tristes & tentati, sunt semper sermonibus consolatorijs & dulcibus fouendi, quia sufficit eis propria tristitia, quæ non est exaggeranda, sed lenienda.

*IESVS EXIIT AD MONTEM OLIUARUM. Articulus VIII.*

Matth. 26.  
Marc. 14.  
Luc. 22.

**H**anno dicto, id est, gratijs, & laude Deo Patri exhibitis, Egressus est Iesus secundum consuetudinem in montem Oliuarum, quia consuevit hac via transire in Bethaniam: & quia sæpè pernoctauit in monte causa orationis in horto quodam, ad quem etiam modo exiuit, ut scilicet Iudas possit eum reperire in tali loco sibi optimè noto, & à turbis separato, vbi possit capi sine tumultu populi: In quo ostenditur, quam voluntariè pati voluit Dominus. Secuti sunt autem eum discipuli eius. Ibi dixit Iesus ad eos: Omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem & dissipentur oves gregis. Petrus hæc audiens, dixit: Et si omnes scandalizauerint, ego nunquam scandalizabor. Similiter & omnes dixerunt. Dominus respondit Petro: Antequam gallus cantet bis, ter me negabis. Petrus dixit: Et si oportuerit me mori tecum, ego te non negabo. Ego paratus sum tecum ire in carcerem, & in mortem. Petrus dixit hæc ex corde, & ita sibi pro tunc videbatur: sed post aliter euenit. Ipse nimis præsumebat de seipso, quia nondum expertus erat propriam fragilitatem, ideo permisit eum Dominus cadere postea, ut disceret quid esset. Habemus hic bonum documentum, ut ad patiendum, siue laborandum, siue operandum offeramus nos spontaneos pro honore Dei, sicut Dominus fecit: sed tamen cum humilitate, ut non confidamus in nobis ipsis, sed in sola miseratione & confortatione diuina, ne præsumentes caueamus, sicut accidit Petro.

Quanta cum humilitate resignare & esse te nos Deo ad ipsius in nobis perferendū beneplacitum debeamus.

IESVS

IN PASSIONEM DOMINI. **MAI**  
**IESVS COEPIT CONTRISTARI ET**  
*mæstus esse. Articulus IX.*

**VI**  
**21**

**C**um peruenisset Dominus ad locum ubi traditorem suum volebat expectare, dixit octo discipulis suis in primo ingressu horri, *Sedete hic, donec vadim illuc & orem. Orate, ne intretis in tentationem, id est, ne capiimini à* tentatione. *Et assumptis Petro & Iacobo & Ioanne: illi fuerunt cum eo in monte, quando coram eis transfiguratus est & viderunt claritatem eius: & ideo merito admittebantur videre infirmitatem passionis eius, etiam erant ei ceteris familiares. Caput contristari & mæstus esse, pauere & tædere. In Domino Iesu fuerunt etiam naturales passionis, tamen sine peccato, scilicet timor, tristitia, fames, sitis: sed differenter à nobis, quia tales communiter in nobis præueniunt rationem & voluntatem, nec subijciuntur rationi vel voluntati, vt possimus habere, quando volumus, vel non habere, quâdo nolimus. In Christo verò sequebantur rationem & voluntatem. Vnde non tristabatur nisi volens, non esuriebat nisi volens: volens timebat, volens gaudebat & ita de alijs. Et ideo non dicit Euangelista, contristatus est, sed cepit contristari. Sequitur, *Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem, id est, tanta, quantam viuens potest sustinere. Non mirum. Propter multa enim tristabatur Dominus, quæ iam in vnum conueniebant, & pissimum cor eius grauiter affligebant: Primum fuit, peccatorum multitudo. Contristabatur enim pro peccatis totius mundi. Ego si non nisi vnum peccatû mortale commisissem, deberem infinitam tristitiam habere, quia infinitum bonum offendi, id est, Deum. Quantam tunc tristitiam debeo habere, si fortè centies milies Deum offendi mortaliter? Certum est quod infinitam tristitiam non possum habere, sed si tantam habeo, quæ meæ possibilitati competit, reliquum supplicuit Dominus Iesus sua tristitia. Cum ergo tot peccata sùt quotidie in vna ciuitate, in vna prouincia, in toto mundo, quot in anno, quot in mille annis, quot in annis ab Adam vsque in finem Mundi, quandoquidem iam circa septem milia annorum fluxerunt ab origine mundi, & quot adhuc restent, Deus scit. Pro peccatis totius mundi doluit Dominus Iesus & pro singularibus, quia in speculo suæ diuinitatis singula vidit facta & futura. Secundo doluit propter ingratitudinem Iudaici populi, quibus tot singularia beneficia contulit præ gentibus totius mundi, & adeo duri & ingrati, vt pro gratiarum actione ipsum parabant interficere. Tertio, pro perditione Iudæ. Adeo nobilis est vna anima, vt totus mundus deberet dolere & plorare, quando vna anima damnatur. Præligendum esset, vt totus mundus defineret, quàm vna anima periret. Si nos debemus tantum dolere pro perditione & damnatione vnius animæ, quantum putatis doluit ille, cuius omnes sunt animæ, qui omnes creauit, pro omnibus sanguinè suam fundere disposuit. Quarto, pro multitudine damnandorum. Iam dixi, quod doluit pro Iudæ damnatione. Si pro vna anima tantum doluit, quantum pro innumerabilibus, quibus sciuit passionem tantam, charitatemquæ tantam non profuturam ex eorum culpa? & suum laborem & dolorem in illis perdit ac frustrari? Quantam hominum multitudinem præsciuit, qui passionis suæ oblituri, nec vnquam dicunt: Gratias tibi Deus, quia pro me passus es. Imo**

Matth. 6.  
Marc. 14.  
Lucæ 22.

Matth. 27.  
Marc. 9.  
Lucæ 9.

Passiones naturales quales fuerunt in Christo.

Matth. 26.  
Christus vti propter multas causas fuerit tristis vsque ad mortem.

**I.**

**II.**

**III.**

Animarum nobilitas & preciositas quanta.

LL. 3. quàm

quàm multos sciuit, qui etiam per passionem & crucem eius iuraturi & blasphematuri erant. Tristabatur de scandalo, & dispersione discipulorum suorum. Tristabatur etiam naturaliter maximè de morte sibi imminente, & ineffabilibus tormentis ac pœnis: quæ tamen secundùm rationem & voluntatem rationalem desideranter suscepit: secundùm sensualitatem uero, quia uerus homo fuit, expauit mortem. Hic consolamur, ut si in aduersitatibus nostris subrepat nobis tristitia & pusillanimitas, & liberer essemus liberati ab infirmitate vel passione, non debemus propterea desperare, vel existimare nos alienos à Christo, dum tamen secundùm rationem & voluntatem sumus resignati in beneplacitum diuinum, ut nihil uelimus secundùm rationem consensum voluntatis, quod sit contra Deum, sed facimus de necessitate uirtutem, ut sensualitate etiam murmurante amplectamur Domini uoluntatem in eo, quod citra uoluntatem Domini esset molestum. Monemur ex hoc quoque Articulo, etiam tristari pro quibus est Dominus contristatus, maximè pro nobis ipsis, pro peccatis nostris proprijs & alienis, quæ causa fuerunt tristitia Domini & totius passionis. Item tristari debemus iam propter ingratitudinem nostram, tam multis beneficijs à Deo receptis. Item, ut tristitia nostra Deo sit accepta & nobis proficua, debemus unire tristitia Domini Iesu, & sic illi offerre, & huius Articuli memoriam representare.

In aduersitatibus & tristitia cõstitis quid facito opus sit.

Tristandum quibus modis salubriter nobis sit.

I.

II.

III.

IESVS AD PATREM ORAUIT.  
Articulus X.

**C**UM Dominus tristitiam suam discipulis reuelasset, uoluit nobis exemplum dare, instruendo nos, quid facere debeamus in tristitia & angustijs nostris: Quid fecit? separauit se etiam ab illis tribus discipulis ad orationem iturus, quasi cum illis non potuisset orare. Unde dixit illis: *Sustinete hic & uigilate mecum. Et progressus ab eis, pusillum, quantum esset, iussit lapidibus, & positus genibus prociidit in faciem suam, id est, super terram, & ait: Mi Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, id est, transfer hunc calicem à me: Si ita inquam possibile est, ut nihilominus redemptio generis humani fiat per alium modum. Verantamen non si, ut ego uolo, sed sicut tu. Angustia mortis & passio non placebat Christo, de per se, & similiter, loquendo secundùm humanum affectum, uoluisset non pati. Conditionaliter uero, quia pater uolebat, & humani generis saluatio hoc requirebat, libenter mortem sustinebat. Et dicebat. Non sicut ego uolo, sed sicut tu. Notate hic in Christo duas uoluntates: Vnam, qua secundùm humanum affectum uoluisset non mori, alia qua uoluit Patri obedire & nos redimere. Primam calcauit: Secundam statuit & prætulit, quando dixit: Non uolo, sicut ego uolo: Sed uolo sicut tu uis. Sic etiam sancti Martyres libenter mortui sunt pro Christo propter amorem eius: tamen secundùm naturam & sensum carnis non delectabant eos mori: Uoluissent enim potius non mori. Sed quia hanc uoluntatem non moriendi Deo subiecerunt, superauerunt: & quod naturaliter fugiebant, propter Deum elegerunt: ideo maximè meruerunt. Ex quo patet, quod timor mortis, vel affectus naturalis uiuendi, quem tamen Christo subiecerunt nõ nocuit eis sed multum*

Matth. 6.

Lucæ 22.

Voluntates duas fuisse in Christo.

Martyres sancti qui ex uoluntate pro Christo mortui sunt.

LVI  
E)

multum profuit, quia occasio fuit seipsum vincendi. Si enim delectabile illis fuisset mori, secundum sensum carnis, sicut est comedere, quid meruissent? Ita potestis etiam applicare ad Christum. Habemus hic doctrinam, ut tempore tentationis, tribulationis, angustia, & in omni aduersitate seu tristitia, recurramus ad orationem. Quia oratio est sicut clipeus, contra omnia aduersa. Et Dominus permittit nos sepe incidere aduersitates & tentationes, ut discamus fugere, & ab istis exterioribus nos recolligere ad Deum. Qualis autem oratio nostra debet esse, discimus ex eodem exemplo Christi: Primo solitaria, quia talis est purior & quietior, quando scilicet homo sequesteratus est ab omni homine impediente se. Hoc Christus fecit ad instructionem nostram, licet alias non indigebat: quia non poteram impediri eius oratio. Secundo, humilis: Ideo Christus in facie humi prostratus, orauit. Tertio, deuota & seruens. Hoc ostendit Christus, quando dicit: Mi Pater. Quarto, recta, ut voluntatem suam orans resignet, & nihil velit, nisi quod placeat Deo, sicut Christus fecit. Quinto, charitatiua, id est, cum dilectione proximi, sicut Christus ter surrexit ab oratione, & visitauit discipulos, sollicitudinem gerens pro illis. Sexto, perseuerans, sicut Christus ter eandem orationem orauit, rediens a discipulis.

Ad orationem quid nobis recurrendum.

Oratio nostra exemplo Christi orationis qui fieri debeat.

- I.
- II.
- III.
- III.
- V.
- VI.

IESUS DISCIPULOS VISITAVIT

Articulus, XI.

Quoniam Dominus Iesus in oratione consisteret, recordatus suorum discipulorum, quantumcumque ad Patrem pro seipso intentus, intermisit orationem & curam habuit suorum discipulorum. Cum ergo surrexisset ab oratione & venisset ad eos, inuenit eos dormientes. Et dicit Petro qui se putabat fortiorem aliis, qui dixerat: Si omnes fuerint scandalizati &c. sic: Simon dormis? ubi est nunc pollicitatio tua, ubi fortitudo tua? Non potuisti vna hora vigilare mecum? quomodo ires pro me in carcerem & mortem? Deinde dicit ad omnes. Vigilate & orate, ne intretis in temptationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et iterum secundo abiit & orauit eundem sermonem, dicens: Pater mi, si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum graues. Et relictis illis, iterum abiit & orauit eundem sermonem, dicens: vt supra. Docemur hic, quantam dilectionem debemus habere & curam pro fratribus tentatis, quando Christus in re tam seria ter ab oratione cessauit, respiciens ad discipulos, & hoc maxime requiritur a Praelatis.

Math. 26.

Ibidem.

Cura quantum habenda & dilectio erga fratres tentatos.

IESUS EST AB ANGELO CONFORTATUS.

Articulus XII.

Quoniam Dominus Iesus tertio redierat ad orationem, apparuit ei Angelus de caelo confortans eum. Talis confortatio Angeli, forsitan nihil aliud fuit, quam assistentia: sicut amicus amicum, vel etiam seruus Dominum suum, sua praesentia nititur consolari. Et si forte aliqua verba consolatoria dixit, hoc fuit ex humilitate Domini Iesu, qui non refugit etiam consolari a seruo. Legitur alias, quando in deserto fuit tentatus a diabolo & esuriis, accessit.

Confortatio Domini Iesu qui intelligatur.

Math. 4.

Marc. 4.

Luc. 4.

LL 4 accessit.

accesserunt Angeli & ministrabant ei. Illic ergo Angelus ministrat, hic confortat Dominum. Quid ergo per hoc intelligitur, nisi duæ naturæ in Christo? Quod Angelus ministrat Christo, ad diuinam naturam referendum est, quod confortat, humanæ naturæ attribuendum est. Habemus hic documentum: Quod enim Christus orans voluit confortari ab Angelo, non ideo voluit, quasi egeret sed voluit, vt disceremus in tribulationibus nostris refugium & auxilium querere à Deo per orationem humilem, cum retributione propriæ voluntatis. Et si Dominus non exaudivit nos secundum hoc quod petimus (quia fortè non expediret nobis) ipse exaudivit nos ad salutem nostram, sicut ipse nouit, & sicut etiam nos in principio Dominicæ orationis illi commendamus: si tamen rectè oramus, dicentes: Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Et nihilominus minuit occultè consolationem aliquam spirituales in oratione (si tamen, vt dixi perseueremus in oratione, & fiducialiter ei committimus causam nostram, & nos) quàm fortiores erimus ad sustinendum, laborandum, vel resistendum, secundum quod accidit tentatio.

*IESVS SANGVINEM SVVM SUDAVIT. Articulus XIII.*

Lucæ 22.  
Agon quod sit.

**Q**uam Dominus Iesus tertio ad orationem rediisset & confortatus esset ab Angelo, factus in agonia prolixius orabat. Agon est certamen contra mortem, vel mortis anxietas: Vel potest dici reluctatio sensualitatis & rationis. Ille agon proueniebat ex hoc, quod sensualitas in sua infirmitate relicta, permittebatur agere & pati secundum quod ei proprium erat: quæ valde horrebant mortem & instantem pœnam cum magna anxietate, sicut naturæ proprium est. Rationalis verò voluntas, secundum quod sibi proprium est, feruentissimè mortem pro salute humana desiderabat: Vnde causabatur agon, siue colluctatio, ita vt ex feruore orandi, ex apprehensione imminens periculi, & vehementi anxietate sensualitatis inflammabatur & corpus, vt apertis poris efflueret sudor sanguineus & rubecundus. Ille sanguis fuit naturalis, & verus sanguis: sed effusio, siue sudatio eius, fuit supernaturalis & insuetæ. Per istam sudationem, sicut dicit Bernardus, Christus quasi dicitur fleuisse ex omnibus membris.

Agonia Christi unde orationem habuerit.

Sanguis sudoris Christi unde & qualis.

Attentio de seruo quantum habendus in orationibus.

Lachrymæ compassiois quantum Christo placeant.

Ex isto Articulo docemur, quantum attentis & feruentes debemus esse in orationibus nostris: quando Dominus Iesus attentus adeo fuit, vt sanguinem sudaret sudorem. Et quia nos in oratione sanguineum sudorem non mittimus, saltem pro sanguine lachrymas emittamus. Placent enim Deo, maximè in recordatione suæ passionis lachrymæ effusæ. Vnde cuiusdam sanctæ personæ, & vt creditur Mechtildi, Dominus reuelauit, dicens: Dico tibi, quod si quis recordatione passionis meæ lachrymas fuderit cum deuotione, tam grātanter suscipere eas volo, ac si ipse pro me sit passus. Surgens autem Iesus, iterum venit ad discipulos suos, & compatiens eorum infirmitatem dixit: *Dormite nunc & requiescite.* Et ipse interim pro eis & coram eis vigilabat & eos custodiebat, sicut pater filios, sicut pastor ouiculas. Verè bonus & pius est, & suos in finem vsque dilexit. Hic iam terminatur Completorium, & dormire quis deuotè potest cum discipulis sub custodia Domini.

Matthi.

Matutinæ hic incipiunt, habentes Articulos XVIII.

IESVS INIMICIS SVIS OBVIAM PROCESSIT Articulus XIV.

**C**UM discipuli ad aliquam horam dormissent, licet parua, Dominus, Iesus presentiens aduentum Iudæ, & eorum, qui se capturi erant, ne discipuli dormientes ex improviso illorum aggressu, siue incursum turbarentur, excitauit, & præmonuit illos dicens: Sufficit, scilicet quod dormistis. Ecce venit hora, vt tradatur filius hominis in manus peccatorum. Surgite iam illis obuiam. Hoc dixit ad tres: deinde iuit etiã ad alios octo, qui longius requiescebant, suscitans eos, Et dicens: Ecce qui me tradet prope est. Et ad huc eo loquente, ecce turba multa cum gladis & fustibus missi à Principibus sacerdotum, & Scribis, & Senioribus populi. Et qui vocabatur Iudas vnus ex duodecim antecessit eos. Dederat autem traditor eis signum dicens: Quemcumque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum & ducite cautè id est, ne labatur vobis ex manibus, vel rapiatur ab amicis. Iesus autem sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit eis obuiam, & dixit eis: Quem queritis? Responderunt Iesum Nazarenum. Ecce non poterunt Iesum non solum non capere, verum etiã nec cognoscere, vt diceceramus, quia sponte se Iesus tradidit in mortem. Dicit eis ergo Iesus: Ego sum. Vt ergo dixit Iesus, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Ecce ostendit se eis, & non possunt eum tangere: imo nec ferre vim duorum verborum. Ecce duo verba Christi, quibus se indicauit, scilicet Ego sum, tam potentia fidei, vt totum illum exercitum prostrarent in terram, & etiam Iudam? Quid factum esset, si voluisset se vindicare, vel illis prohibere? Si ita terribilia sunt verba Christi, nec ferenda ab impijs, quãdo se dedit in mortem, id est, voluit capi, iudicari, & occidi, quãdã grauius audienda sunt verba eius, & quãdã formidanda, quando veniet iudicare, & malos vindicare? Quomodo fuerunt illa verba: Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius? Cùm autem surrexissent à terra, interrogauit eos iterum Quem queritis? Et iterum responderunt ei: Iesum Nazarenum. Tunc dedit illis Iesus licentiam agnoscendi & capiendi se dicens: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire. id est, concedo vobis potestatem super me, sed non super discipulos meos: quia nondum tempus est vt mouiantur. Ecce signum charitatis: se dedit ad patiendum, tamen ne quid discipulis mali fieret, prohibuit. Discamus ex hoc Articulo patientiam, & bonam voluntatem habere ad patiendum omnia, quæ Dominus super nos permittit, & non fugiamus, vbi agnoscimus voluntatem Domini: quia quo fugiemus etiam si fugere volumus? Vbi non est Dominus Deus? vbi non est tentatio? Pax nostra nõ consistit in non sentiendo aduersitates, sed patienter tolerando. Pax nostra nõ stat ab extra, sed in corde nostro. Si nos ipsos vincimus, tunc omnes inimicos nostros superauimus. Non enim habemus maiorem inimicum, qui possit nobis nocere, quãdã proprium cor nostrum, propriamque voluntatem. Ille potest nobis nocere, cætera omnia, etiam totus mundus non potest nobis nocere, si tantummodo cor rectum habuerimus ad Deum, & voluntatẽ con-

Marc. 14. Matth. 26.

Luc. 22. Ioann. 18.

Matth. 6. Marc. 4. Luc. 22. Ioann. 18.

Patientia, voluntatemque patiendi discere nos debere ex hoc Articulo.

Pax nostra in quo verè consistat.

MM formen

VI  
21

Pax vera in solo Deo querenda. Ioan. 6.

formem cum ipsius voluntate. Idcirco vigilandū est semper, rēratio semper expectanda, semper pugnandum contra peccata, semper toleranda aduerſa: quia etiā vna recedit tentatio, immediatē sequitur alia. Aliam pacē non habemus, nisi in Deo: quia sicut ante dixi, imo ego non dixi, sed nūciavi, quod Christus dixit discipulis in cenā: in mūdo praesuram habebitis, sed pacem habeatis in me. Si pax esset non sentire aduerſa, nullas pati contumelias, iniurias, &c. tunc nullus sanctorum, nec Christus pacem habuisset. Sed nō est ira. Quomodo est tunc? Sicut iam dixi, vt pacem habeamus cum Deo, & in Deo in corde nostro, in voluntate nostra, & foris patienter sustineamus aduerſa & non solum foris, sed etiam intus timores, tentationes, pugnas, quibus repugnandum est.

IESVS OSCULO TRADITUS EST. Articulus XV.

Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. Osculo Iesum solitum recipere discipulos re. deunt.

**C**VM Iesus inimicis suis, vt praedixi, licentiam se capiendi dedisset, *Das confestim accedens ad Iesum dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum.* Dominus Iesus pro consuetudine habuit venientes ad se discipulos dum abſuerant osculo recipere. Ceterum videte hunc nequam quanta infidelitate obcaecatus fuerat, quo credidit Dominum latere suam nequitiam. Veniebat enim cum armatis, & praecedens ad Dominum, osculabatur eum: exhibens falsum signum pacis & charitatis, quam si ipse nihil mali haberet in corde, nec pertinere ad turbam armatam, sed casualiter sic ante hortum conuenissent, & hac simulatione putabat se illudere Domino, & accipere illum, vt non posset dolum eius & malitiam aduertere. Oh quare non meminuit, quoties Dominus Iesus cogitationes cordium Iudeis, Scribis & Pharisaeis manifestauit: quod ipse est inspector cordium, & nihil potest illi esse occultum. Dominus Iesus humiliter inclinauit se ad eum, & dulciter dedit osculum, & benigniter affatus est eum, dicens: *Amice ad quid venisti Iuda osculum hominis tradis?* Non putes peccatum tuum me latere. Ego noui quare venisti, ego scio quid est in corde tuo. Si adhuc poenitere volueris fili me, recipiam te ad poenitentiam, & peccati tui non recordabor, & lauabo te sanguine meo, quem tu vendidisti.

Matth. 9. Marci 7. Lucæ 3. 6. 11.

Matth. 26. Lucæ 22.

Charitate quanta Christus vsus est erga Iudam proditorem.

Inimicos diligendi exemplum per magnum in Christo.

Charissimi filij, audita tanta mansuetudine piissimi Iesu, magni Domini, creatoris mundi super nequissimo traditore, quis non emolliatur in corde suo erga suum (si quem habet) inimicum? Quis non recipiet hic documentum? quis non vider exemplum, quomodo oporteat iniurias obliuisci, offensam dimittere, & inimicum suum magis velle lenitate & charitatis officio placare, quam se mali retributione, vel verborum asperitate vindicare? Habemus hic bonum exemplum dilectionis inimicorum. Cogitate quid nos faceremus, si proditorem nostrum haberemus ante nos in ipso actu & executione proditionis suae, & potestatem haberemus in illum sicut Christus. Quid faceremus? In frustra vti que deciperemus. Et quid Christus fecit, iam audistis. Osculatus est eum, & dulciter eum allocutus est.

IESVS HOSTEM SUUM CVRAUIT. Articulus XVI.

Domi

**D**omino Iesu per osculum tradito, videntes hi qui circa ipsum erant, quod factum erat, quod vellent irruere in Iesum, interrogauerunt Iesum, dicentes, Domine si percussimus gladio? Petrus zelo accensus, non potuit expectare responsum: sed eduxit gladium, & percussit pontificis servum, cui nomen erat Malchus, & maiori furore ingressus ad apprehendendum Iesum: & amputavit auriculam eius dexteram. Sed & Dominus Iesus increpauit Petrum, & mandauit ut gladium reduceret in vaginam, quia qui gladium accipit: cui non est commissus, sed sua autoritate accipit vel vitur, dignus est ut gladio pereat. Calicem (inquit) quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? An putas, quod non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Non ergo opus haberem duodecim Apostolis, si vellem pugnare, aut me defendere. Legio continet sex milia, sexcenta sexaginta sex. Et cum stragisset auriculam eius, scilicet Malchi, sanauit eam. Iste Malchus crudeliorum & minatiorem se ostenderit contra Iesum, sed Dominus Iesus pro malo (ut consueuerat) retribuit bonum. Et quid mirum? De fonte aliud non fluit, nisi quo plenus est. Et ipse Christus fons est, & origo totius bonitatis, nec aliud fluit nisi pietas, charitas, misericordia, benignitas &c. Ipse seruauit quod ante docuit, scilicet: Benefacite his qui oderunt vos. Et Apostolus eius Paulus. Noli (inquit) vincere a malo, sed vince in bono malo. Item: Si quis tibi iniuriam fecerit, et ab illis: Si fecerit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Hec facimus & nos, quia hec est doctrina quam habemus ex hoc articulo.

Lucas 22  
Matth. 22  
Marc. 14  
Ioan. 11

Malchi crudelitas in Iesum quantafuerit.

Manifestudinem Christi imitandam erga hostes nostros. Matth. 5. Rom. 12.

**IESVS VOLENS CAPTVS EST.**  
*Articulus XVII.*

**I**n illa hora (ut dicit Euangelista) dixit Iesus ad turbam & ad magistratus, & seniores populi & ad principes sacerdotum, quamuis isti non venerant in propria persona, tamen Euangelista sic refert, ut ostendat illorum voluntate & iussu hoc gestum esse: quia seruos suos miserant. Ad quos dicit Iesus, Tanquam ad latronem exiit cum gladio & fistibus comprehendere, cum quod inde fuerim vobiscum in templo, & non extendi manum in me. Quasi dicat: Ergo nec modo possidetis. Sed hec est herba vestra vobis concessa, & potestas tenebrarum, id est, diaboli, qui vos concitat & instigat. Tunc cohors & tribunus qui eis praeerat, manu iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum. O quam duri filices, qui videntes tantam Domini potentiam in sui prostratione non sunt animo moti: videntes tantam charitatem & beneficentiam in curatione Malchi, non sunt edificati: audientes tantam benignitatem in ipsius allocutione, non sunt emoliti, sed peiores effecti, sic omnibus impijs, quanto magis condescenditur, quantoque plus indulgetur, tanto amplius indurantur. Cogitate nunc quomodo in ipsum irruunt. Nullus est qui non velit aliquam singularem contumeliam facere. Nullus est, qui nolit se de prostratione sui, in ipso vindicare. Omnes clamant, omnes faciunt. Alius trahit supra, alius infra, alius percutit, alius trudit, alius illudit, alius maledicit: & miserabiliter atque crudeliter tractant Dominum, veluti agnum mansuetissimum, cui euellitur lana. Ex captiuitate Christi, monemur captiuare nos in obsequium eius, si volumus esse grati. Captiuemus ergo omnes sensus nostros id est, refrenemus eos ab illicitis. Captiuemus oculos, ne videamus

Lucas 22  
Matth. 22  
Marc. 14  
Lucas 22  
Ioan. 11

Captio Iesu quam fuerit crudelissima.

Captiuare vias debemus sensus nostros. Oculos.

VI  
21

mus illicita, vel prouocãtia ad concupiscẽtias luxuriã, gulẽ vel avaritiã. Ita captiuauerunt sensus suos quãdam sanctã virgines, vt etiã præter manus vel pedes nudam propriam carnem in corpore, nunquam videre voluerint ob amorem castitatis. Captiuemus aures, vt non audiamus rumores secularis, qui semper ferẽ maculant conscientiam, & gignunt vanas cogitationes. Non audiamus detractiones, verba impudica, quia dicit Apostolus: *Currunt bonos mores, colloquia mala.* Captiuemus manus ab illicito tactu. Captiuemus totam voluntatem nostram, sub voluntate superiori nostri in voluntatem Dei. Captiuemus totum corpus nostrum, in seruitutem Dei.

Aures.

1. Cor. 13.

Manus.

Voluntatem.

Corpus.

## IESVS VOLENS FUIT LIGATVS.

## Articulus XVIII.

Ligari quia

soliti fuerint.

Esaia 4.

Ligare in no-

bis mysticẽ

quãnam de-

beamus.

Lingua à qui-

bus liganda

sunt.

Vinculo quo-

nam lingua

liganda.

Postquam Iesum mitissimum agnum rabidi canes comprehenderunt, & contumelijs & verberibus repleuerunt, quantum voluerunt: *ligauerunt eum.* Non omnes capri ligabantur, sed qui maioribus criminibus erant obnoxij & mortis rei, & talem æstimabant, vel æstimari volebant Dominum Iesum. Compariamini pijsimo Iesu, habeatis quẽ viscera miserationis super eo. Ecce in cuius potestate, in cuius manu sunt omnia, & nihil ipse teneat, nihil in mundo subsistit, permittit se ligari & tractari ab illis, quibus dat viuere & esse, qui ante ipsum sunt puluis & cinis. Discamus ex hoc articulo nos ligare scilicet omnes sensus nostros, corpus nostrum, animam nostram, omnesquẽ vires & passiones ipsius ad seruiendum Deo, vt propositum nostrum bonum sit, stabile & firmum, & non inueniamur ita inconstantes. Habeamus omnia membra nostra ligata, vt nihil loquamur, nihil faciamus quo Deus offendatur, aut proximus lædatur. Multi nostrum indigerent ligari in lingua: Nos sumus nimis prompti & incontinentes ad loquendum, quicquid nobis in buccam venerit. Patres nostri posuerunt vinculum pro lingua, scilicet silentium: & si rumpitur hoc, reficiatur cum virga. Sed nil curamus. Habeamus aliud melius vinculum, timorem Dei, qui est certẽ optimum vinculum contra omnia peccata. Quando etiam cogitamus hunc articulum, rogemus vt Dominus Iesus nos à vinculis peccatorum liberet, & vinculis charitatis insolubiliter liget.

## IESVS FUIT DERELICTVS A SVIS

## discipulis. Articulus XIX.

Iob. 19.

Cum discipuli vidissent crudelitatem hostium, mansuetudinemq; Magistri sui, quod permitteret se adeo indignẽ & pœnose tractari sine aliqua resistentia vel contradictione, *relictõ eo omnes fugerunt.* Cogitans quanto dolore cor Iesu torquebatur, cum filij sui, discipuli sui, fratres sui, ira eum relinquentes, fugiebant, quibus chariores non habebat (matre excepta) in hoc mundo. Vnde etiam per beatum Iob pro speciali dolore conquectus est, quod per istos dies cantandum est: *Fratres mei se elongauerunt à me, & non mei quasi alieni recesserunt à me.* Pensate tristitiam discipulorum fugientium, sicut orphani sine patre: nescientes quo deberent ire: quia dulcissimus Magister auferebatur ab eis.

Habemus autem hic primo documentum, vt videamus ne fugiamus. Domi-

Domino. Ille fugit, qui propter aliquod temporale commodum, vel tentationem aliquam relinquit iustitiam, aut veritatem. Et generaliter in omni peccato mortali, fugitur à Deo. Secundo consolamur, si forte in necessitatibus nostris deserimur ab amicis, quos putabamus fideliores, quia & Christo hoc factum est.

Fugere mystice quina dicitur à Christo.

IESUS DVCTVS EST AD AN.   
 nam. Articulus XX.

In hoc articulo considerare habetis, quibus contumelijs, verberibus, iniurijs, clamore, armorum strepitu & clangore mansuetissimum agnum trahebant & impellebant, quando captum & ligatum eum duxerunt ad Annam. Fuit autem hæc ductio violenta, ignominiosa & dolorosa. Violenta quia tractu & verberibus. Licer enim Dominus sponte ibat sicut agnus ad victimam, nihilominus tamen non ducebant, sed potius trahebant eum, vnus sursum, alius deorsum, alius deorsum, alius sinistrorsum: ita vt Dominus sæpius cecidisse credatur, nec se iuuare potuisse: quia ligatas habuit manus, & cum surgere cito non poterat, super terram tractus putatur. Isti enim tribaldi, quicquid ex industria doloris & confusionis excogitare poterant, Domino inferebant. Secundo fuit ignominiosa, quia ducebatur vt latro, scilicet vincis manibus (vt multi scribunt) post tergum. Tertio dolorosa, quia multos dolores passus est in corpore & in corde. Nonies legitur Dominus Iesus ductus à media nocte, quando fuit captus, vsque ad meridiem quando fuit crucifixus. Primo fuit ab horto, quando captus fuit & ductus ad Annam: Et hæc est ductio, de qua nunc loquimur. Secundo, duxerunt eum ab Anna, ad Caipham. Tertio, à Caipha ad Pilatum. Quarto, à Pilato, ad Herodem. Quinto, ab Herode, iterum ad Pilatum. Sexto, milites duxerunt eum intro in pratorium, vbi illuserunt ei coronam spineam cum cruciantes. Septimo, Pilatus eduxit eum foras, portantem coronam spineam. Octauo, eduxit eum ad locum, vbi sedit pro tribunali. Nono, fuit eductus ad locum Caluarie, vbi fuit crucifixus. Has nouem ductiones representant homines deuoti hodie, quando nouem Ecclesias, vel nouem altaria visitant, & deberent etiam cogitare, quid in qualibet ductione Dominus Iesus passus esset, & quid ab vna vsque ad aliam. Qui autem non vult, vel non potest visitare tot Ecclesias, deberet vel posset tot Pater noster dicere, & tot genuflexiones, vel prostrationes facere: & sic Domino Iesu pro singulis gratias agere. Possent hic multa moraliter dici, sed maneamus cum passione Domini.

Ductio hæc quam fuerit violenta.

Item. II.

Ignominiosa. Dolorosa.

Ductus vti fuerit Christus nonies ignominiose.

Ductiones hæc nouem qui mystice honorantur.

IESVS FVIT PRÆSENTATVS ET EXAMINATVS ANTE ANNAM.   
 Artic. XXI.

Interim quod Dominus fuit in horto captus, congregauerunt se Scribæ & Pharisei in domo Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius, & ad quem ducendus erat Iesus. Sed quia in via, domum Annæ præterire habebant qui ducebant Iesum, & quia Annas erat socer Caiphæ, ad reuerentiam illius duxerunt primo Dominum ad Annam. Annas ergo pontifex interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius: Ad primam interrogationem Iesus nihil respon-

Ioan. 12.

Ioan. 18.

MM 3; dit,

VI  
21

Responsum cur Christus non dederit pontifici de discipulis suis.

Fama proximi quanto studio conficienda.

dit, quia discipuli fugerant, & non poterat multa bona pro hoc tempore dicere de illis, nec voluit malum dicere. Et in hoc habemus documentum, quomodo debemus semper custodire famam proximi nostri, vt non loquamur mala de ipsis. Ecce quantum irascimur alteri, si quis de nobis male loquitur: ergo non debemus alteri facere, quod nobis nolimus fieri. Ad secundam questionem de doctrina, Dominus Iesus respondit: Ego palam locutus sum Mundo. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudaei conuenerunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas, id est, cui non credis, Interrogas eos, qui me audierunt, quid locutus sum illis. Ecce hi sciunt, quid dixerim ego.

IESVS FUIT ALAPHA CAESVS. Artic. XXII.

Ioan. 8.

Um hac respondisset Iesu pontifici, vt habitum est proximo superiori articulo, vnu ministrorum assistens, & volens complacere Domino suo, & vlcisci suum Dominum de Iesu, tanquam Iesus male & superbe respondisset pontifici, & pontificem arguisset stultae interrogationis: Idcirco, vt dixi, ad placendum Domino suo, dedit alapham Iesu, dicens: Sic respondit pontifici? Ista alapha tam valida fuit, vt Iesus inclinaretur ad terram. Haec sola alapha suffecisset (dicit Ambrosius) pro redemptione generis humani. Pensate quantum dolorem, & quantum contemptum sustinuit bonus Dominus, magnus Dominus, creator caeli & terrae a vilissimo vermiculo, ab indigno stabili seruo, quanta ingratitude pro beneficio praestito. Nam ille Malchus fuisse dicitur, cuius lanauerit Christus auriculam in orto. Sed quid fecit Iesus? Nunquid mandauit igni de caelo, vt cremaret istum blasphemum? Nunquid dixit terrae, vt aperiret os suum & deglutiret eum in infernum? Non. Potuisset quidem hoc facere, sed noluit. Quare hoc non fecit? Noluit vt sua potentia, sed patientia. Noluit se vindicare, sed percussorem suum benigna allocutione placare. Dixit Iesu illi leniter. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Ecce Dominus acceptat iudicari vel iudicium subire cum seruo, quem magis potuit punire. Non sic modo faciunt diuites.

Alapha Iesu data quam fuerit crudelissima & atrociissima. Ambro. Ioan. 12.

In diuites pauperum oppressores.

Ipsi nec quarunt, nec faciunt iudicium & iustitiam: sed opprimunt etiam innocentes per potentiam: hoc ipse videbunt. Dominus dixit: Si male locutus sum, &c. Si autem bene locutus sum, quid me cadis? Quid hac responsione benignius, quid hac benignitate dulcius? Sic lenitate verborum placat seruum, vt tamen illi suum ostendat peccatum. Et quid nos discimus hic, nisi quod de acceptis iniurijs non solum non debemus nos vindicare, sed etiam iniuriantes lenitate verborum placare? sicut Christus fecit. O quanta est superbia nostra, quando etiam nos offendimus, erubescimus priores veniam petere, & fratrem reconciliare. Ecce Dominus & creator Mundi percussus a seruo gregario, & prior studet illum placare, suae pacare. Nos interdum, quando contumeliam proximo fecimus, non solum non petimus indulgentiam, sed etiam gloriamur quod illum confudimus, quod bene expediuimus: Et hoc valde malum est: quia quoties quis gaudet de peccato facto, etiam si non iterat opus, iterat tamen culpam & reatum toties, quoties illi peccatum placet ex consensu rationis. Habemus etiam documentum hic, quod iniuriaribus nobis possumus ostendere eorum peccatum, & reprehendere, sed non ex ira vel impatientia? Quia quando est ira in corde, tunc pro illo tempore

Corripere nos contu-

minē debemus corripere: Correptio enim fraterna ex charitate debet procedere, non ex furore vel passione. Debemus tam leniter, dulciter, & humiliter loqui inimico vel irato, vt verba nostra cor ipsius emolliant, & iram extinguant, non autem magis accendant. Tertium documētum habemus hic, quod verba Euangelij non sunt semper intelligēda & seruanda ad literam, sicut verba sonant alioqui in isto facto ipse Christus non fecisset, quod docuit, vel me non seruasse Euangelium. Quid est hoc? Ipse prædicauerat, & iusserat: Si quis percussit te in vnā maxillā, præbe ei & alterā. Ecce ipsemet percussus est, & tum non præbuit alterā, sed magis percussorem corripuit. Num transgressus, vel præuicatus est suam doctrinā? Minime. Ipse fecit quæ docuit. Ista verba de præbendo aliā maxillā, & aliā multa similia in Euangelio non sic intelligēda sunt, quod oporteat ea seruari semper, secundūm effectum & exhibitionem exteriorem: vt paratum habeat animū talia ferre, vel agere, si requiratur. Sensus ergo iste talis est. Si quis te percussit ad vnā maxillā, id est, si quis tibi iniuriā fecerit, tam patienter ferito, vt etiam paratus sis æquanimiter maiora sustinere, si inferantur. Et sic fecit hoc in loco etiam Christus, patienter sustinuit alapham in maxillā, & paratus fuit etiam aliā pati, si percussus fuisset, paratus fuit maiora sustinere, sicut & fecit, quia non longē post, totum corpus flagellis & verberibus exposuit. Et ideo sacra scriptura non semper est intelligēda in sensu quem facit, sed in sensu in quo fit. Vnde aliquis posset facere secundūm verba Euangelij, & tamen non seruaret mandatum Euangelij; Verbi gratia. Aliquis percussus ad vnā maxillā posset secundūm verba Euangelij etiam aliā porrigere, & tamen tacitus in corde ira excalescere, & de vindicta occulta cogitare. Ille profecto non seruaret præceptum Euangelij, quia non habet patientiam verā, sed tantum simulatā qui oportet respicere ad intentionem præcipitis.

mēlia afflic-  
tates quo-  
modo & quā-  
do debeam?  
verba sanctæ  
scripturæ nō  
non semper  
ad literam  
accipiēda  
vel intelli-  
gēda.  
Matth. 5.  
Maxillā vnā  
nam percuti-  
enti præben-  
da in eīe &  
alterā, quo-  
modo intelli-  
gēdum.  
Paratus vt sit  
semper nos-  
ter animus  
maiora suste-  
tendi.  
Sensus sacra-  
scripturæ  
quomodo  
capieādus.

VI  
21

*IESVS FUIT DVCTVS AD CAIPHAM. Act. XXIII.*

**A**nnas non diu tenuit Dominum Iesum in domo sua, quia ad illum non spectabat principaliter examinare Iesum. *Ideo misit eum ligatum ad Caiphā,* qui erat dolosior iudex: sicut ex vi vocabuli pater. Nam Caiphā interpretatur sagax, vel inuestigator, & ipse sagaciter, & subdole valde interrogauit Iesum, si posset capere eum in sermone, vt patebit. *At illi, comprehendentes Iesum eumq; tenentes, duxerunt eum ad Caiphā Principem sacerdotum, vbi omnes Sacerdotes, Scriba, & seniores conueniunt.* Accipiunt inquam eum veluti rabidi canes, & impetuose ducunt ad Caiphā. Pontifices Iudeorum non habebant indicium sanguinis, sed examinabant causas, & tunc reum & causam eius præsentabant Iudici præsidi, id est, vicario Imperatoris. Et ideo fortē duxerunt Iesum ad vtrumque pontificem, vt coram vtroque damnatus, magis diffamaretur, & crederetur reus à Pilato. Nam etiam Annas damnauit eum, id est, iudicauit reum mortis, ex hoc quod misit illum ligatum ad Caiphā. Habemus hic exemplum magnæ humilitatis & patientiæ, quod dignatur duci de Iudice ad Iudicem veluti esset malefactor vel magus. Hoc exemplum præstitit, & præstabit adhuc sanctis Martyribus consolationem & confidentiam, vt non timeant duci ante re-

Ioan. 18.  
Caiphā  
quid iudex  
preteritur.  
Matth. 26.  
Marc. 14.  
Lucæ 22.  
Humilitas &  
patientia  
Christi quon-  
iam ex hoc ar-  
ticulo apere-  
rit.



Matth. 6. ges, & p̄sides, & tyrannos propter nomen Domini: sicut Dominus eorum ductus est pro illis, & pro nobis omnibus. Nondum enim completus est numerus Martyrum, sed erunt adhuc multi, qui occidendi sunt in fine seculi, in vltima persecutione, tempore scilicet Antichristi propter fidem.

IESVS FVIT TER NEGATVS A DIS-  
cipulo. Articulus XXIII.

Matth. 6.  
Marc. 14.  
Ioan. 18.

Negationes  
tres Petri vbi  
& quando fa-  
cta sunt.  
Luc. 22.  
Ioan. 18.

Matth. 6.  
Marc. 14.  
Luc. 22.  
Matth. 26.

Ioan. 18.

Matth. 26.  
Marc. 14.

Ioan. 18.

Negatio Pe-  
tri quam gra-  
uissimum su-  
erit peccatū.  
Luc. 22.  
Matth. 26.  
Marc. 14.  
Luc. 22.  
Matth. 26.

Confidere  
memorem  
debere suis  
vitiis.

**L**egimus ex Euangelistis, Petrum ter Dominum negasse: Sed vbi tres il-  
las negationes perfecit, dicendum est pro concordia Euangelistarum,  
quod semel vel bis fecerit eas in domo Annæ: reliquas in domo Cai-  
phæ: hoc scilicet modo: Cum Dominus Iesus captus fuerat in horto, & disci-  
pulis fugientibus Petrus & Ioannes qui cæteris feruentiores erant, reuer-  
si sunt, sequentes eum à longè, vt viderent, quid futurum esset de dilecto  
Magistro suo. Cum ergo Iesus introductus esset in domum Annæ, Ioannes in-  
troiuit cum eo in atrium pontificis, quia erat notus pontifici. Petrus autem ad ostium  
foris stabat. Exiit ergo Ioannes, & dixit hostiaria, & introduxit Petrum. Dixit ergo  
ancilla hostiaria Petro: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Respondit Pe-  
trus: Non sum. Et: O mulier, non sum: non noui illum: nescis quid dicas. O Petre, ma-  
gna est fragilitas tua, vbi nunc sunt verba quæ dixeras, te paratum esse irem  
carcerem, & mortem cum Magistro tuo. Ecce vnâ muliercula, ecce ancilla  
vnâ & hostiaria interrogat, & non audes confiteri: quid faceres, si militibus  
& armati te apprehenderent? Stabant autem serui & ministri calefacientes se ab  
prunas, quia frigus erat. Stabat autem Petrus in medio eorum, calefaciens se. Timens  
ergo Petrus ne agnosceretur exiit. Et cum vidisset eum alia ancilla, dixit: Et hic  
cum Iesu Nazareno erat. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex illis es? Petrus cepit  
iurare, quod non nouisset hominem. Et statim gallus cantauit. Creditur hoc factum  
esse in domo Annæ, Et post pusillum, quasi interuallo vnius horæ scilicet interim,  
quod Dominus ductus est ad Caipham, & Petrus fuerat secutus, & iterum sta-  
bat cum ministris calefaciens se. Dixerunt: Verè tu ex illis es, scilicet discipulis Ie-  
su, Nam & Galilæus es, & loquela tua te manifestum facit. Et cognatus illius, cui ab-  
sedit Petrus auriculam, dixit: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Et iterum cepit Pe-  
trus se etiam anathematizare, quia non noui hominem, quem dicitis. Ecce quomodo  
Petrus continuando peccatum, augmentauit etiam peccati grauitatem. Primo  
similiter negauit: Secundo negat cum iuramento: Tertio cum iuramento  
negat, & cum sui maledictione. Cum ergo ter negasset, continuo gallus se-  
cunda vice, cantauit, Et conuersus Dominus, scilicet ad misericordiam, respexit  
Petrum, scilicet oculo miserationis, & illuminationis, Et recordatus est Petrus  
verbi Iesu, quod dixit: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fle-  
uit amare, quod tam dilectum Dominum negasset, &c. dicatur ex Itinerario  
Clementis, quomodo fugit in galli cantum. Habemus hic plura documen-  
ta. Primum, vt non confidamus in nobis ipsis, sed timeamus: cum princeps  
omnium Apostolorum, & caput fidelium, tam grauitate, & tam facilliter co-  
cidit. Ergo caueamus à superbia & præsumptione, qua fit, vt nos Dominus  
derelinquat, vt discamus quid sumus ex nobis, & quid possumus, certe nihil:  
sed siue non peccare, siue benefacere à Deo est, cum consensu arbitrii nostri.  
Secundum, vt discamus quod societas multum promouet hominem siue ad  
bonum,

bonum, siue malum. Nam quamdiu fuit Petrus in cœtu Apostolorum, non negauit Christum, sed quando venit in cœtum curialium, ibi negauit. Ad hoc ita est, vt boni efficiantur mali in curijs principum. Nam cum electo, electus eris, & cum peruerso peruerteris. Tertium, vt si quis ceciderit in peccatum, poeniteat & doleat, nec desperet, sed sumat exemplum spei & poenitentiae in Petro resurgente, cui post lapsum & resurrectionem emendato, commissa est tota Ecclesia. Sed diceret quis: Quare Dominus tamen Apostolum permisit cadere, super quem fundaturus erat totam Ecclesiam? Dicendum, quod Petrus perficiendus erat toti Ecclesiae. Vt ergo non esset nimis durum, vel incredulus & indiscretus, sed sciret compati & misericordiam habere cum infirmis & imperfectis, voluit Dominus, vt hoc disceret suo proprio exemplo, vt in seipso experiretur infirmitatem propriam, & inde disceret, quomodo tolerare & curare deberet alienam.

IESVS FALSA CONTRA SE TE-  
stimonia pertulit. *Articulus XXV.*

Præsentatus (vt prædictum est) Dominus Iesus in domum Caiphæ, vbi congregati fuerant Principes, & Scribæ, & Seniores populi in consilio, stetit in medio eorum, sicut agnus inter lupos. Nam, Principes sacerdotum, & omne consilium querebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent. Et non inuenerunt, etiam cum multi falsi testes accessissent: Et conuenientia testimonia non erant. Magna laus est Domino Iesu, quod etiam inimici eius nihil falsum componere potuerunt, quod speciem haberet mali, eo quod in cunctis tam innocenter & prudenter se habuit. Nouissimè autem duo falsi testes venerunt, & falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audimus eum dicentem: Possum destruere templum hoc Dei manufactum, & in triduo aliud non manufactum, reedificare. Per hoc voluerunt probare, quod fecisset se Deum, vel sibi potentiam diuinam attribuisset, quia homini puro non fuisset possibile. Et non erat conueniens testimonium eorum, quia mutauerant verba, & sensum. Dominus Iesus nec eadem verba, nec in eodem sensu locutus est, quo illi proposuerunt. Nam Christus hoc dicebat, de templo sui corporis. Illi verò intelligebant de templo materiali Salomonis. Secundo etiam calumniantur in ipsis verbis, dum quædam addunt, & quædam mutant. Saluator enim dixit, non præcipiendo, sed prædicendo: Soluite templum hoc, id est, soluetis. Ipsi autem: Ego dissoluam templum hoc manufactum. Vos inquit, Soluite, non ego. Quia illicitum est, vt ipsi nobis inferamus mortem. Deinde illi verunt. Et post triduum, aliud non manufactum ædificabo, vt propriè de templo Iudaico dixisse videretur. Dominus autem vt ostenderet se de spiritali templo sui corporis locutum non dixit, ædificabo, sed excitabo illud.

In hoc articulo primo edocemur execrari nos debere omne mendacium, omnemque dolum & simulationem. Nam quicumque hæc sectantur, veritatem negant, & Deo resistunt. Secundo monemur iniquarum accusationum esse patietes. Nunquam enim prorsus iniqua est nostri accusatio. Si enim in eo quo accusamur, non deliquimus, in alio quo nemo nos accusat, Deo peccauimus. Nunquam igitur innocentes sumus, quamuis hoc ipsi ignoremus.

Math. 26.  
Marc. 14.

Ioan. 2.

Ioan. 2.  
Templum  
dissoluendū  
vbi Christus  
seipsum præ-  
dixit.

Mendacium  
omne quan-  
to studiō sit  
fugiendum.  
Accusatio-  
nes iniquè  
quoniam ani-  
mo ferendæ.

NN mus.

VI  
21

Testimoniū  
falsum pro-  
ferens qui-  
bus malis si-  
at obnoxius  
Sapient. 1.

mus. Christus verò innocens fuit totus in omnibus. Ideo absque grandi iniuria, absque blasphemia, leuissimi cuiusvis peccati nō potuit acciari. Testio, debemus summe falsum testimonium vitare, eo, quod falsum testimonium proferens, multis fiat obnoxius. Primo scilicet Deo, quia contra veritatem loquitur. Deinde Iudici, quem mentiendo fallit. Tertio innocenti, quem mentiendo impedit aut lædit. Quarto sibi ipsi, quia *os quod mentitur occidit animam*. Quinto exigitur ab eo restitutio & satisfactio, quæ tamen per raro fit.

*IESVS INIQVE BLASPHEMIÆ AC  
cusatur. Articulus XXVI.*

Matth. 6.  
Marc. 14.  
Luc. 22.

**E**T exurgens summus Sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens: Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur, & quæ obijciuntur tibi ab his Testimonijs cum nullis posset Caiphas criminandi locum inuenire ad aliam se fraudem versipellis iste conuertit. Sciebat namque omnia falsas esse testimonia quæ fuerant adducta, quibus nil fidere posset: & superbia simul ac ira exagitatus, surgit & ad loquendum prouocare Iesum contendit, callide occasionem querens, vt ipsum in multorum præsentia in sermone caperet, aut quippiam inueniret, vnde eum accusaret. *Iesus autem tacebat, & nihil respondit.* Quare tacebat? quia mendacia sola & incongrua testimonia producebant, indigna prorsus ad quæ responderetur. Sciebat præterea calumniandi eos duntaxat querere oportunitatem: & quicquid dixisset, paratos ad subuertendum. Atque ideo occasionem eis præstare noluit calumniandi maiorem. Docere quoque nos voluit, dum ab importunis accusatoribus hominibus mendaciter, dumque respondendo nihil proficimus, nisi quod tunc grauius irritantur aduersarij, sustinere debemus atque tacendo pati.

Matth. 26.  
Marc. 14.  
Luc. 22.

Hoc modo cum nihil adhuc, licet à Pontifice admonitus, Iesus responderet, iratus Pontifex quod nil audisset accusatione dignum, exurgens in medium, quia furor illum de sede expulerat, stans in faciem Christi, ait illi: *Ad quid per Deum viuam, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Deiui benedicti.* Non desiderio veritatis inuestiganda, Dominum Caiphas adiurat, sed vt locum inueniat contumeliæ, audiatque vnde Christum queat accusare. Ideo tanta virget Christum autoritate diuini nominis, cui Christus si non reuerentiam daret respondendo, argueret eum rebellem, superbum ac Deo contumeliosum: si responderet, quod non dubitabat responsurum, blasphemiæ illi crimen imponeret. Hæc versutia Iudæorum semper fuit, Iesum anticipibus loqueis quaestionibus quæ dolosis circumuenire, vnde illum sperabant se non posse extricare. Dominus igitur Iesus, licet Caiphas versutam non ignoraret malitiam, ne diuini nominis parui pendere videretur autoritatem. *Dixit illi Iesu: Tu dixisti quia ego sum.* Ego hoc de me non tacto, sed tu dixisti quomodo est, quia scilicet ego sum. Ne tamen diuinam tantum me putes confiteri naturam, audi & humanam: *Verum amen dico vobis, non tibi ô Caiphas solus, sed omnibus: Amen dico vobis, Filium hominis sedentem à dexte is vntu Dei.* Ammodo videbitis, hoc est, non iam statim post hæc verba, sed post hoc tempus in fine Mandi videbitis Filium hominis sedentem in æquali potestate ac

Matth. 26.  
Marc. 14.

Matth. 26.

Majestatis Dei Patris. Videbitis autem eum, & venientem in nubibus caeli, hoc est, ad.

VI  
E

ad iudicandum viuos & mortuos. Tunc Prin. eps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemauit. Iudæorum erat consuetudo, si quippiam sibi vehementer inimicum audirent, & vnde vehementer tristarentur, scindere vestimenta sua: quemadmodum dum blasphemiam audirent, quasi grauius contristati ob sermonis indignitatem, ac Dei contemptum, scindebant vestimenta sua. Hoc modo Caiphas simulator & hypocrita pessimus, quasi lacsum se adeo vehementer propter verba Christi, quem blasphemum iudicabat, fingebat: vt vestimenta scinderet, clamans: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Vide quoque iterum, quomodo hic Caiphas nesciens propheta. Nam sacerdotale vestimentum scindens, quid aliud indicat, quam quod legis velamentum abijcit? Et dixit: Quid adhuc egemus testibus? pro nihilo laboramus. Quod querimus, ecce iam palam audistis. Miser tu, & licet princeps, nequam tamen tu bis blasphemias, qui Christo Dei Filio detrahis, & negas quod Dei est, qui (licet illa tibi rumpantur) verus Deus est, & impositis eidem, quod nisi pessimorum est nebulonum: crimen blasphemie. In hoc presentis articulo iubemur iram refrenare, ne foras per verba aut facta erumpat. Nam ira viri, iustitiam Dei (iuxta diuina eloquia) non operatur. Igitur dandus est locus iræ, vt non proximos nostros per furorem aut impatientiam irascemus aut scandalizemus. Solet præterea plus edificare alios verba iniuriosa patienter perlata, quam superba nostri ipsorum excusatio aut iustificatio: quorum alterum patientiæ, alterum superbiæ & impatientiæ indicium est. Credo etiam, nisi Caiphas ira ac furore repletus fuisset, in blasphemiam vocem non erupisset.

vestimenta scindendi iudæis mos vnde.

vestim: nro: torum Cai: phæ scissio mylice quid.

ira quare si studio re: tens ada. iacob. i. Verba iniu: riosa quana patienti ani: mo ferenda snt.

IESUS VT REUS MORTIS damnatur. Articulus XXVII.

Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui respondentes omnes, condemnauerunt eum & dixerunt: Reus est mortis. Cum Pontifex Dominum iudicasset vt blasphemum, blasphemus ipse pessimus, alios interrogat, qui intererant concilio: Quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis. Vide quam perue sum iudicium. Ipsi accusatores, ipsi testes, ipsi sunt iudices, ipsi absque ordine vilo iuris mox profertur sententiam mortis. Cogitate filij, quanto mæore Christi potuit cor tunc vulnerari, quando innocens mori adiudicabatur, & pro blasphemo habebatur. Si vel sceleratis ac impijs hominibus, qui propter facinora sua morti obnoxij sunt, graue & molestum est audire, se damnari reos mortis, quid arbitramini Iesus Dei Filius benedictus senserit, quando nil mortis dignum egerit? Et hoc quoque hic attende, quia omnes clamauerunt nullo excepto. Quam dolendum est, ne vnum quidem in tanta inuentam multitudine, qui iniustitiam argueret, innocentiam tutaretur, iniquis reclamaret, pro Christo loqueretur. Heu quam multi adhuc sunt nostro tempore, à quibus Dominus Iesus in suis membris iudicatur, & reus mortis proclamatur, dum illi iniquitatis & sceleris arguuntur, à quibus iniquitas omnis longè abest, nempe ad DEVM toto ex corde conuersi, præterea iudicio mortis feriuntur, dum innocentes ad mortem rapiuntur & expetuntur. Discamus hic non formidare iudicia humana, sed hoc cauere, ne in iudicio rei inueniamur diuino. Quid enim nobis iudicia pos-

Math. 26. Marc. 14.

Damnatio hæc quantum animâ Christi afflicta.

Christus in suis membris inique condemnari.

NN 2 sunt

Iudicia hominum quando non timenda. Sapient. 7. Quando de nobis sentitur vel iudicatur male quid agendum.

sunt nocere humana? Si innocentes, si bene nobis conscij fuerimus, si nos conscientia de aliquo peccato reprehenderit, quis nobis nocere poterit? Quid mirum, si de nobis iniquè sentiant homines si nos iudicent, si detrahant, qui pleni sumus peccatis? Ecce innocentissimus, & qui speculum est sine macula, in quem non cadit peccatum, vt blasphemus, & perinde acutus mortis damnatur. Quando cumque igitur de nobis male sentitur, quando iudicamur iniquè, quando nobis detrahitur perperam, recurramus ad conscientia testimonium. Et si verum est quod dicitur, quid egre ferimus? Irascamur igitur nobis malum operantibus, non malum de nobis quod fecimus, dicentibus. Porro si falsum est, quod dicitur, gratias agamus Domino Deo, qui nos custodiuit ab eo, quod perperam de nobis dicitur: admoneamur quæ sunt alia item multa, quorum iuste accusaremur, nobis & Deo cognita. Ea itaque quæ patimur, vel in vna re innocentes de peccatis ad alia illa centum milia, in quibus nemo nos accusat, quamuis non innocentes, sed reos. Nihil igitur consultius, quam omnes linguas, & infirmas & nequam & maledicas, sustinere: quia nemini possunt nocere, neminem malum efficere. Semel dixi: Si totus alicui detraheret Mundus, & de aliquo malè, siue ex errore, siue malevolentia sentiret, si alioqui innocens esset, non posset mille te facere linguis malum: Imo dico citius ipsum meliorem redderet, si omnia clipeo patientia exciperet, & reum omnium malorum totius mundi coram Deo se proclamaret & omnia propter sua scibi accedere fateretur peccata.

Linguis omnes maledicas nec vni innocenti posse nocere.

IESVS FACIE CONSPVITVR.

Articulus XXVIII.

Math. 26. Marc. 14.

**E**T viri qui tenebant illum, illudebant ei, cadentes eum: & coeperunt quidam conspuere eum, & expuerunt in faciem eius. Postquam Principes Iesum morti esse obnoxium damnauerant, ministri dominis suis placere gestientes super innocentissimo Iesu, non aliter, atque lupi feroces super agno mansuetissimo, irruerunt: adeo, vt quicquid in eum quisque excogitare poterat, faceret. Primo itaque viri, qui tenebant eum, illudebant ei, tanquam farao & mortis reo, & expuerunt in faciem eius, non sputo tenui ac nudo tantum, sed phlegmate putentissimo Christi faciem teneram polluebant: Ita enim sordibus faciem eius elegantissimam ac gratiosam impleuerant, vt non aliter atque leprosus appareret. Quo impleri cepit illud Esaiæ: *Non est ei specus, neque decor. Vidimus eum, & non erat ei aspectus. Et nos reputauimus eum quasi profusum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Spuere alicui in faciem, apud Iudeos maximus erat contemptus. Quapropter quem vehementer vilem abiecerant atque ignominiosum, in huius faciem expuebant. Et notandum quod Euangelista non simpliciter dicit spuere, sed expuebant, quasi exorando spuere, & quod verisimile est, ex imo pectore putentia extraxerunt phlegmata, & in faciem Domini iniecerunt. Nec vnus tamen, sed pluri. Considera neminem adeo esse stupidum, qui aliena non horreat phlegmata: quorum si tanta copia, quomodo Christo) eius faciei inieceretur, vt penè suffocari posset, quid molestia sustineret ille? O quanta est horum ingratitude pessima, Christi faciem adeo indignè tractantiū, pro qua eorum patris

Facies Christi qualibus sputis defecata fuerit in domo Calphæ.

Esaiæ 53.

Spuere alicui in faciem quod

tanto tempore reclamantes ostendenda. *Ostende* (inquiunt) *in bis Domine faciem tuam & salui erimus.* Hæc facies plena est gratiarum, plena decoris & elegantiæ, hæc cunctis desiderata est gentibus; vipote falsifica, amabilis, vitam dans & salutem omnibus. Fuit autem hæc spatio vehementer Christo grauis, vipote qui tenerrimam nobilissimamq; habebat complexionem, cuiusmodi nunquam homo aliquis habuit. Porro quo aliquid est tenerius ac nobilius, tanto etiam facilius ac grauius læditur. Quisque ex hoc loco pro sui informatione obseruare debet vt non in faciem Domini sui spuatur. Spuit nanque, quisquis sacram Eucharistiam indignus præsumit suscipere. Sumit autem indignus, quicumque scienter cum peccato mortali Corpus Domini sumpturus accedit, Sumit enim polluto ore qui cum foetente & inquinata conscientia sumit, vt sunt omnes, qui in peccato mortali vitam degunt, aut qui de peccato mortali non penitent, aut occasiones peccandi non pro virili vitant. Hi inquam omnes, si ad Christi Corpus sumendum vadunt, Christo in faciem spuunt. Spuit item in faciem Christo, qui sordidis cogitationibus conscientiam suam, quam Deus inhabitare cupit, polluit. (In hac enim Dei facies & imago relucet) aut qui prælatos suos Dei Vicarios contemnit, & eis in faciem resistit, aut qui sacræ scripturæ verba & monita deridet. Prælati namque & prædicatores sunt veluti os & vultus Domini, quia verba Christi enunciant. Vnde qui eis resistit, Christo resistit, cuius illi vicem gerunt.

Psal. 84. Esther 10.

Conspicio hæc quam fuerit Christo grauis.

Spure in Christi facie mystice qui dicantur.

Roman. 13.

IESVS ALAPIS IN FACIEM CAESUS EST. Articulus XXIX.

**M**inistri autem alapis eum cedebant, & alij palmas in faciem eius dederunt, & uerberabant faciem eius. Palmas dare, est, extensas manus, seu alapas in faciem alicuius dare. Grauis est autem eiusmodi poena, quando quidem omnes sensus sunt in facie hominis, maximè Christo, qui nobilissimæ tenerrimæq; (quæ facillimè lædebatur) fuit complexionis. Maior igitur est dolor cædi in faciem, quàm cædi in collum aut humeros. Vnde verisimile est, Christi faciem (ob maximam eius tenerritudinem & uerberum violentiam) non potuisse cædi absque cruenta effluxione sanguinis ex naribus & ore. Iudæi enim quærebant Christum replere doloribus. De hac iniuria Propheta in Christi persona loquitur, dicens: *Faciem meam non auer- si ab increpantibus & conspuentibus in me.* Certum est quoque, multo plures, quàm Euangelistæ scripserunt, Christo irrogatas esse contumelias. Nam Euangelistarum non fuit institutum, omnia scribere quæ ad compassionem, deuotionemve aliquid inuissent audientium, sed historiam tradere communem, sine circumstantiarum varietate expressa. Quare quicquid Christi deuoti amatores apud semetipsos cogitare meritò deberent, non suffecisse hisce desperatis hominibus, tatum uerberasse Christum in faciem, quinimo crudelissimè, conuictijs, contumelijs, iniurijs, flagellis etiam & duris uerberibus, poenis insuper exquisitissimis cruciatibus Christum Iesum affecisse. Quippe qui nulla (ita eos diabolo patre ipsorum agitante) erga Dominum compassione, nulla misericordia moti, omnem cordis sui inexplebilem nocendi suum in eum euomebant. Verùm maior erat Domini nostri patientia,

Marc. 14. Matth. 26.

palmas in faciem alicui dare quid.

Esaiæ 50.

Quoniam alia Christo hic illata fuerint.

VI  
=1



tia, quam ipsorum infania. Potuisset nanque vno eos momento, pro hac illata iniuria, interemisse, si voluisset, sed Dei patientia eorum expectabat penitentiam, qui non occidere, sed viuificare, non damnare, sed saluare venerat. Illi autem quid? Christi hac nimia patientia, mansuetudine, & benignitate grauius abusi sunt, & vnde debuissent compungi, inde indurati sunt magis. Quid hic docemur? Non cadere in faciem Christi. Interrogat forte qui cadant. Audi. Hi cadunt, qui vt in superiori Articulo commemoratum est in faciem Christi spuunt, qui Christi vicarijs, qui suis Prælati (hi enim sunt in corpore Christi mystico capita, erga alia inferiora membra, hoc est, erga subditos suos) in facie obstitunt, qui eos cõfutare, atq; ignominia moliantur afficere, aut contumelijs exacerbare. Cuiusmodi sunt, qui absq; rubore, absq; timore, absq; reuerentia Prælatos suos corripunt, illi obloquuntur, eorum bonã conantur cõmentitijs quibusdam verbis, aut ministris iudicij, suspicionibusq; famã derogare, & in hoc prætere gloriatur quasi bene egerint, dicentes: Quam bene cõfutati prælatus meum. Ego illi filitium imposui, nec audebat vltra mihi respondere vllum verbum: hoc & hoc modo expediui eum. O miser quid dicis? Attẽde quid tibi regius dicat Psalmista: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Audi quid tibi Dominus loquatur: *Quod vni, inquit, ex minimis meis fecisti, mihi fecisti, siue bonum, siue malũ id fuerit. Hoc est, ita volo remunerare si bonũ, aut vindicare si malum est, ac si mihi fecissetis. Si hoc de minimis dixit, quãto magis hoc de maioribus & superioribus nostris ab ipso nobis cõstitutis, intelligendum est!* quibus obedientiam & reuerentiã (teste scriptura) debemus? Ijs enim à Christo dictũ est: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Ipsi quoq; sunt dii nostri in terra, quomodo scriptũ est: *Dij non detrahes, & principi populi tui nõ maledices.* Postremo hoc obseruandũ erit nobis, vt nobis iniuriã inferentibus non irascamur, non maledicamus, non nos more quorundam vindicemus, sed Christi exemplo inimicis nostris nos beneuolos, benignos, ac affabiles exhibeamus. Nam cum malediceretur, nõ maledicebat: cum pateretur, non dominabatur. Ita & nos quoq; tanquam Dei ministri & veritatis sectatores faciamus. Si enim omnia de manu Domini acciperemus, retineremus vtique pacem nostram imperturbatam semper cum omnibus, nec homines nos posse lædere arbitraremur.

IESVS VELATUR, ET COLAPHIS

ceditur. Articulus XXX.

Marc. 4.  
Lucæ 22.  
Psal. 79.  
Ibidem.  
Exod. 14.  
2. Cor. 3.  
Colloff. 3.

**E**T velauerunt faciem eius & colaphis eũ ceciderunt, & interrogauerunt. dicentes: *Prophetiz. a nobis Christus: Quis est qui te per. us. a?* Primo hic venit nobis cõsideranda Iudæorum miseranda cæcitas, quod Christi facie velant, quã Patres eorũ tantopere in limbo videre desiderant, clamantes: *Ostende nobis Domine facie tuam & salu. erimur.* Item: *Veni & ostende nobis faciem tuã, qui sedes super Cherubin appare. &c.* Ecce post multa annorũ curricula venit, & faciem suam gratiosissimã Iudæis ostendit. At illi sceleratissimi, ac omni iniquitate pleni, malè regẽ gloriæ tractarunt, faciemq; eius velarũt, non vt ille eorũ scelera nõ videret, sed quia ipsi egrediẽtes, nec in Mosen poterant faciem intendere, quanto minus in Christũ in quo omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, & omnis plenitudo gratiæ habitat corporaliter.

Faciem Christi quia mystice cadunt.

In prælatos nostros quoniam peccamus.

Psal. 11.

Matth. 15.

Obedientiam & reuerentiã vt debeamus superioribus nostris.

Lucæ 10.  
Exod. 14.

1. Pet. 2.

VI

Immundicia enim eorum, avaritia, ambitio, & invidia eos excæcaverant: quare  
 dulcissime faciei gratiam, neque optabant, neque sentire poterant, ut quidam  
 opinantur secretiores Dei amici ideo operuerant, ne aliquando mori cõmi-  
 satione, ab eius vexatione desisterent. Itaque cum esset ita Christus Iesus vili,  
 ac sordido quodam linteo tectus, alij in collum, alij in genas, alij in caput  
 Christi percutiunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe: quis est, qui te per-  
 cussit? Prophetæ, inquit, magnus es tu, & cordiũ tibi secreta patent, dic:  
 Quis te percussit? cum omnes percussissent. Nam si hoc nescis, haudqua-  
 quã Prophetæ es: Huiusmodi ludibrijs in Christũ per totã noctẽ sæuebant.  
 Attonde hic Christi ineffabilem patientiã, expende hic Christi dignitatẽ, po-  
 tentiã, sapientiã, altitudinẽ ac maiestatem, in cuius manu cælum subsistit &  
 terra, sine quo nulla habet creatura perseverantiã. Hic tamẽ talis & rancus,  
 illud sibi permittit ab hominibus vilissimis, pessimisq; nebulonibus. Nun-  
 quid non mirum est, quod ignis de cælo nõ venerit, & perdidit hocce cru-  
 delissimos latrones? verũtamen qui zelo mouemur seuro in hos nequam  
 pessimos, videamus ne illis deteriora faciamus. Cõtemptu enim atq; irre-  
 uerentia Dominũ in facie cecidimus, cordis immundicia vultũ eius conspu-  
 mus, temeritate quoq; ac delinquendi impudẽcia oculos eius velamus: quia  
 frontosi in eius conspectu, ac si non videret nos, peccare non erubescimus.  
 Sequitur: Et colaphis eum ceciderunt. Ex quibus verbis, non solũ pœna,  
 aut læsio pensanda sunt, sed ipsa quoque iniuria ac contumelia indignẽ Do-  
 mino Iesu irrogata. Fatuis nanque huiusmodi fiebant percussiones. Illusio  
 igitur diuinã sit maiestati, qua tam ignominiosẽ, ut fatuus tractatur. Hinc  
 allerunt quidã Dominũ Iesum in hac nocte quadragesies percussam. Iuda-  
 orum verò, qui congregati fuerant in domo Caiaphæ, iudicantium Chri-  
 stum, dicunt fuisse numerum LXXXVII. & hi omnes conspirauerũt in necem  
 Saluatoris nostri Iesu Christi.

velationis Christi faciei causa quæ.

Quam indignissima Christus hoc in articulo pertulerit.

Quoties hæc nocte fuerit Iesus percussus.

Velare Christi oculos mysticè quid dicantur. Hieronimus.

psal. 93. vsalm. 7.

Impudentiã quã sit vitium detestandum.

Mulieres ex hoc loco vultu sui velatione discant.

Hic præfens locus pulchrum nobis proponit documentũ, ne scilicet Dei  
 velemus oculos. Sed qui velant inquis? Ausculta: Qui absque verecundia de-  
 linquunt, qui Dei timorem amiserunt, Dei reuerentiã abiecerunt, quibus  
 denique & apud homines frons facta est meretricis, ut nesciant erubescere.  
 Hi cum sint impudentes, & absque honestate, liberẽ & sæpenumero ad ma-  
 iorem sui damnationem impune peccant: atque ideo Deo, quasi non vide-  
 ant, aut non curaret, peccatis illudũt, quando tamẽ scriptũ est: *Qui plantauit  
 aurem, non videt? aut qui fixit oculũ, non considerat?* Item: *Servans corda & re-  
 verentiam Deo.* Vbiq; igitur & omni tempore Deum reueremur: & etiam soli,  
 propter diuinã presentiam, honestatem obseruemus. Attendamus faciem  
 Christi, vbiq; nos videntẽ, & cogitationes nostras, imò non solũ cogitatio-  
 nes, sed intentiones etiam, atque intentionum medullas intuenẽ, penetrantem,  
 atque discutientem. Est tamen impudentia nihilominus singulare  
 vitium, hominem de honestate, superbum & frontosum reddens. Item hic  
 discant puellæ, adolescentes, mulieresq; velare se, & ea quæ ad amorem  
 alliciunt carnalem, abscondere, non auro, aut preciosis lapidibus ornato  
 succedere capite, non facie colorata, non oculis lasciuientibus & vagabun-  
 dit, sed ad terram vsque demissis, atque in omnibus pudicitiam ostende-  
 re moribus ac vestimentis. Postremo Christum colaphis cedere prohi-  
 beamur.



Titum 1.  
Colaphis  
qui mystice  
Christum  
cedant.

bemur. Cædunt autem colaphis, quicumque verbis Christum confitentur, factis negant: qui sancta verba loquuntur, pia prædicant: qui deuotos se in publico simulant, & in occulto prauis insistant operibus, cuiusmodi sunt hypocritæ: hi blandiuntur Christo in faciem, à tergo cædunt.

IESUS FERT MVLTÀ.  
Articulus, XXXI.

Postquam Dominus noster Iesus Christus (vt supra tractauimus) factus esset conspurus, colaphis & alapis cæsus, contumelia ac graui iniuria affectus, sordido ac fœtido linteo operatus, non destiterunt furiosi illi ac rabidi canes adhuc Dominum gloriæ nouis quibusdam atque occultis affligere pœnis, & modis. Nam referente Euangelista, & alia multa blasphemantes, dicebant in eum. Non solum dicebant, verum actu probabant. Quæ? Expressè non legimus. Sed vide ne eiusmodi adeo sint verecunda, vt Euangelistæ quoque scribere erubuerint. Dicit enim B. Hieronymus, nunquam plenè omnia, quæ in hac nocte passus est Christus, ante extremum iudicij diem, manifestari. Verisimile est enim multò plura Christum, atque verecundiora passum, quàm ea quæ scripta sunt, cuiusmodi Propheta nonnulla insinuarunt ad nostram instructionem & ædificationem vt est: *Cepus meum dedi percutientibus, & gens meas vellentibus.* Vnde quidam eliciunt, genus Christi ex petulantissima Iudæorum vesania vnguibus laceratas, & vellicatas, barbam sanctissimam extractam, capillos capitis euulsos, corpus suum tenerinum atque elegantissimum pedibus accalcibus conculcatum, atque hoc modo ignominiosissimè regem gloriæ, & Dominum Angelorum, per totam noctem vsque mane fuisse tractatum. Expenderat quippe hanc noctem in pœnis, in opprobrijs, & in blasphemijs, nec his vilo poterant modo satiari? Vno clamante, quòd Samaritanus esset, quòd demonium haberet, quòd nisi in virtute Beelzebub non eijceret dæmonia. Altero, quòd infans, quòd vorax, quòd amicus publicanorum esset: Tertio, quòd illiteratus, & fabri filius, quòd legis transgressor, quòd vini potator, & multa huiusmodi blasphemie genera, innocentissimo Domino iniuste & falso obiecerunt. Nuncigitur & nos, & quotquot Iesum diligimus, eamus cum interno dolore visum, quantis in angustijs, & afflictionibus dulcis Iesus, cæli gaudium tum erat, & aliquam illi compassionem imperdamus. Cuius cor sibi à lachrymis temperet, Dominum ac Saluatorem suum tam miserè affligi videns? O speciosus forma præ filijs hominum, quam modò deformis est? vt speculum claritatis æternæ, cuius pulchritudine elementa mirantur, obductum est & deturpatum, vt nulla ei species, neque decor remanserit. Vnde Propheta exclamat, dicens: *Vidimus eum, & non erat ei species. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Adeo nanque sacra Christi facies plagis intumuerat, sanguine obdulta, phlegmatibus repleta, vnguium laceratione dissesta, vt nemini rectius posset illuminatus iste Propheta illam comparari quàm leproso. Quis obsecro est, qui non horreat faciem leprosi? Inde conijce, qualiter Christus apparuerit, Sunt præterea, qui hosce occultos attendentes Christi cruciatus, eos offerunt summa cum deuotione, & cordis mœrore Deo Patri, pro suis occultis

Hieronym.

Esaiæ 50.

Nocte illa te-  
nebrosa quæ-  
nam Chri-  
stus petru-  
lectit.

Ioan. 8.  
Ioan. 10.  
Lucæ 17.  
Ioan. 7.  
Matth. 9.  
Marc. 9.  
Ioan. 9.  
Matth. 11.

Psal. 44.

Sapient. 8.

Esaiæ 55.  
Facies Chri-  
sti quibus af-  
fecta fuerit.

tis & igt  
ro quod  
ne opro  
mus pro  
duo ill  
volunt  
malam  
in anim  
beret Ch  
  
Mi  
præfere  
per iuer  
simos il  
tractaba  
vt per d  
center: S  
antè & i  
hominia  
Qui dicit  
manum  
veris con  
Pilato pr  
idem ge  
tem tan  
tergum  
quod m  
nam, qu  
eientiar  
iudicem  
camur a  
Gonder  
buntur  
cuis pi  
nem reo  
audiui

VI

his & ignotis peccatis, quod per quamgratum illi esse, dubium non est. Porro quod ad nos attinet, hoc obseruemus, ne nos Christu à nouo cruciemus, ne opprobria à ludæis perfidis illata renouemus: quod fit, dū illi ingrati sumus pro tanto amore, quo tanta opprobria pro nobis sustinere dignatus est, cum illius mandata, consilia & monita cōtemnentes, spontē ac deliberata voluntate in peccata ruimus, nec de his ex corde pœnitentes cōsuetudinem malam facimus: & ex consuetudine mala, peccandi mortem introducimus in animam. Mors autem animæ, gehennæ nos facit obnoxios, à qua nos liberet Christus Iesus Dominus noster.

Opprobria  
quenam my-  
stico Chri-  
sto irogan-  
tur.

Hora Prima hic incipit, continens in se  
Articulos quinque.

IESVS FUIT PILATO PRÆSEN-  
tatus. *Articulus XXXII.*

**M**anē autem factō, & vt factus dies est, conuenerunt omnes principes Iudæorum, & seniores plebis, & concilium inierunt aduersus Iesum, vt eum morti traderent. In nocte in primo concilio, in quo non omnes præsentēs fuerant, damnauerant eum esse mortis: inde seniores & principes iuerant dormitum vsque manē, relinquentes Iesum inter ministros pessimos illudendum. Sed manē omnibus præsentibus concilium ineuntes, tractabant, quomodo eum Pilato præsentarent, & in quo accusarent eum, vt perducerent eum à vita ad mortem. *Duxerunt ergo eum in concilium suū dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illi: Si vobis dixerō, non credetis mihi. Si autē & interrogauerō, non respōdebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autē erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo Filius Dei es? Qui ait: Vos dicitis: quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimoniū? Ipsi enim audiuius ex ore eius. Et surgens omnis multitudo eorū cum vniuerso concilio, vincientes Iesum vinctum duxerunt illum, & tradiderunt eum Pontio Pilato præsidē. Hæc ductio Iesu erat prædictis grauior, quia ducebatur ad præsidem gentilem, cui concessa erat plena potestas interficiendi. Ducebatur autem tanquàm pessimus latro, iudicatus ad mortem, vinctis manibus post tergum (sicut multi scribunt) licet consuetudo habeat pictorum, vt pingat quod manus ligatas habeat ante se. Habuit etiam in collo longam catenam, quam vix poterat portare. Discamus hic miram patientiam & obedientiam Christi. Ipse permittit se duci, & vadit quo volunt, de iudice ad iudicem. Habeamus etiam ex hoc Articulo memoriale, quomodo præparamur ad aduentum districti iudicis nostri, & cogitemus quid possimus respondere pro obiectis. Habebimus enim multos accusatores, qui comitantur nos, & clamabūt ante iudicem: diabolū, cui obediuius; Deum, cuius præcepta contempnimus; Angelum, cuius directionem & instructionem recepimus: propriam conscientiam, cuius remorsum & offensam non audiuius, vel non curauimus.*

Math. 26.  
Marc. 13.  
Lucæ 22.

Math. 26.  
Marc. 14.

Math. 26.  
Marc. 15.  
Lucæ 23.

Ductio hæc  
qualis quam-  
que fuerit  
pœnitentiæ.

Patientia &  
obediencia  
Christi quæ-  
ta ex hoc Ar-  
ticulo cla-  
rescat.

Accusatores  
nostri ante  
tribunal qui-  
nam eruat.

IESVS FUIT INIQUE ACCUSA-  
tus. *Articulus XXXIII.*

OO Adducunt

Ioan. 18.

**A**dducunt ergo Iesum à Caipha in Pratorium. Erat autem mane. At ipsi introi-  
 runt in pratorium, nec enim inuentur, sed ut manducarent Pascha.  
 O quam iusti, & quam conscientiosi fuerunt isti hypocritæ. Facie-  
 bant sibi conscientiam, quod polluerentur, si intrarent domum, ubi super  
 sanguinem iudicabatur, & quod ipsi sanguinis innocentis effusionem pro-  
 curabant, hoc non fuit illicitum. Pilatus ergo exiit ad eos foras, & dixit  
 eis: *Quam accusationem adferis aduersus hominem istum?* Responderunt, & dixerunt  
 ei: *Si non esset hic malefactor, non tradidissimus eum tibi.* Hoc dicebant, volentes  
 Pilatum terrere, & se generalibus accusationis verbis absolueri, quia sin-  
 gulares non habebant: sperantes, quod Pilatus his esset contentus. Quasi  
 dicerent: Quid necesse est, ut interroges? Sufficit hoc pro accusatione illius,  
 quod tradimus eum tibi. Non est in conscientia nostra, innocentem pre-  
 sentare iudici. Dixit ergo eis Pilatus: *Accipite eum vos, & secundum legem  
 vestram eum iudicate,* si non est necesse ulterius interrogare. Si debeo vobis  
 sine illius discussione, vel examinatione credere, tunc iudicate vos eum.  
 Non indigetis me. Dixerunt ergo ei Iudæi: *Nobis non licet interrogare  
 quemquam, ut sermo Iesu impleretur, quem dixit: significans quia morte esset notus  
 eius.* Coeperunt autem accusare eum in tribus, quæ magis videbantur effec-  
 tra Imperatorum, cuius vicarius erat Pilatus super hanc prouinciam Iu-  
 dææ, dicens: *Hanc inuicem subuertentem gentem nostram, & prohibentem  
 tributa dari Casari, & dicentem se Christum regem esse.* Introiit ergo Iesus  
 Pilatum in pratorium à turba, ut liberius posset loqui cum Iesu, & vocari Ie-  
 sum ad se. Iesus autem stetit ante presidem, & interrogauit eum preses, dicens: *Tu  
 es rex Iudæorum?* De tertia accusatione interrogauit, quia de prima non  
 curauit, & secundam falsam esse sciuit. Respondit ei Iesus: *Atmetipso hoc  
 dicis, an alij dixerunt tibi de me?* quasi diceret: Suspicias hoc, quia vidisti ali-  
 quid in me, quo videar me sublimare, vel extollere in regem? an quia alij  
 dicunt talia de me? Respondit Pilatus: *Nunquid Iudæus ego sum?* ut sciam quid  
 futurus sit rex Iudæorum. Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi: Non  
 est sine causa. Quid fecisti? Respondit Iesus: *Regnum meum non est de hoc mundo.  
 & ideo nihil est contra Imperatorem, qui princeps mundi est, Si regnum  
 meum esset de hoc mundo, hoc est, si temporalis, vel mundanus rex essem,  
 ministri mei decertarent vique pro me, ut non traderet Iudæis. Num autem reg-  
 num meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? si aliud reg-  
 num habes quam huius mundi? Respondit ei Iesus: *Tu dicis, quia rex sum  
 ego. Ego ad hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testi noniam perhibe-  
 am veritatem: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Dicit ei Pilatus: *Quid  
 est veritas?* Interrogauit de veritate, sed responsam non accepit, vel quia  
 non meruit audire, vel quia statim exiit ad Iudæos foras, qui impa-  
 tientes expectabant, timentes ne Iesus se excusaret, & Pilatus illum dimi-  
 tteret. Et cum hoc dixisset, uerum exiit Pilatus ad Iudæos, & dixit eis: *Ego nihil  
 inuenio causam in hoc homine. At illi inuadebant, & accusabant eum in multis  
 sentes: Commouit populum docens per uniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa  
 que huc.* Hæc uerba quia difficultatem non habent, ideo transeundum ad  
 alia.*

Luca 23.

Matth. 27.

Ioan. 18.

Ioan. 18.

Luca 23.

VI  
=)

Haec. Habemus hic documentum, quomodo quærelas & accusationes aliorum magis tacendo & tolerando debemus superare, quam importunè excusando, defendendo, vel refellendo. Si autem falsum improperaretur nobis, & quod esset scandalosum, possumus & debemus excusare, vel rationem reddere. Alias de parvis defectibus se multum excusare, & se mundū ostentare, magis (vt ferè semper euenit) ad superbiam, quàm ad conscientia seruitutem spectat. Et audientes plus scandalizantur de superbia nostra, vel impudentia, qua nos excusamus, quàm fuissent scandalizati, si tacuissent, & credidissent nos reos. Plus inquam edificantur homines de humilitate & penitentia nostra quibus aliorum accusationes toleramus, quàm de superba excusatione. Plus edificantur de humili penitentia, quàm de superba iustitia siue innocentia.

Accusati & iniurias calumnias que passi, quid agere debeamus. Excusare sese semper cuius vitæ iudicium sit.

IESVS FUIT MISSVS AD HERODEM. Articulus XXXIIII.

**A**diens autem Pilatus quoddam Iesum Galilæam esse, de potestate Herodis qui erat rex super Galilæam, gauisus fuit quod per talem occasionem liberaretur ipse à iudicio sanguinis super innocente: & ideo misit Iesum ad Herodem, quia etiam illo tempore Hierosolymis erat. Pensate, quo furore & crudelitate recipiunt Iesum, vindicantes se in eo, & eo amplius exultantes in eum, quo minus voluntatem suam apud Pilatum obtinuerunt. Herodes autem Iesum gauisus est valde: Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, non ex deuotione, sed ex curiositate: non vt suæ salutis prouideret, sed vt vanitati & nouitate, cuius studiosissimus erat, faceret satis. Curiosus nanque & vanus animus, non nisi vanitatibus huius vanissimi mundi oblectatur. Heu quanti & hoc nostro sunt miserando seculo, qui omne suum, non nisi incedentissimo vanitatis studio, tempus infructuosè nimis expendunt, quorum nec oculi visu, nec aures faciantur auditu. Hi reuera non de verorum Dei seruis sunt numero, quibus summa cura incumbit, vt omni loco & tempore, verbo & factis, Domini Dei sui honorem promoquant, ac temporis diligentè, iuxta Christi monita & concilia, rationem habeant, verum de societate huius Herodis, qui videre, audireque cupiebat Iesum, non vt eius verbis adhiberet, aut ex monitis eius vitam suam corrigeret, sed eo quod multa audierat de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri, & hoc totum non religiosi ac pii, verum dissoluti, ac curiosissimi animi indicium erat. Quis enim nescit, hoc tempus non fuisse miraculorum, aut signorum, quando omnia non solum Christi facta, verum etiam verba, ac gestus huiusmodi interpretarentur? Aut fortè Christum latuit, quod Herodes quæsiuit? Quid verò quæsiuerit, pro certo nescitur, nisi fortè, an ille fuerit iste puer Iesus, quem pater suus quærebat perdere, vel an ipse sit verus Messias, in lege promissus: an denique vera sit fama, quam de ipso audierat miraculorum, siquæ ipse is, de quo Ioannes prophetauit. In erogat autem illum multa sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Optimo, imò diuino hoc existimandum est factum concilio, quod Iesus nil Herodi responderit. Quare? Nam non ambiebat, imò denitabat Herodis fauorem Iesus, ne fortasse si aliquod miraculum in eius conspectu fecisset, aut lenibus ei sermonibus

Lucæ 23. Cur Iesum videre cuperet Herodes. Seruis Dei veris, quæ cura maxime sit habenda. Herodes quid interrogauerit Christum. Math. 7. Deut. 6. Math. 3. Ios. 1. Lucæ 11. Responsum cur non dedit Iesus Herodi.

OO 2 respon-

respondisset, abfolutum eum ab omni querimonia Iudæorum dimiffit. Quod utique Iesus non voluit, qui venerat adimplere voluntatem Patris sui, non suam: Innuens per hoc, contra Dei voluntatem, non esse querendam, nec gloriam hominum, nec fauorem principum. Stabant autem Principes sacerdotum, & Scribæ, constanter accusantes eum. Eadem quippe pertinacia, & animi obstinatione, qui paulo ante IESVM apud Pilatum accusauerant, iam denuo apud Herodem accusant, non timentes peruersè agere contra Deum, nec iniquissimis accusationibus, & iudicijs Dei Virtutem & Sapientiam (contra omnem iustitiam & æquitatem) lædere, & inhonorare. Quod utique Iracundia ac crudelitas maxima est. Porro Iesum nullum signum pro sui liberatione faciente, magis eum contemptui habuerunt. His pulchrum nobis exemplum derelinquendi, ac abnegandi nos ipsos proponitur instar Christi Iesu, qui adeo nudè, purè, & integre se sub Patris sui cælestis, etiam horum nephariorum hominum voluntate submisit, & reliquit, vt nihil omnino iuris sibi ipsi super se seruatet. Nam cum à Iudice ad Iudicem duceretur, multisquæ falsis criminibus accusaretur, nusquam legitur aliquid respondisse, quo impatientiæ notaretur: sed magis omnia pro nostri redemptione, ac Patris sui cælestis honore pertulit, quæcunque intro qui illi latrones ex diaboli instinctu ipsi irrogarent. Ita & quemlibet Christi ministrum oportet esse propria voluntate, propriæque electione nudatum & destitutum, ac si nunquam quid sit, velle, per spectum habuisset, patitur quæ se mitti ab vno ad alium, à summo ad infimum, vltro citroque, foras & intro, sitque semper spontè obediens, & subditus, quamlibet molestum & asperum sensui vel iudicio suo sit, quod illi imponatur.

Abnegationis nostri ipsorum, hic nobis præferri exemplum.

Voluntate propria nudare se vti quisque debeat.

IESVS SPERNITVR AB HERODE, ET exercitus suo. *Articulus XXXV.*

Lucæ 13.

**S**preuit autem illum Herodes cum exercitu suo. Videns verò superbissimus Herodes Iesum, neque signum vllum facere, neque responsum aliquod edere, turbatus, spreuit eum, & derisit cum exercitu suo, à quibus Dominus Iesus contumelias & probra multa perpeffus est. Indicauit proinde ipsemet Herodes per hanc irrisionem, quale de Christo in occulto iudicium ferret, nempe quod esset merito ab omnibus despiciendus tanquam stultus & insanus, qui suæ salutis esset immemor, nec oblatam acceptaret suæ liberationis occasionem. Vnde furiosi illi lictores magis ira & odio accenti, cooperunt acrius in Iesum inuehi, nouisquæ pœnis & cruciatibus affligere, neque aliquem suæ vesaniæ modum ponere: & hoc vel maximè, suggerunt ipsis patre ipsorum diabolo, cuius ministerium adimplere satagebant. Attendamus quæso hic, Christi ineffabilem humilitatem, & patientiam, vt contumelias hæc omnes patientissime, ac humilissime sustinuerit, nec de hisce omnibus iniurijs alicui, præterquam Patri suo cælesti, cuius adimpleta voluntatem scitebat, conquestus sit: quandoquidem omnes, iuvenes & senes, pusilli & magni, diuites & pauperes, in eum pro libitu suo insurgerent, pœnasquæ illi semper augerent, & renouarent. Quis enim capere poterit, quanta crux, quanta denique afflictio in corde Iesu fuerit, quando perperdit horum impiorum hominum nimiam ingratitude, animorumque

Humilitatē & patientiam Christi in afflictionem hanc dicit.

obstinationem, quodque ex mera invidia, & amaro zelo, tantummodo hæc mala in ipsum cogitarent? Præterea dolorem auxit non minimum, quod adeo animo deliberato, & integro voluntatis consensu diabolo consentirent, neque vlla sana concilia admitterent, per quæ diaboli machinationes & insidias dissipatæ, tandem ipsi ad agnitionem veritatis pertingissent. Sed sicut dicitur plerumque solet: Difficile est canem veterem assuescere loris: Ita nec hi obstinati & excæcati Iudæi, quamuis plurima à Christo beneficia essent consequuti, adhuc tamen non poterant malitiam suam inueteratam, imò nolebant potius, relinquere.

Hic monemur, pro nostri informatione, pro virili superbiam calcare, vanam gloriam ab hominibus non querere, sed exemplo Christi humilitati studere, nostris ipsorum aspernationem appetere, nec aliorum contemptum & ludibria, si qua nobis inferantur, timere: utque per hæc efficiamur veri imitatores Christi Iesu, qui omni honore & gloria huius fallacissimi mundi contempta, sustinuit crucem & ignominiam maximam.

IESVS AB HERODE SPRETVS, AD PILATUM REMITTITUR. Articulus XXXVI.

**H**erodes autem, quum nullum miraculum vel verbum à Christo obtinere posset, spreuit illum, ut dictum est, cum exercitu suo. *Et iussit eum indui veste alba, & remisit ad Pilatum.* Vestis ista, qua Iesum indutum legimus, stultorum & fatuorum fuisse indumenti genus quidam referunt, ideoque voluisse Herodes videtur Iesum hac indui, quasi nil inter fatuum & Dominum Iesum interesset, sed mentita est planè iniquitas sibi. Non enim huius Mundi Sapientiam acceperat Benedictus Iesus, verum eam quæ ex Deo est, quæ ipse erat, quam coram vano & curioso Herode, more mundanorum hominum ostentaret. Sic cæca sunt iudicia impiorum hominum, ut secundum faciem iudicent, & eos damnent, quos merito seruare deberent, eosque seruent, quos iuste punire æquum esset. At cum iam sua iniqua desideria in Dominum Iesum expleisset Herodes, satisque irrisset cum exercitu. Ad Pilatum remisit. Hoc in loco Herodes in necem Domini videtur consensisse. Nam suæ ditionis hominem innocentem debuit absolueri, non alteri iudicandum remittere. Denuo hic creuit Iudæorum ferocitas, & Iesu patientia, eo, quod non sicut optauerant apud Herodem res ipsis cessaret. Tunc denum iram, quam in corde habebant, omnem emouebant in Iesum, & quod paulo ante in occulto latuit, iam foras in publicum prodit. Videre est hic, O amatores Christi Iesu fideles, spectaculum miserandum, & omni lachrymarum fonte plangendum, quod nulli moti misericordia, aut humanitate, tam dire ac crudeliter, hi rabi di canes Christum Iesum tractauerint, ac omnis oblitici pudoris tam valido clamore à conspectu Herodis contemptum, & vilipensum rapuerint, multaque iniuria affectum Pilato rursus præsentauerint. Sed quis intellectus rapiet, que opprobria, que scommata, quas derisiones in hac processione Dominus noster pertulerit? Tu autem o anima deuota, acerbo cum dolore Iesum sponsum tuum, cæli gaudiū, Patris sapientiam, regem gloriæ, tam turpiter, tamque sordè confusum, & conpurcatum attende, ut tam non sit speciem hominis habens, sed abiectus

Superbia vanaque gloria quanto studio contemenda.

Lucæ 23.

Psal. 66.

Herodem in Domini Iesu mortem hoc loco confestim.

Quæ quantaque in hæc processione Christo pertulerit. Etiam 28.

VI  
=1



vermiculus: nec solam vt sceleratus, & reus morti adiudicatus, sed etiam (vt supra dictum est) insar deliri in veste stulti derisus ab omnibus. Quis ergo tam ferreo erit pectore, quem hæc non emolliant? Pudeat nunc vos & superbi homines, qui erecta ceruice, superbia tumidi inceditis. Erubescite qui sapientes estis in oculis vestris, & extollimini vltra id quod estis, stercus cinis, esca vermium, & vasa testea, plena omni immunditia. Et Dominus vniuersorum, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, vt insipiens deridetur, & vos ipsis quoque brutis animantibus irrationabiliores, quæ pro sua conditione laudant Deum creatorem suum, sapientes & sancti ab hominibus haberi vultis. Si quondam Angelis in caelo peccantibus, propter superbiam non peperit, arbitramini, quod vobis parcat? Nequam. Magna enim ira Dei imminet peccatoribus, & his qui duro corde sunt, nec gratiam in tempore gratiæ quaerunt. Quocirca dum vos Iudæ sustinet, reuertimini ad cor, & conuertetur vnusquisque à via sua pessima, & agat poenitentiam. Hæc namque via est, qua gloriam deperditam in Paradiso, recuperare possumus, & Deum quem peccando offendimus, nobis reconciliare. Nec patiamini obsecro pro magna salute vestra, vt quis vos ab hac via impediatur, non hominum societas, non amicorum familiaritas, non commoda vitæ presentis, non fallacia huius mundi gaudia, non cuiuscunque rei solatium, ne forte ab æterna hereditate, quæ nobis in caelis promissa est, excludamini. Hominum enim familiaritas, quæ arte quadam humana, & studio placendi parata est, sæpenumero iustitiæ Dei derogat, & Deo Opt. Max. nos inimicos facit. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipso die. Nam antea inimici erant adinuicem. Fortasse, quod aliquos Pilatus, qui de Herodis potestate erant, iudicauerat, & inde Herodis indignationem incurrerat. Sed iam videns Pilatus opportunitatem se habere reconciliandi sibi Herodem, si Iesum ad eum iudicandum mitteret, eo, quod Herodes magno tenebatur desiderio videndi Iesum, & probandi num vera essent, quæ de ipso hominum opinio ferebat, cum consilio & Iudæorum potestate ad Herodem eum misit. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus. Sic modo quos nulla poruit, aut virtus, aut iustitia reconciliare, consensus in Christi perfectione concordat. Hinc summe cauendum nobis est, ne cuiusquam nobis amicitiam conciliemus, per quam Dei familiaritatem & fauorem amittamus. Multo enim melius est, vt omnes homines nos odiant, quam Deum offendamus. Hic quoque docemur omnem mundi gloriam fugere, nullius amicitiam, nec parentum, nec amicorum, Dei amicitiam anteponere, opprobria & contumelias libenter pro gloria Dei appetere, & magis gaudere in tribulatione & nostri ipsorum aspernatione, quam in honoris exhibitione. Ita enim Magister & legislator noster suos docet. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini.* Sed ait: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Multo quæ melius est ire in domum luctus, quam in domum conuiuij. Hic finitur Prima.

Hora Tertia hic incipit, quæ habet Articulos octo.

IESVS

Esaiæ 5.

Coloss. 2.

Esaiæ 14.

1. Pet. 2.

Ioel. 2.

Ezech. 18.

Familiaritas  
hominum  
quæ tam ho-  
mini im-  
ponat.

Amicitiam  
hominum  
quæ in peric-  
lole aliqui  
venentur.

Ioan. 16.

IESVS VT LATRONE VILIOR  
reprobatur. Articulus XXXVII.

VI  
=)

Postquam ad Pilatum Dominus Iesus redijt, aduertit Pilatus quod Dominum Herodes damnare noluerit, eamobrem, quod ipsi Herodi magis faruus, quam morti reus videretur. Tunc & ipse similiter cepit laborare, quo Iesum innocenrem de manibus Iudæorum eriperet, & illæsum abire sineret, simul Iudæorum animo reuoluens consuetudinem, quod in festo Paschæ, vnum vincitum, aut damnandum ad mortem, quemcumque vellent petere, sibi concessum esset, nec huic etiam petitioni posse quæquam licite resistere: & hoc, ob memoriam suæ liberationis ex Aegyp-  
Exod. 12.  
 po. Tunc Pilatus ad Iudæos, vt secundum morem suum peterent vnum ex vincitis, Christum (quem seiebat ex inuidia sibi oblatum, innocentem) vel Barabam, latronem sediciosum, homicidam, & Iudæis exosum: sperans citius Christum, quam talem latronem petendum. *Pilatus ergo conuocatis Principibus sacerdotum, magistratibus & plebe ait: Obtulistis mihi hominem hunc quasi a-*  
Lucæ 23.  
*ntentem populum, scilicet ab obedientia regni. Et ecce ego coram vobis interrogans nullam causam inuenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes, qui tamen insidiatus fuit eidem, ante eius captiuitatem. Nam remis-*  
Matth. 27.  
*siros ad illum. & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum di-*  
Esa. 53.  
*mittam. Quasi diceret: Cum causam mortis non habeat homo iste, nec innocens iniuste occidi debet: emendabo illum, hoc est, verberibus, & plagis affligam, vt & vos pacati sitis, & ille humiliatus, non attenter amplius prouocare vos. Ad hæc autem obstitebant vehementer Iudæi, accusationes aggrauantes, vt sequitur: Et cum accusaretur à Principibus sacerdotum, & Senioribus,*  
Matth. 27.  
*subiit responsum. Neque enim tempus tunc erat defendendi se, sed patiendi, patientiæque nobis exemplum relinquendi: Esaiâ attestante: Tanquam agnus*  
Esa. 53.  
*scitans se obmutescet, & non aperiet os suum. Tunc dixit illi Pilatus: Non respondes qui tui? Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? Vide in quantum*  
Marc. 15.  
*te accusant, quasi dicat: Quid taces, qui tanta sapientia præditus crederis, vt nullus tibi comparari queat? Quare te non excusas, cum & ipsa innocentia præster tibi ausum & fiduciam respondendi? Cur ea quæ testificantur aduersum te, non refellis? Iesus autem amplius non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Pilatus præses vehementer, quia sine vlla controuersia vnico se verbo excusasset, aut leuissimo nutu ex manibus hostium suorum se exemisset,*  
Ioan. 19.  
*modo id placuisset Patri suo cælesti. Sed qui venerat non suam facere voluntatem, verum Patris sui, maluit hostium odium, & maliciam tacendo, quam respondendo declinare. Per hoc docens nos, qua ratione agere delectamur, cum iniuste ac innocenter ab inimicis in iudicium rapiamur.*  
Matth. 27.  
 Tunc alia demum via (vt supra dixi) Pilatus aggressus est Iesum liberare, comparans eum eam vilissimo, ac sceleratissimo latrone. *Per diem autem se-*  
Marc. 15.  
*quum Iesus enim conuenerat præses dimittere populo vnum vincitum, quem voluissent*  
Lucæ 23.  
*habere, assent autem tunc vnum vincitum insignem, qui dicebatur Barabæ. Erat autem*  
Ioan. 18.  
*Barabæ latro, qui cum seduciosis vincitus erat: & erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, quod in seditione fecerat, missus in carcerem.*  
 O.O. 4. Et cum:



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Marc. 15.  
Matth. 17.  
Ioan. 19.  
Marc. 1.

Et cum ascendisset turba, cepit regere sicut semper faciebat illis. Congregatus ergo illis, dixit Pilatus: Est consuetudo vobis, ut vnum dimittam vobis in Pascha. Quem vultis vobis dimittam de duobus? Barrabam, an Iesum, qui dicitur Christus? Scitis enim, quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. O Pilate, quid agis, quid moliris? Nunquid comparandus est Saluator cum latrone? vita cum morte? Iesus noster cum tuo homicida? Sed in hoc excuso te. Scio enim, quia bona intentione facis, ut eo citius Iesum nostrum de manibus Iudeorum eripias, & cui non dignantur parcere propter innocentiam, vel saltem propter latronis vilitatem, & malitiam parcant. Sed nihil efficis. Decretum est enim apud eos, ut moriatur Iesus, & vita donetur Barrabas. O scelus. O impietas. Quem vultis vobis dimitti o perfidi Iudaei? Barrabam ne homicidam, an Iesum regem vestrum? Principes autem sacerdotum, & seniores conuenerunt turbam, & persuaserunt populo, ut peterent Barrabam: Iesum vero perderent. Exclamavit autem simul vnuerfa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Nolebant eum nominare praeter inuidiam, sed dicunt: Tolle hunc, scilicet Iesum. Quid est Iesum? Saluatorem. Tolle hunc Filium Virginis, Filium Dei, qui infirmos nostros curauit, daemona ab obsessis fugauit, mortuos nostros suscitauit, regnum caelorum praedicauit, ut crucifigatur. Barrabam vero, qui viuentes occidit, seditionem excitauit, dimitte liberum. O bone Iesu, quam exosum habent te Iudaei. Veni ad nos, & mane nobiscum Domine. O fratres non dubitatis cor Iesu vehementer afflictum, cum tantam ingratitudinem populi, & odium videret contra se, cum cerneret se vilio-rem & abiectiorem latrone haberi. Iterum autem locutus est praeses Pilatus ad Iudeos, laborans pro Iesu, & volens dimittere eum. Sed illi iterum clamabant, & succlamabant dicens: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit: Quid enim mali iste fecit? Ego nullam mortu inuenio in eo causam. Corripiam ergo eum, si forte contra legis caeremonias deliquit, & dimittam. Bene incipiebat Pilatus, & constans mansisset. O fratres mei, quid docemur in hoc articulo, nisi ut profundissima humilitate superbiam nostram deprimamus? Erubescimus locum inferiorem, erubescimus inter pauperes annumerari, erubescimus cum despectis, aut paruis sociari. Volumus inter magnos reputari, honorari, praeferrari. Et ecce creator noster, Deus noster, patitur se non modo peccatori, sed latroni comparari, & ut homicida inferiorem, iniquioremque reijci. O si hunc articulum cordibus nostris imprimeremus, non foret nobis adeo amarum despici, vel non reputari. Nihil tale adhuc de nobis dictum est, nihil clamatum, licet pessimi sumus peccatores, & omni opprobrio digni, quale contra Dominum ab omni culpa innocentiem. Secundo discimus hic, quid inuidia facit, quomodo mentes hominum excacat, iudicium rationis perturbat. Videte si non etiam modo mali, quantum libet sanctos, quantum libet iustos, si peccata eorum ceperint corrumpere, persequuntur, & quandoque occidere nituntur. Quomodo isti quandoque coram suo Iudice, clamant contra bonum & utilem praelatam (quia eorum prauis voluntatibus & moribus resistit) crucifigatur, hoc est, absoluitur. Et si dicatur, Quid mali fecit? non inuenimus causam absolutionis, reclamant: Absoluitur. & praeficere volunt sibi vnum Barrabam, id est, eligunt sibi vnum secundum affectiones suas, qui forsitan animas eorum magis occidere nouit, quam viuifica-

Matth. 27.  
Luc. 23.  
Ioan. 18.

Humilitate  
quantam &  
nostri contemp-  
tionem hic  
deserere nos  
oportet.

Inuidia quae  
nam mala in  
hominem effi-  
ciat.

re. Simili modo fit in alijs casibus: quia ubi invidia, ibi cæcitas. Tertio, monemur Christum præ omnibus eligere, præ omnibus diligere, chariorem omnibus æstimare. Et tamen in omni peccato mortali viliozem æstimamus Christum, Deum nostrum, ea re propter quam peccamus, sit cibus in peccato gula, vel fractione ieiunij, sit inhonesta mulier in peccato luxurie. O quanta iniuria, & quantus contemptus est Christo præferre turpissimum concubitum. Et sic de alijs.

IESVS NV DATVR VESTIBVS, SCILICET ad flagellandum. Articulus XXXVIII.

Pilatus autem videns Iudæorum obstinatum iram contra Dominum, & durum æstimans innocentem crucifigere, cogitavit ad placandos Iudæos Christum punire, vt sic castigato & afflicto compasli vitam dimitterent. Et ideo fecit Iesum à militibus apprehendi. & vestibus ad flagellandum nudari. Stabat enim adhuc mansuetissimus agnus, vt remissus fuerat veste ludibriosa amictus. Hæc denudatio nõ parum contumeliaz, nec mediocris fuit iniuriæ, affigens verecundum cor pudicissimi Iesu. Licet enim non de infestilla radice Adæ natus sit Dominus, de qua erubescibilis facta est nuditas nostra, vt habetur in Genesi, post peccatum, abscondente se primo parente, & dicente: Vocem tuam Domine audivi, & timui, eo quod nudus essem. & abscondi me: Quia tamen naturam nostram, & infirmitates nostras (vt dixi) absque peccato tamen suscepit, de nudari erubuit, & tanto amplius alijs pudicis virginibus (sicut de Agnete, Barbara, & quibusdam alijs legimus, quæ magis timuerunt, & doluerunt nudari, quam mori) quanto sua pudicitia incomparabilis fuit omnibus virginibus. Docemur hic nuditatem, tam corporalem, quam spirituales erubescere. Pudici enim est animi, non solum ab alijs nolle nudum se videri, sed etiam ne propriam quidem nuditatem velle conspicere. Inde est quod apud antiquos monachos, & adhuc in ordine nostro abstinemus à balneis. Spiritualis nuditas est veste carere bonæ conversationis, & à bonorum operum tegumentum esse alienum.

Ioan. 9.

Lucæ 11.

Gen. 3.

Nudatio Iesu quam fuerat illi penosissima & grauissima.

Nuditas duplex quæ cuius esse debeat fugiende.

IESVS FLAGELLIS CÆDITVR. Art. XXXIX.

Nudatum Dominum vestimentis, ad columnamq; magnam ligatum, fecit Pilatus crudelissime à militibus binis & binis sibi mutuo succedentibus, flagellu cadi. Possit hic articulus in duos diuidi: quia complectitur ligationem, & flagellationem. Primo enim fuit Domino non solum iniuriosum, sed etiam penosum ligari ad columnam. Iniuriosum, quia tanquam magum, vel tanquam impotentem, quem vincula tenerent, & qui solvere se nequiret, Dominum æstimabant. Penosum fuit, quia in omnibus quæ circa Dominum agebant, studiose querebant, nec quicquam horum prætermittebant, quo Dominum affligerent. Secundo in eodem articulo considerare nos conuenit flagellationem Domini nimis fuisse afflictuam. Fuit enim Dominus cæsus (secundum aliquos doctores) virgis, flagellis, & vncis ferreis, id est, scorpionibus, & non ad breuem moram, sed à duobus, vel quatuor militibus robustis vsque ad sui fatigationem, & subinde alijs succedentibus: adeo vt corpus eius nobilissimum & tenerrimum, nõ solum cæsum, sed vulneratum esset & laceratum adeo, vt non esset à plantis pedum, sed à

Ioan. 9.

Ligatio Iesu ad columnam, quam fuerit penosa & iniuriosa.

Flagellatio Iesu, quam fuerit penosissima.

PP ta pe-

VI  
=)

Isaia 51.

Ibidem.  
Psal. 62.

Flagella Dei  
quam liben-  
ter patien-  
ter, que subire  
debeamus.  
Apoc. 3.

Orate Deum  
hic pro fla-  
gellis diuine  
correctionis  
quanta sit sa-  
pientia.

ta pedis, vsque ad verticem capitis in eo vlla sanitas, sicut scriptum est deo per Esaiam: *Disciplina pacis nostra super eum, & liuore eius sanari sumus.* Disciplina, inquam, quam nos accipere pro peccatis nostris debueramus, & supportati sumus, castigauit eum Pater celestis castigatione crudeli, vt nos pacilli que debebat esse inter nos & ipsum, restitueret. Ideo dicitur: *Disciplina pacis nostra scilicet cecidit, super eum.* Et secundum Psalm. *que non v apuit, exolat.* O grauis disciplina. Pensate peccata nostra quanta sint, pro quibus Filium Dei tantam oportuit sumere disciplinam. Vbi sunt qui disciplinam cum cauda vulpina volunt accipere, non cum cauda equina, vel hericino clauo, pelle hericij vestito?

Habemus hic magnam documentum patientie, considerantes quam humiliter & promptè flagella Dei subire pro peccatis proprijs nos conuenit, nec murmurare, cum Dominus, qui peccata nostra vindicare debuit, pro nobis flagellatur, magnumque sit amoris diuini indicium in hac vita flagellari, & Domino suo seruum conformari, sicut ipse in Apocal. testatur: *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Si tu habes clenodium pulchrum, aut dilectum, non finis illud inquinari, sed mox vt pollutum fuerit, aut macula super id ceciderit lauas, limas, tergis, &c. Sic etiam facit Dominus: Purgat enim de mundos esse vult quos diligit. Item magna sapientie est orare Deum, vt in presenti tempore, dum sumus in curia misericordie, nos pro peccatis nostris flagellet, flagellatisque manum sustentet, ne deficiamus, aut in impatientiam cadamus, & non serue nobis malorum nostrorum retributionem in futurum, ad curiam scilicet iustitie, vbi exigetur à nobis vsque ad minimum quadrantem. Sic rogauit Mauritius Imperator, vt haberet in speculo Vincentij.

IESVS. INDVTVS PURPURA SPINIS

coronatur. Articulus XL.

Iohan. 17.  
Math. 27.  
Marc. 15.  
Luc. 23.

Hieron.

Coronatio  
Iesu quam  
peruosissima  
fuerit.

Purpura cha-  
ritatis nos o-

**F**lagellato Domino, & per totum corpus vulnerato, cruentatoque, milites suggererunt Pilato, vt quia regem se nominauerat, sicut rex coronaretur. *Congregata ergo vniuersa cohorte ad triste spectaculum, milites presidia suscipientes Iesum, duxerunt eum intro in atrium pratorij, exuentes eum, & ceperunt clamidem cocctineam, quasi pro purpura regali, circunde runt ei, & induerunt eum purpura.* Et placentes coronam de spinis, rigi dissimis marinis, que etiam calceos penetrant, imposuerunt capiti eius, pro diademate regali, secundum Hieronymum. Caput eius densitate spinarum, vsque ad cerebrum confixum fuit, ita vt sanguis ex capite extractus, frontem, genas, & collum perfunderet. Hoc faciebant autem milites, vel ad placendum Iudais, vel spe acquirende pecunie, si durius tractarent Dominum. Si vobis vna spina digito vel pedi imprimeretur, quanta pena, quantus sequeretur clamor! Cognate inde, quid acerbitatis & pene Dominus sustinuit: spinis oportet sicut pileo in capite. Vt autem derisioni nil deesset, *posuerunt in dextera eius arundinem pro sceptro regali, volentes per hoc significare inanitatem regni, & potestatis eius.* Potest articulus iste in tres diuidi, scilicet pro eo, quod purpura indutus, spinis coronatus, & arundine derisorie fuit honoratus. Oportet nos fratres purpura, id est, veste charitatis amictos esse, vt spinis tentationum, & tribulationum fiant nobis in coronam. Tunc autem fiant nobis

VI  
71

nobis in coronam, quando aduersitas patienter toleratur, & quicquid nos  
 contra Deum trahit, vel allicit, repellitur & superatur. Quotquot enim  
 homo spinas tentationum in hac vita tolerat & superat, tot gemmas precio-  
 sas ad coronam suam comparat. Oportet tentationes tolerare & superare,  
 hoc est, oportet tolerare, & non tolerare. Oportet tolerare, quod tenta-  
 mur, licet non debeamus desiderare, nec occasionem dare, propter pericu-  
 lum. Oportet, inquam, tolerare quod impugnamur, id est, non murmura-  
 re, non desperare, & hoc est patientia, & oportet non tolerare, id est, non  
 consentire, ad hoc, quod contra Deum tentamur, sed resistere & superare.  
 Verbi gratia: Oportet sustinere, id est, non murmurare contra Deum, si lu-  
 xuria nos impugnat, licet omni modo teneamur occasiones huius tentatio-  
 nis vitare. Non tamen oportet ita tolerare, vt non resistamus, fugiamus oc-  
 casiones. Ad vincendum autem requiritur, vt manu considerationis tan-  
 gamus arundineum baculum, id est, virtutis nostrae vacuitatem, imbecilli-  
 tatem, & nihilocitatem, quatenus non in nobis, sed in Domino confidamus.  
 Quia qui in se confidit, qui non se arundinem recognoscit, periculose pug-  
 nat: quia nil restat ei, nisi vt vincatur. O quot, qui aliquid videbantur esse,  
 confidentes in se, & praesumentes, in profundum ceciderunt, quando alijs  
 grauissimis tentationibus inuoluti, & implicati, in sola Dei virtute & boni-  
 tate firmiter sperantes, & de sua virtute dissidentes, euaserunt, & virtutum  
 humana facti sunt.

portere ve-  
 stiti.  
 Spina aduer-  
 sariam qui-  
 do nobis fi-  
 ent in coro-  
 nam.  
 Tentationes  
 quomodo o-  
 portet tol-  
 rare, & non  
 tolerare.  
 Tentationes  
 quomodo fe-  
 rendae sint.  
 Baculum a-  
 rundineum  
 in situ soci-  
 tate quid sit  
 spiritualiter.  
 Praesumptio  
 sui quomodo sit  
 periculosum.

IESVS CORONATVS MULTIPLICITER  
 illuditur. *Articulus XXI.*

Quia Iudaei accusauerant Christum, quod falso se Deum, seu Dei Fi-  
 lium dixisset, & temerarie Christum, id est, regem Iudaeorum nomi-  
 nasset, ideo milites non a militia nobilitatis, vel generositate sangui-  
 nis, sed potius a malitia, crudelitate, & a militando sic dicti stipendiarij, car-  
 nifices, operarij iniquitatis, quibus nil pro pecunia acquirenda videretur  
 iniustum) dupliciter irriterunt. *Et genu flexo ante eum, illudebant. & ceperunt  
 soluere eum.* Salutabant eum derisorie, vt regem, dicentes: *Aue rex Iudaeorum.*  
 Adorabantque illum genibus flexis, vt Deum. Sed quo animo, statim indi-  
 carunt. Nam inter huiuscemodi honorationes illusorias, *conspuerunt in fa-  
 cie eius. Et dabant ei Alphas. Acceperuntque arundinem, quae instar baculi rigi-  
 da erat, & percutebant caput eius.* Continentur hic plures articuli in vno.  
 Nam saluatio derisoria, Adoratio, Conspuitio, Alaphizatio, Capitis  
 cum arundine percussio, quae vno simul hic articulo connectuntur, in quin-  
 que diuidi possunt, dum vel tempus suppetit, vel suggerit deuotio. O fra-  
 tres, non oporteret hic leuiter transire, tantam Domini & creatoris in-  
 iuriam, quam a visibilis nequam tolerat, a creaturis indignissimis. Si-  
 quidem ipse Deus, & cui soli debetur omnis honor & gloria. Ipse verus rex,  
 & Dominus caeli & terrae, creator vniuersorum, distributor omnium: si-  
 ne cuius nutu, non solum nihil possidere, sed nec viuere, nec esse possumus.  
 Hic alaphis caditur, hic conspuitur, huic spina arundine percussa, capi-  
 ti intruduntur, impellunturque vsque ad cerebrum. O fratres, cogitate do-  
 lorem super dolorem, cogitate patientiam super patientiam. Si canem vel  
 catel-

Milites qui  
 hic dicantur.  
 Match. 17.  
 Marc. 15.  
 Luc. 23.  
 Ioan. 19.  
 Articulos  
 plures hic  
 comprehen-  
 di.  
 Tim. 1.  
 Quanta quae  
 que in digna  
 & pœnosa  
 hic Christus  
 peruenit.



catellum tanta videremus pati, concuteretur cor nostrum compassionem. Christus patitur, & non compatimur? Deus pro nobis patitur, & ridentiore, sicis oculis præteribimus? Ante etiam legimus Dominum conspuitum & alaphizatum: sed id factum fuit in domo Caiphæ à Iudæis: hoc autem factum est in domo Pilati à militibus, ad placendum tamen Iudæis. Mone-mur ex his Dominum non derisorie adorare vel salutare. Tunc deridemus eum adorantes, quando ab extra magnam deuotionem, aut humilitionem ostendimus, & intus aridi, acediosi, superbi inuenimur. Inclinamus profunde corpus, sed cor manet erectum. Os loquitur cum Deo, & cor nostrum auersum est ab eo, & conuersum ad mundana. Rogamus Deum, vt intendat orationi nostræ, & nos ipsimet non attendimus. Petimus multa, & ipsi phantahis implicari, nescimus quid petimus. Quomodo ipse exaudiet nos, quando nos ipsos non audimus? Nõnne esset derisio loqui cum regi pro ardua causa, aut aliquid petere magnum ab eo, & interim verterei dorsum, & ludere cum catto? Nõnne diceret rex: Si non magis serio est tibi petitio tua, quare illudis mihi? Sic etiam Deo illudimus, loquentes cum eo, petentes non parua, aut modica, scilicet, regnum caelorum, & interim ludimus cum catts, id est, cum cogitationibus & rebus imaginatis, vertendo ei dorsum cordis nostri. Si verò tempore orationis, genuflexionis, prostrationis, adorationis, etiam impuris cogitationibus delectamur, aut peccandi voluntatem concipimus, quasi Deum salutamus, & interim in faciem eius expuimus, aut alaphas damus.

*IESVS ILLVSVS VIDENDVS  
producit. Articulus XLII.*

**C**VM milites nequam omnem suæ crudelitatis vim in Christum exercissent, flagellatum, & sic miserabiliter illudum, & afflictum, produxit Pilatus foras ad Iudæos, vt vel sic Iudæorum eius passionem & humilitatem videntium, furor mitigaretur. Vnde sancti Euangelistæ consequenter dicunt: *Et postquam illuserunt ei, exiit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio.* Sciebat enim Pilatus, quod ludibria eius libenter videbant, sperans post tantam eius afflictionem & ignominiam, ipsum de susceptione regni non suspectum haberi, nec vltra eius sanguinem sitiri. Dixit ergo ad illos, vt iam dictum est. *Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eo causam.* Emendatum ergo eum, dimittam. *Ecce quid sequitur miserabile. Exiit ergo Iesus, portans spinam coronam, & purpur eum vestimentum* cum sceptro arundineo. Mirum quod Iesus præ vulnerum dolore, & passionis labore, stare vel ambulare potuit. *Dixit ergo Pilatus: Ecce homo.* O lamentabile spectaculum: *Ecce homo.* Quasi dicat. Ita tractatus est, vt speciem hominis amiserit. Vnde etiam Esaias prædixit in spiritu passionem eius præcognoscens: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem, vnde nos reputauimus eum. Vidimus eum quasi percussum, & humilatum à Deo, vt virotum nudissimum & leprosum, &c.* Et idcirco mirum est, quod aliquid de cætero timeris. Habemus hic iterum documentum, non in vestibus gloriari, aut nos ipsos ostentare, quia Christus illusus in vestibus est. Maxime autem hoc spectat

Matth. 26.  
Marc. 14.

Deridit  
Christum à  
nobis quod  
mystice.

Illudere Deo  
mysticè qui  
dicantur.

Conspuerit  
Deum, illi  
que alaphas  
dicitur quoniam  
mysticè di-  
cantur.

Ioan. 19.

Isaia 53.

VI  
71

spectat ad religiosos, quorum habitus despectus & humilis est, & quasi illu-  
sorius hominibus mundanis. Vnde etiam sunt rasi, & coronam portant par-  
tem in memoriam coronae spiniae Christi. Videre tamen, qualis abusus,  
instrumentis humilitatis vti ad superbiam: quae illis instituta sunt & ordi-  
nata ad humilitationem ipsorum, in illis superbire. Si farus quaereret fa-  
tuitatis cappam de panno serico, quid opus est, diceretis fatuo tali, panno  
serico? Sufficit ei ad demonstrandam hominibus suam fatuitatem pannus  
lineus, aut lanæus. Nam sericum si lino praefert, fatuus non est. Sic mona-  
chus talia vestimenta portare debet, quibus se monachum significet, id est,  
ex quibus appareat, quod sit contemptor seculi. Sine cura sui viuat, nihil  
temporale diligit nihil de his quae admirari solet mundus, discernat, vel  
apparet. Quanto ergo viliores, abiectionem, & grossiorem habet vestem,  
tanto magis & melius hoc significant, quod esse debent. Vnde & statuta no-  
stra praeter ceteris omnibus religiosis aiunt nos ad attritionem, paupertatem  
& vilitatem vestium, & cetera huiusmodi astringi. Si ergo quis pulchritu-  
dinem vestium concupiscit, & delectatur, quaerit: pulchritudinem dico,  
id est, curiositatem, nobilitatem in panno teneritudinem, &c. (nam mun-  
diti vestium non reprehensibilis, sed laudabilis est, & in veste hispida ec-  
ciam seruari potest) delicatus est, mundanus est, monachus non est, contem-  
ptor seculi non est, & apud sapientes homines, sicut irreligiosus contemni-  
tur, & monstrum reputatur, qui vult, velut is, qui seculum contempnit, &  
semetipsum haberi, & tamen factio ostendit se non esse, quod vult videri.

Habitus mo-  
n-chorum  
cur in despe-  
ctus & humili-  
lis.  
Corona in  
capite religi-  
oso. um quid  
mystice.

vestes qua-  
les monachi  
ferre debeant.

Religiosus  
vultum qua-  
nam ostendit.

IESVS CRUCIFIGI POSTVLATVR,  
Articulus XLIII.

Quum ergo pontifices & ministri, sic Iesum flagellis laceratum, vulneribus  
plenum, sanguine cruentatum, vestibus illusum vidissent, nulla mise-  
ratione moti, maiori inuidia exarserunt, magnis vocibus clamantes:  
Crucifige, crucifige eum. Non paruum dolorem, aut merorem fecit Christo,  
sic miserabiliter afflictum coram inimicis suis derisoribus ostendi, qui pos-  
sitas eius insatiabiliter aestuabant. Fuit autem clamor eorum validus. Vnde  
quidam Euangelistarum dicit: *Inualecebant voces eorum.* O bona Maria, quo-  
uque de te tacebimus? Quid fuit in corde tuo, quando à longè tales voces in  
altum ferri, & filium, non solum ad mortem, sed ad ignominiosissimam  
mortem audiebas exquiri? Fuit autem hora tertia, quando sic Iudaei cla-  
mauerunt. Vnde & Marcus scribit, hora tertia Dominum crucifixum,  
cum tamen milites sexta hora crucifixerunt Dominum, secundum alios:  
per hoc intelligi volens, hoc fecisse Iudaeos hora tertia linguis, quod mili-  
tes fecerunt sexta manibus. Imo Iudaei magis crucifixerunt & occiderunt  
linguis, quam illi manibus: quia nisi clamassent, non fuisset crucifixus Do-  
minus, vix praecedentibus & sequentibus patet. Audiens clamores eorum  
Pater quasi indignatus, dicit ei: *Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim n. uin*  
*uenio in causam.* Non dixit haec verba concedendo eis facultatem, sed exe-  
crando, vel improperando eis eorum malitiam, qui contra innocentem  
clamabant. Tunc Iudaei ad aliam accusationem se conuertunt, dicentes *Nos*  
*legem*

Ioan. 19.

Luc. 23.

Marc. 15.

Ioan. 19.

Ibidem.

PP 3 legem

Leuit. 24.

Ioan. 19.

Tacere aut  
venerit in-  
terrogatus.

Lingua à de-  
tractatione  
quâto studio  
coercenda.

Ioan. 19.

Matth. 7.  
Diabolus vt  
per mulierem  
Christi mer-  
tem impedi-  
re conatus  
sit.

legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. In lege ha-  
beatur de blasphemo occidendo. Sed Christus confitendo se Dei Filium,  
non blasphemauit, sed veritatem dixit. Quum autem Pilatus hunc audisset  
sermonem, magis timuit, scilicet illum occidere Filium Dei. Facilius ei per-  
suaderi poterat, vt crederet Deum, vel Dei Filium, quia multos deos gen-  
tiles credunt. Et ideo ite um ingressa in pratorium, vt solus cum solo loque-  
retur, & examinando, eum interrogat: Vnde es tu? Iesus autem responsum ei non  
dedit. Sæpius ad interrogata tacuisse legitur. Dominus in sua passione, no-  
vel passionem suam impediret, vel quia responsione non erant digni, vel  
non capaces. Dicit ergo ad Pilatum: Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem ha-  
bes crucifigere te, & potestatem habes, dimittere te? O Pilate hæc verba tibi  
desecant collum, quia sententiam contra teipsum tulisti. Si potestatem  
haves dimittendi, sicut etiam habes: ergo, quem sciebas innocentem, non  
morti adiudicare, sed dimittere debuisti impunitum. Respondit ei Iesus:  
Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propter  
ea qui me tradidit tibi, scilicet Iudas ex avaricia, & Iudæi ex inuidia, manus  
peccatum habet: Et exinde Pilatum quarabat, id est, omnino se tale exhibuit,  
dimittere eum, vltra exempla & documenta generalia patientiæ, & humili-  
tatis Christi, quæ in omnibus Articulis relucens, non habemus hic specia-  
lia, nisi vt discamus refrenare linguas nostras, & caure à detractationis vic-  
tio, quia quicquid inde malè sequitur, cuius occasionem detrahendo dedi-  
mus, rei erimus. Sicut Iudæi dicuntur crucifixisse Dominum, & rei sunt, no-  
quia manibus, sed quia linguas id procurauerunt.

IESVS AD TRIBUNAL IUDICIS  
est adductus. Articulus XLIV.

Quum Pilatum Iudæi cernerent omnino querere liberationem Iesu, quan-  
tum poterant opposuerunt se, reclamantes, & clamabant dicentes: Sinite  
dimitte, non es amicus Cesaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Ce-  
sari. Pilatus autem cum audisset has sermones, & minas Iudæorum de Cesaris  
indignatione, timuit de se conqueri vel suspectus apud illum haberi ab of-  
ficio deponi. Adduxit Iesum foras, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Li-  
costratos, Hebraice autem Gabbatha. Ante disceptando & perquirendo cuncta  
audierat, nunc formam iudicis seruans, sedit pro tribunali, statuens ante  
se Iesum. Cogitate boni fratres, cogitate mansuetudinem Domini, humili-  
tatem omnipotentis. Licet in manu sua habeat cælum & terram, & omnia  
quæ in eis sunt tamen ante iudicem gentilem permisisse se statui, & iudicari  
velut malefactor, & mortis reus. Dum autem hæc fierent. Erat parasceue. Pascha  
hora tertia & quasi sexta que apud nos est meridies. Et sedente Pilato pro tribunali,  
misit ad eam vxor sua, dicens: Nihil tibi est in isto illo, Non intromittas te de illius  
morte. Multa enim sum passa per visum hodie propter illum. Diabolus videns vi-  
tra quam humanum est, solet, pacienciam Christi perpendit, quod forte ipse  
Christus esset, qui humanum genus esset redempturus. Vnde poenitere con-  
pit, quod Iudæos in illius necem instigasset. Cupiensque illius mortem, qui  
ante parauerat, impedire: ad Pilati accessit vxorem per varias somniorum  
delusiones eam terrens, vt à Christi damnatione mariti animum reuocaret.

Spera-

VI  
71

sperabat enim facile liberationem nostram impedire per mulierem, per quam damnationem ante intulerat. Ecce quicquid diabolus per se non potest, per mulieres exequitur. Fugiamus mulieres: fugiamus monstrum diaboli. Sint mulieres honeste quarumcumque sint, vel religiose, nihilominus fugienda: quia per illas quandoque plus tentat diabolus, dum earum familiaritas incautus admittitur, quasi sanctarum, de quibus nulla mali oriatur tentatio. Nam inhonestas cito contemnimus & fugimus: honestas vero quasi sub specie spiritualis amoris, vel quasi sorores amare volumus: O, o, caro est tibi, spiritu quidam incipiunt, dicit Apostolus, & carne consummant. Et si quandoque corporis non amittant castitatem, tamen cor vulneratum est, adeo quod ad breve tempus non possunt ab invicem abesse. Hoc non est signum spiritualis sed carnalis amoris, quia divinus amor non carnis presentiam acquirit in dilecto, nisi in quantum ad informationem alicuius necessitas urgeret. Sed rogamus ad Christum. Ipse stabat ante praesidem tacens sicut agnus, qui coram tondeute se obmutescit, nec aperit os suum. Dixit ergo ad Iudaeos Pilatus de Iesu sic humiliter stante: *Ecce rex vester quem adeo timetis.* Confusio est vobis talem sic flagellatum & male tractatum, timere. Illi autem clamabant, *Tolle, tolle, scilicet eum a conspectu nostro, quia grauis nobis est ad videndum.* *Crucifige eum, dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam?* hoc est vobis ignominia: *Respondunt pontifices: Non habemus regem nisi Caesarem.* Hic renunciauerunt Iudaei, & abdicauerunt a se omnem libertatem, & perpetua seruituti se Imperatoris subiecerunt. Documentum habemus eiusmodi ex hoc articulo, sicut Christus propter peccata nostra iudicari, & ante tribunal fieri voluit, sic magis nos ipsos debemus iudicare, & tribunal in mente nostra statuere, facta, cogitationes, verba & affectus nostros ibi discutere, examinare punire & cauere, vnde Apostolus. Si nos ipsos iudicemus non vique iudicaremur.

Gene 3.  
Per mulieres  
quoniam dia-  
bolus effi-  
ciat.

Nota decli-  
pulas diabo-  
li per etiam  
honestas  
mulieres.  
Galat. 3.

Esai. 55.

Sapient. 2.

Tribunal coe-  
ta nos ipsos  
statuere, iu-  
diciumque  
ferre vti de-  
beamus.

Hora sexta hic incipit, habens Articulos quatuordecim.

IESVS AD MORTEM DAMNATUS

est. Articulus XLV.

Videtur autem Pilatus quia pro Christo liberando nihil proficeret, sed magis, tum tu fieret, & rebellionis crimen contra Caesarem sibi impingeret. *Accepta aqua, lauit manus suas coram omni populo, quasi in signum innocentiae.* Non fuit innocens, quia iustum damnare non debuit. Potius enim omnem honorem amittere & exilium, aut mortem sustinere debuit, quam contra conscientiam, iustum & innocentem morte damnare. Lauando ergo manus dixit Pilatus. *Innocens ego sum a sanguine iusti huius.* Vos videtis. Et respondens vniuersus populus dixit: *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* scilicet vindicetur. Tunc Pilatus ferens sententiam volens populo satisfacere, addidit aut fieri petitionem eorum. *Dimisit autem illi Barrabam, quem petebant.* Item autem flagellatum et aditum voluit a iustis, ut crucifigeretur. O tristes sententia quae Dominus humiliter accepit sine vlla contradictione, demisso capite ac si omnium reus esset malorum. O quantus luctus piissimae matris eius & amicorum.

Marc. 15.  
Marc. 15.

PP. 4. Genium

*Statu scilicet  
quomodo  
publ. cara  
fuerit.*

*Ambitio in  
quanta mala  
a nunc pre-  
ogit.*

*Pro iustitia  
quod liben-  
ti animo se-  
renda.*

*Galata.*

*Ioan. 7.  
Matth. 27.  
Marc. 3.*

*Infamia  
Christi per  
totam ciui-  
tatem.*

*Matth. 7.  
Marc. 15.*

sententia super iniqua sententia, super morte innocētis Domini charissimi magistri, quia (vt creditur) signum dabatur quod sententia damnatus foret, & statim educendus ad mortem. Et hoc forte per p̄conem vel tubam, vel cornu, vel buccinam fiebat sicut modò pulsatur campana. Magna autem e contrario erat lætitia Iudæorum, quod desiderium suum obtinissent, & de Christo se (qui omnia bona illis & beneficia contulerat) vindicare poterant. Monemur hic cogitare & pensare in quanta mala homines ambitio precipitat & excæcat. Ecce quanta peccata homines faciunt, vt honores ac officia acquirant, vel ne amittant. Iste Pilatus multum laborauit pro liberatione Domini quem cognouit iustum esse. Verum quando minabatur ei de absolutioe sua propter offensam Cæsaris, contra conscientiam concessit iniquitati damnando iustum. Docemur etiam hic, non multum curare pro Deo vel iustitia sustinendo iniqua hominum iudicia, vel quod malè de nobis sentiant quando Christus talia sustinuit. Debemus tamen facere, quantum in nobis est, & non dare occasionem hominibus malè de nobis iudicandi, & in nos peccandi ne etiam per hoc peccatis eorum dedisse occasionem inueniamur. Sed cum facimus quod debemus, & etiam informem de innocentia vel bona intentione nostra alij adhuc scandalizetur, murmurent, iudicant & contemnunt, peccatum eorum super illos venit, & nos de patientia coronabimur, quia non tenemur omnibus placere, nec debemus appetere, nisi quantum pro pace & charitate exigitur. Vnde Apostolus: *si hominibus placerem, id est, placere quærerem, Christi seruus non essem.*

*IESUS SUI REINDUTUS VESTIBUS CRUCEM BAIULAUIT, Articulus XLVI.*

**C**ondemnatum Dominum ad mortem, milites susceperunt & clamide & purpura exuerunt, & induerunt eum suis vestimentis. Ita Domini facies a lapidibus caesa: consputa, sanguine eruentata fuit, vt propria specie destituta, faciliter agnosci non posset. Idcirco vestibus proprijs eum reindui fecerunt Iudæi, vt ab omnibus agnosceretur, ad confundendum eum. Cogitate hic quàm humiliter benignus Dominus coram omnibus se purpura exiit, & nudus ac vulneribus plenus, stans ante oculos derisorum contemptu elisorum tortorumq; tunica sua se induit. Interim datum est signum, vt ante dixi, & per totam ciuitatem mox rumor percurrebat, quod damnatus esset Iesus, & iam iamq; educendus. Colligitur vndique populus, cuius tunc maxima multitudo ad diem festum, non solum Iudæorum sed & Gentilium confluerat expectans, & videre gestiens Dominum. Interim pessima verba sparguntur contra famam boni Iesu, sicut fieri solet contra damnatum, vbi omnes quærent causam dñationis, & Iudæi studiosè quicquid excogitare poterant ad infamandum Dominum, non omittent, & suam inuidiam zelo falso colorandam, non omittent. Quæ omnia Christus quietam occulta cordium intuetur, nouerat. Audientes autem hæc etiam pauci amici, maxime piissima mater eius dolorosissima, secabantur cordibus de tanta iniuria dulcissimi magistri ac Filij Dei. Produciunt interea mansuetissimus agnus baiulans super dorsum suum, maximam & longissimam crucem vt inquit Evangelistæ: *Et eduxerunt eum & crucifixerunt eum.*

VI  
21

quam crucem illi imposuerunt, quam nemo alius, praesertim Iudaeorum tangere voluit, ut maledictam. Fecerunt autem & hoc ad infamandum Dominum procurantibus Iudaeis, ut duo latrones simul cum Christo educerentur interficiendi, ut ipse quasi eorum socius crederetur fuisse in scelere, quibus iustus est in eductioe. Denique ut latronibus sceleratior aestimaretur, imposuerunt Domino suam portare crucem, & non latronibus ac si cum latronibus Domino mors non sufficeret infligenda, scilicet baiulatione crucis singulari, singularis culpa in eo puniretur. Habemus hoc loco exemplum admirandae & stupendae patientiae. Quid restat nobis, nisi ut sequamur illum, patiamurque cum illo. Sequamur illum per imitationem virtuosae conuersationis, sicut monet Ioannes in Epistola: Qui dicit se Christi esse debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Patiamur etiam cum illo quicquid ipse super nos vel malitia hominum, vel diaboli procurante, vel aliter qualitercunque venire permiserit, patienter ferentes. Omnia non secus, quam de manu eius suscipiamus, ad omne beneplacitum eius semper resignati. Ad hanc crucem inuitat nos Dominus dicens: *Quicumque vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.* Haec autem crux secundum Augustinum, quam post Christum ferre debemus, non lignum patibuli est, sed vitae iuxta virtutisque propositum. Tota igitur vita hominis Christiani, si secundum Euangelium viuat, crux est atque martyrium, quia consistit vel in sui afflictione & mortificatione, vel in alienorum malorum & iniuriarum persecutione. Vnde & Apostolus: *Quicumque volumus, inquit, participare in Christo, persecutionem patientur.* Et S. Gregorius, ferre contumelias, odientem se diligere, Martyrium (hoc est crux) est in occulta cogitatione. Religiosi tamen singulariter crucem professionis suae ieiunia, abstinentias, vigiliis, disciplinas, paupertatem, obedientiam, castitatem, &c. deuote & hilariter portare debent, non in angaria, id est, coacti & metu poenae, sicut Simon portauit post Iesum, vti iam sequitur.

Latrones duo cur cum Christo educi sunt.

Ioan. 8. Ioan. 2. Christum crucem suam ferentem vti sequi debemus.

Luc. 9. Augustin.

Vita tota Christiani hominis vti sit quadam conuicta crux. 1. Tim. 3. Gregorius.

Crucem quam religiosi portare debeant.

IESVS IN CALVARIAM CRUCIFIGENDUS EDUCITUR. Articulus XLVII

**E**T baiulans sibi crucem, exiit in eum, qui dicitur Caluarie locus: Hebraice Golgatha. Cum igitur dorsum suum sauciatum dulcissimus Iesus cruci supposuisset, qui praeter laborem, fatigationem & virium exhaustionem ex praecedentibus passionibus & poenis etiam liber ire vix poterat, curuus & depressus sub cruce incedebat. Nam trabs crucis humeris imposita, inaequalis aut nodosa (quia non curauerant eam dolare vel curiosè parare propter festinationem) propter incessum Christi tractum impulsam, &c. hinc inde agitata (quia posterior eius pars in terra trahebatur ad minus aliquanto tempore) vulnera pristina quae in flagellatione sustinuerat multa, inter scapulas in vnum vulnus conuassauit. O quantum dolorem Dominus Iesus sustinuit in isto itinere. Saepè in poenis & laboribus multis ambulauit, sed tale iter nunquam fecit. Vnde & deficientibus viribus, vlcèrius incedere non valebat. Nihilominus impij canes percutiebant eum malleis, trahebant funibus ac cathena (sicut à quibusdam scribitur, quam imposuerunt collo) trudebant hinc inde, & ad procedendum festinanter urgebant. Credendum est inter has

Ioan. 19.

Crucis baiulatio quam fuerit Christodoloreffissima.

erumnas

Corruisse  
Christum sub  
Cruce sa-  
gius.

erum nas sapius sub cruce corruisse, quia vestis longa erat, & manibus crucem tenebat. Calcando igitur vestem, & ipsius trahentibus, hinc inde impellentibus, iuuare se non poterat: sed in faciem cadebat (vt aliqui scribunt) ex naribus & ore cruenta id est, sanguinem emittens. Impijissimi tamen canes nullam faciebant misericordiam, nulla compassione mouebantur, sed quicquid excogitare poterant, iniuriosum, faciebant. *Excutes autem, cum ducerent illum, iuenerunt, & apprehenderunt hominem quendam Cyrenensem, nomine Simonem venientem de villa patrem Alexandri & Rufi. Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Hoc non compassionis affectu sed crudelitatis animo faciebant, sitientes mortem & sanguinem eius, vt citius ad interfectionis peruenirent locum. *Sequebatur autem illum turba multa populi & mulierum, quae plangebant & lamentabantur eum.* Omnes enim finem eius videre cupiebant, eo quod fama eius per vniuersam terram exierat: & propterea haec ignominia magis cor Iesu penetrabat. Sponte tamen haec omnia elegit. Varij autem affectus erant & studia eum sequentium. Alij ridebant, alij gaudebant, alij deridebant, alij improperebant & conuiciabantur. Alij lapides & lutum in eum proieciabant. Alij autem occulte amici, occulte dolebant: sed propter Iudaeorum metum non se manifestare audebant. Mulieres tamen, quae se continere minus poterant deuote plangebant & flebant. Inter quas nulli dubium, erat mater sua moestissima. O quid cogitare aut dicere poterat, videns Filium suum derelictum, adeo afflictum, vt vix agnoscere posset. Ipsa sola perfecte nouit, & pensauit laborem & dolorem eius: & Dominus Iesus etiam contra nouit dolorem & moestitiam matris. Vnde *ad omnes simul* (inter passiones suas) *conuersus ait. Nolite filia Hierusalem flere super me, id est, super mortem meam, sed super vos ipsas flere, & super filios vestros, hoc est, super peccata vestra, quae mihi occasio sunt patiendo. Quoniam ecce dies venient in quibus dicent: Beata steriles & ventres, qui non genuerunt, & vbera quae non lactauerunt, hoc praedixit de obditione & destructione Hierusalem in vltionem mortis Christi, tempore Titi & Vespasiani quando tanta fames fuit in ciuitate, vt matres proprios filios comederent. Et hoc complebitur magis ante diem extremum. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, cooperite nos. Quia si in viridi ligno, id est, in me, haec faciunt, in arido, id est, in peccatoribus, quid fiet: hoc est, si ego qui arbor sum sancta & lignum fructiferum, tanta patior, quanta patientur peccatores, qui ligna sunt arida, & ad nihil apta, nisi ad comburendum?*

Studia sequentium  
Christum  
portantem suam  
Cruce[m] fuisse  
diuersa.

Mariam sequentem  
Christum baiulantem  
cruce[m] suam.

Qualis virtutum nobis  
hic Christus praestiterit  
exemplar.

In omni molestia quid  
vobis agendum sit.

Ecce charissimi fratres, praestitit nobis hic pijsissimus Dominus maximum exemplum obedientiae, mansuetudinis & patientiae. Videtis quomodo non solum Patri obediens fuit vsque ad mortem, sed etiam tortoribus crudelissimis, immitibus canibus obediuit, permittens se duci & reduci de iudice ad iudicem, de loco ad locum, de poena ad poenam, de passione ad passionem, nunquam renitens, nunquam contradicens, cum tamen vno nutu potuisset terram mandare, vt omnes simul in momento suos absorberet infimos inimicos. In omni ergo molestia, in omni grauamine, in omni tentatione sumus memores, quid pro nobis Deus noster sustinuit, & dulcorabitur omne, quod alias esset molestum.

IESVS EXPOLIATUR SUI VESTIBUS. Articulus XLVIII.

Um tandem inter multos gemitus, inter multas poenas venisset Dominus Iesus ad montem qui vocatur Calvaria, quasi fatigato ex isto itinere, dederunt ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum. Bonum vinum aromaticum quod datum erat a bonis matronis Christo (sicuti semper solebat morte puniendis dari) ebiberunt nequam pessimi, & vinum acetosum cum felle Domino propinauerunt. Et cum gustasset noluit bibere, & non accepit. Deinde expoliaverunt eum vestimentis laneis: quae dum vulneribus cruentis agglutinata erant, violenter abstraxerunt, & omnia vulnera renouauerunt, cuius renouationis grauior erat dolor, quam primae inflictionis, Scabaturque Iesus sic nudo & lacero corpore, & crucis vulneribus, & roseo perfundebar sanguine. Cogitate vos verecundiam Domini nudi sic stantis, coram omni multitudine plebis. Cogitate quomodo tunica integra per caput extrahebatur super coronam, quae mota voluebatur & impingebatur, & nouis doloribus Domini indefinenter afficiebat. Aut, si forsitan deposita fuit ei de capite, usque dum extraheretur vestis, nihilominus in depositione, & reimpositione, denuo (ubi antiquis noua infligebatur vulnera) immensus & indicibilis dolor excitabatur. Scribitur a quibusdam: dum Dominus Iesus sic nudus stare, Maria mater eius, sciens eius verecundiam, & cognoscens beneplacitum, quod factura erat, retro accessit, & peplo cinxit eum circa pudensia. Nota hic paupertatem Domini Iesu, quod omnibus expoliatus, totus ab omnibus quae mundi sunt, alienus, nudus voluit crucifigi, vt nobis exemplum relinqueret voluntariae paupertatis. O fratres & filii, quae est paupertas nostra? vt nil nobis desit. Volumus omnia habere, non solum quibus indigemus, & quae sunt ad necessitatem, sed quaecunque concupiscimus, & quae sunt ad curiositatem, superfluitatem, & oculorum voluptatem. Sed hoc non est Christum imitari. Non oportet nos esse nudos: tamen multa nobis subtrahere possemus, in quibus nihil est, nisi concupiscentiae, & immortificatus amor. Verbi gratia: Alius vult habere coclear de argento vel de stanno, non est necessitas, quia multi etiam reges satis comedunt de ligno. Alius de tali nobiliori ligno &c. Quod totum nihil est, nisi curiosum. Alius mappam vel mantile de tali vel tali panno, floribus textum. Et hoc stulticia est, sufficit enim qualicumque pannus pro tergendis manibus. Alius cambire vult cultrum ob hoc duntaxat, quia concupiscit alium, qui manubrium vel capulum habet de sandalio vel buxo. Stulticia ecce qualis. Quid utilitatis, si sandalicum est, &c. Oportet in talibus frangere nos, & relinquere propter Christum.

Mat. h. 27.  
Marc. 15.  
Luc. 23

Marium  
Virginem  
Christi nuditatem texisse.

Nuditas & paupertas Christi ineffabilis, quid nos hic instruant.

Curiositas & superfluitas rerum qui nutantur.

IESVS IN CRUCE EXTENDITUR. Articulus XLIX.

Arata cruce, & nudato Domino dorso tenus truserunt eum super crucem, expandentemque brachia, manus & crura super crucem, dum foramina nimis distarent, extenderunt eum ita atrociter, vt omnia membra eius potius essent numerari. Reuelatum est cuidam deuotae personae scire curiositatem, quae maior poena fuisset Domini in eius passione, & dictum est illi, quod

Extensio Christi in cruce quam fuisse poenissimam.

QQ 2 quod

VI  
21

quod in hac extensione & tam gratum fore Domino, si in passionis, id est, extensionis eius memoriam vnum Pater noster diceret, ac si omnia membra eius vnguento suavissimo deliniret.

Documentum habemus hic ut pro gatiarum actione, sicut omnia membra nostra exhibuimus ad offensam Dei & teruitum diaboli, & sicut omnibus membris occasione passioni Christi dedimus (quia si non peccassemus, non opus illi fuisset pati pro nobis.) Ita omnia membra nostra offerre & extendere debemus in obsequium Christi. Ad hoc hortans Apostolus: *Obsecro, inquit, vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum id est, cum discretione, sine destructione corporis.* Vnde

Ioan. Caf.

& Ioannes Cassianus in collationibus Patrum docet, ut religiosa persone membrorum suorum primitias Deo offerant, hoc est, antequam ad aliquid extendant manus, os, pedes, primum illis Deum laudent geniculando, prosternendo, manus & oculos in caelum leuando, corpus ieiunijs, vigilijs, castitate afficiendo. Hoc est contra pigros, qui non libenter surgunt de lecto. Cogitate de Iesu Christi, quomodo iacet non molliter.

*IESVS CRUCIFIGITVR. Articulus L.*

Matth. 27.  
Marc. 15.  
Esaie 53.  
Crucifixio  
Iesu quomodo  
coactig-  
tit.

**I**ESVS extendendo crucifigitur, id est, crucifigendo extenditur, quemadmodum Euangelista subsequenter insinuat dicendo: *Ibi crucifixerunt eum. Tunc cum eo crucifigunt hinc & hinc duos latrones, vnum a dextris, & alium a sinistris: medium autem Iesum.* Et impleta est scriptura, quae dicit: *Et cum iniquis deputatus est.* Cogitate quantum doloris sustinuit Iesus, dum clauis (vt quidam sentiunt) obruti per palmas manuum & pedum, vbi nervi colliguntur, violenter impellebantur, adeo, vt secum cutem & carnes ad foramina traherent: de manibus & pedibus circa clauorum loca intumescens, pro eodem tempore sanguinis effluere gestiens, exire non poterat, donec cum cruce Iesus eleuaretur, & tunc laxatis membris vulneribusque ampliatis, quasi quatuor flumina decurrentia, crucem & terram rigabant. Monemur ex hoc articulo, cruci affligere carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs, clauis scilicet praeceptorum iustitiae, vt nunquam recedamus a Christo. Vnde & Apostolus dicit: *Christo confixus sum cruci.* Et S. Augustinus orat, se clauo charitatis configi, & affigi cruci inseparabiliter. Dauid etiam nominat timorem clauum, orans: *Confige inquit, timore tuo carnes meas.*

Cruci mysti-  
ce qui quomodo  
affligantur.  
Galat. 5. 6.  
Augustin.  
Psalm. 111.

*IESVS PRO CRUCIFIXORIBVS  
orant. Articulus LI.*

1. Pet. 2.

Luc. 23.  
Verbū Christi  
primum in  
cruce quantū  
fuerit chari-  
tatis & mis-  
ericordiae.

**I**nter omnes quas sustinuit iniurias piissimus Iesus, inter omnesque penas ad inimicos iniuriam tenuit charitatem, pro malis reddens bonam. Cum enim malediceretur, non maledixit, cum torqueretur, non se vindicauit: sed torroribus suis cordialissime compatiens, etiam apud Patrem excusauit orans pro eis, ac dicens: *Pater dimitte illis quia nesciunt, quid faciunt.* O qualis misericordia. O pietatis abyssum. Membra extenduntur, rumpuntur nervi, iuncturae & compages soluantur, manus & pedes clauis foduntur, blasphemiae irrogantur: & omnium adhuc iniuriarum immemor, quasi nullos sentiret dolores, ac si alius torqueretur, clamauit: *Pater dimitte illis. Quid discere possumus hic nobilius, quid videre magis eximium, quod*

imitari magis fructuosum, quam ut inimicis nostris compatiatur? quia se magis laudant, quam nos: imo nobis si volumus, ad patientiae coronam proficiunt. Oremus quae pro eis, non detrahendo, aut malum reddendo vindicemus nos: sed excusando, benefaciendo, nos humiliando vincamus & emolliamus malitiam eorum vel iram, ut simus filij Dei (sicut Christus verbo praedicauit, & exemplo semper monstrauit) qui solem suum oriiri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Erga inimicos suos quomodo quisque se habere debet. Matth. 5. Luca 6.

IESVS IN CRUCE LEVATUR.

Articulus LII.

Crucifixum Dominum, & sicut cordam extensum magnis clamoribus & tumultu in aera cum cruce eleuarunt, ut ab omnibus posset videri, ab omnibus subsannari. Scribitur autem à quibusdam, crucem fouez, seu foramini parato sic immisissam, ut in altum leuaretur, & incidere violenter, & impetuose permitteretur: ob hoc quae omnibus membris crucifixi Domini concussis, omnibus vulneribus & pœnis renouatis, & ampliatis sanguinem copiosius profluxisset.

Cogitare conuenit hic quantum dolorem Domino intulit crucipendens talis, dum tota moles corporis tribus duntaxat clauis sustentaretur, & sine refrigerio, sine doloris interpolatione, sine requie Dominus esset. Nam si manibus parcere voluisset pedes tanto maiorem ferebant dolorem, quanto vni durius clauo inniti oportuisset. Si pedibus releuamen praestare voluisset, manus tanto acriori distendebantur dolore, quae totam corporis molem duobus clauis haerentes, portabant. Nec etiam capiti vllam poterat praestare requiem spinis obsito, quocumque se vertebat, quocumque reclinabat spinæ motæ acrius pungebant. Itaque nullum refrigerium, sed continuus cruciatus Domino fuit. Accipiamus hic occasionem rogandi Dominum, & toto posse ad hoc nitamur, ut à terra, id est, à terrenis actibus cum Christo leuemur, ut tota cogitatio nostra, affectio, locutio, amor & conuersatio sit in cruce: imo in Christo, ut in vulneribus eius habitemus, quam alienati à corpore, & mundo mortui nihil sciamus, nisi Deum, nisi in quantum corporalis necessitas, obedientia vel fraterna charitas, mandant.

Pendens a Iesu in cruce quam fuerit ineffabiliter pœnosa.

Leuari cum Christo in cruce quomodo mystice debeamus.

IESVS INTER LATRONES MEDIUS

ponitur. Articulus LIII.

Crucifixi autem cum Domino Iesu etiam duos alios latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris: ut iam ante dictum est, medium autem Iesum, cupientes per hæc Domini innocentiam infamare, ut quia mortis causam non habebat, ex hoc saltem spectaculo, malis peior iudicaretur, & his quibus iunctus erat in supplicio, socius fuisse crederetur, & magister facinorosis: & ideo in medio quasi capitaneus & princeps latronum crucifixus est. Et impleta est scriptura, quae dicit: Et cum iniquis deputatus est. Docemur autem hic patientiam habere, si quid contra famam nostram quandoque machinantur mali homines, exemplo Christi. O quam longè fuit ipse à facto, cuius tamen infamiam sustinuit. Nos tamen nunquam à culpa iamunes iniuriam sustinemus, quia etsi hanc, quam sustinemus infamiam aut iniuriam,

Isaie 53. Famam nostram laesione quomodo cum Iesu patienter feramus.

QQ 3 non

VI

non ex ea, quæ nobis iniuste imponitur, culpa meruimus, tamen vel alia dignè incidimus: ideo nunquam sumus omnino innocentes.

*IESVS TITVLO FVIT SIGNA-  
tus. Articulus LIIII.*

Titulus cui  
cruci Iesu su-  
perpositus  
fuerit.

**M**OS fuit Romanis, damnatorum causam super crucem scribere, vt legerent prætereuntes. Hoc tamen forsitan non omnibus fiebat, sed malefactoribus insignibus. Vnde & super crucem Domini Iesu titulum, causam crucifixionis continentem poni petierunt, & obtinuerunt Iudæi, & non super latronum cum eo crucifixorum, in omnibus querentes infamari innocentissimum Dominum. *Scriptis autem & titulum Pilatus & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum legerunt multi Iudæorum: quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latine.* Scripsit ergo, inquit Euangelista, Pilatus, sed non sicut ipsi volebant titulum, & super crucem Domini Iesu poni fecit. Iesus de Nazareth rex Iudæorum. Iudæi legentes hunc titulum, ad sui confusionem iudicabant scriptum, (vt scilicet crucifixus esset, quia erat rex Iudæorum) ideo corrigere tentabant. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum, *Noli scribere, Rex Iudæorum*, id est, quod sit rex Iudæorum, vel ideo crucifixus sit, quia sit rex Iudæorum, quia hoc esset ei aliqua honor, & nobis confusio: Sed scribe, *quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum*, id est, quia se exhibuit regni inuasorem, & temerarie, cum non sit, regem se nominauit: ideo vt tyrannus crucifixus sit. Pilatus autem licet tituli mysterium nesciret, nec veritatem intelligeret, tamen Deo sic ordinante, & in corde nescientis disponente, mutare noluit, *Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi, id est, hoc ratum & fixum manebit, quia verum est, per hoc notatur diuinitus fuisse procuratum, vt talis titulus super caput eius poneretur, vt per hoc Iudæi agnoscerent, quod nec occidendo facere potuerunt vt eum regem non haberent.* Vnde iste titulus immutabilis fuit, non quia Pilatus scripsit, sed quia Dominus ipsemet dixit. *Rex sum Iudæorum. Et stabat populus expectans.* Documentum hic habemus, vt quantumcunque à diabolo visibiliter vel invisibiliter impugnamur, hunc titulum ei opponamus: quia eneruat vires eius, & ipsum permaximè fugat, vt habetur ex certis reuelationibus. Item hic discimus, quod non est consilium contra Deum, non est sapientia contra Dominum: quia licet multa facerent Iudæi, & quicquid possent, tentarent, vt non rex Iudæorum, vel Christus diceretur: Dominus Iesus: tamen vellet, nollet etiam à gentibus & à iudice confitebatur, & scribebatur rex Iudæorum, sicut verum fuit. Item hic discimus. Si quandoq; veritas impugnetur, & opprimatur ad tempus, tamen nouissimè & finaliter præualet & clarescit.

Tituli crucis  
Christi virtus  
quanta sit.

Pro. 21.  
Consilium  
diuinum per  
neruicem  
posse labefa-  
ctari sit.

Matth. 7.  
Marc. 15.  
Luc. 23.  
Ioan. 19.

*IESV VESTIMENTA PAR-*

*tiuntur. Articulus LV.*

**M**ILITES ergo cum crucifixissent eum, acceperunt, & diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes super eum, quis quid tolleret. Et fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem. Est ergo verborum sensus, quod quum milites crucifixissent Dominum, diuiserunt inter se vestimenta eius, facientes quatuor partes, cuiuslibet suam partem. Et tunicam, quam non diuiserunt, sed miserunt pro ea sortem, cuius esset futura: *quia inconfusus erat, more pauperum*

VI  
21

rum in Palestina, & ad modum chirotecarum, vel birretorum, vel cilicio-  
rum opere textili & reticulato facta. Hanc fecit Maria mater eius in infan-  
tia eius, quæ cum eo crevit: & de super contexta per totum, id est, ab extra de pan-  
no aliquo per totum aliquid fuit appositum, ad eam magis fortificandam,  
& conservandam. Dicit hoc loco D. Ioan. Chryl. Euangelista occultè vestis  
vilitatem insinuat. In Palestina enim erat quoddam genus vestium propter  
pauperes, ex multis pannis contextum, quasi vnus pannus super alium. Di-  
xerunt ergo scilicet milites ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa,  
tam sit, ut implere: ut scriptura, & quod dictum est per Prophetam, dicentem: Diuise-  
runt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem  
has fecerunt: Et sedentes seruabant eum. Documentum habemus hic vesterue-  
mus concordiam, vnitatem, & id ipsum velimus omnes, & non sint in no-  
bis scismata. Nam tunica Domini inconsutilis vnitatem Ecclesie seu cuius-  
cunque sanctæ congregationis significat. Ille ergo tunicam Domini scindit,  
qui dissensiones facit, discordias seminat.

**IESVS A PRÆTEREUNTIBVS ET**  
*Scribis est illusiu. Articulus LVII.*

**P**rætereuntes autem, blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah, Matth. 27.  
qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas, saluum fac te ipsum. Si Fi- Marc. 15.  
lius Dei es descende nunc de cruce. Similiter & Principes sacerdotum deridebant Lucæ 23.  
illum, illudentes ad alterutrum cum Scribis & Senioribus, & dicebant: Alios saluos Ioan. 19.  
facit, seipsum non potest saluum facere? Si rex Israel est, descendat nunc de cruce ut vi-  
deamus, & credamus ei. Se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Confidit in  
Deo, liberet eum nunc, si vult: Dixit enim quia Filius Dei sum. Illudebant autem ei &  
milites, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac. Fraudolenter, ut dicit  
Hieronymus, erant Iudæorum prædictæ promissiones, dicentium: descen-  
dat de cruce, &c. Maiora enim miracula fecerat: quia plus est mortuos de se-  
pulchro resurgere, quam viuum de cruce descendere. Christus autem mor-  
tuos plures suscitauit, & ipsemet de sepulchro tertia die resurrexit, nec ad-  
huc crediderunt ei. Potestis hic cogitare, quam iniuriosum sit vel cui libet  
morituro, vel ad mortem damnato illudere: quanto magis innocenti, &  
quam maximè Christo Filio Dei. Cogitate quam dolorosum & vulnerati-  
uum sit infirmo vel patienti, sibi in doloribus non credi, vel non compari  
(hoc enim quandoq; doloribus corporalibus plus affligit) quanto magis, si  
in doloribus etiam se consideret despici, vel iniuriari vel derideri? Maximè  
verò si ab his sit, quorum causa, vel pro quibus calamitatem vel dolorè su-  
stinet. Ad propositum: Christus Filius Dei innocens in se, ab his subsannaba-  
tur, blasphemabatur, &c. quibus corpus & animã dederat, & quos seruabat,  
pascibat, eorumq; infirmos curauit, predicauit, docuit, pro peccatis eorum, &  
pro salute eorum patiebatur, pro errore ipsorum & cæcitate Patrem paulo  
ante rogauerat, & adhuc illudunt & subsannant, persequentes eum lingua &  
manibus. Monemur hic propter obtrectantium, vel deridentium linguas, a  
cruce penitentia non recedere, & ab omni opere bono incepto non desiste-  
re, sicut Christus non descendit, sed ad mortem vsque in cruce perseverauit.

**IESVS AB ALTERO LATRONE BLASPHEMA-  
tus est, & ab altero confessus. Articulus LVIII.**

Marc. 5.  
Math. 7.  
Luce 4.

Improprie  
latronis qua  
fuerit Chri-  
sto graue.

Verbum  
Carissimi in cru-  
ce quanta  
fuerit benigni-  
tatis.  
Desperanda  
vni non fit de  
vilo peccato.  
In iuriam Dei  
nauis in 2-  
nimo patenti  
ferendum

**I**psum autem & latrones, qui crucifixi erant cum ea, improprie abant, & conuicia-  
bantur ei. Vnus autem ex his, qui pendebat, latronibus, blasphemabat eum dicens: Tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos, &c. Dum enim Scribae & alij, re-  
precedenti articulo commemorauimus, Domino illi essent blasphemian-  
tes, blasphemauit etiam sinister, qui cum eo pendebat, latro, dicens ad Iesum:  
Si tu es Christus saluum fac te ipsum & nos. Hoc improprium grauius fuit  
precedentibus, qui a vilissima, scelerata & damnata persona, videlicet a la-  
trone, mox pro suis sceleribus morituro. Respondens autem alter latro increpa-  
uit eum dicens: Neque tu times Deum, eo quod in eadem damnatione sis. Et nos quidem  
iuste. Na digna facti recepimus. Hic verò nil mali gesit. Et conuersus ad dicebat Iesum:  
Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus. Hic secundum  
verbum protulit Dominus in cruce. Amen dico tibi: hodie mecum eris in Para-  
diso. O quanta liberalitas, quanta benignitas, Domini Iesu ad vnum verbum  
tanto latroni pepercit, & plus quam periit, donauit. Instruimur hic bonam  
confidentiam habere in Deum, & in nullo peccato de eius misericordia des-  
perare, si modo peccasse dolemus & peccata, peccatorumque occasiones vitare  
proponimus. Item instruiamur hic, iniuriam Dei & contemptum nunquam  
sustinere, sed quo ad possumus reniti, exemplo dextri latronis, qui aduersus  
sinistram blasphemantem se opposuit.

*IESVS MATREM DISCIPULO  
suo commendauit. Artic. LVIII.*

Ioan. 19.

Compassio-  
nis doloro-  
sissimi ex bea-  
tissime Mariæ  
erga crucifi-  
xum filium  
causa que.  
Compassio-  
nis Christi  
erga matrem  
causa que.

Mulierem  
cur Christus  
vocari ma-  
trem  
Verbum Chri-  
sti in cruce  
quanta dul-  
cedinis & co-  
solationis.

**S**tabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha  
& Maria Magdalena, &c. Cum Iesus pendens in cruce vidisset matrem  
suam stantem sub cruce, matrem singularem, & præ cæteris matribus  
etiam naturaliter plus filium diligentem, eo quod ei, quicquid de natura  
nostra habuit, ipsa sola sine viro eidem donauit: Sed & spiritualiter magis  
amantem, quia mater Dei, & charitate plenissima fuit. Cum ergo hanc vi-  
disset Iesus, commota sunt omnia viscera eius super matre dilectissima, sibi-  
lissima, & compatiensissima, cuius animam & maternum cor gladius com-  
passionis transuerberauit. Compaciebatur enim compatiens sibi. Sciebat  
namque ipse angustias materni cordis. Nouerat etiam dolorem omnem  
eius, & quod dolores, quos in sua parturitione non senserat, nunc gemina-  
bantur in eius passione. Vnde & ipse geminum passus est dolorem: suum vi-  
delicet & maternum, id est, crucis & matris. Dixit ergo, cum eam vidisset,  
& discipulum quem diligebat, matri innuens cum capite de discipulo. *Mulier  
ecce Filius tuus.* Non dixit mater, ne si blandus loqueretur, cor eius præ-  
moris & doloris vehementia scinderetur. Deinde dicit discipulo. *Ecce mater  
tua.* Et in hoc verbo consolationem habemus non modicam, quia non so-  
lum Ioanni, sed & cuiilibet nostrum in persona Ioannis dictum est de Ma-  
ria: *Ecce mater tua.* S. Maria deprehensa es, non potes te negare matrem.  
Habebis nos, proteges nos, iuabis nos, & merito tuo saluabis nos. *Et ex illa  
hora accepit eam discipulus in sua.* O fratres, clamemus ad eam quocumque die. Mon-  
stra te esse matrem. Sed proh dolor, ipsa reclamare potest: *Monstra te esse fi-  
lium.* Ipsa quidem se monstrat semper esse matrem, sed nos operibus no-  
stris abnegamus eius nos esse filios.

IESVS

IN PASSIONEM DOMINI.  
IESVM SOL OBSCVRATUS CONFI-  
setur. *Articulus LIX.*

333

**C**rucifixo igitur Domino à sexta hora, quæ nobiscum est à duodecima  
usque ad horam nonam, quæ est apud nos tertia post meridiem, factæ sunt  
tenebre non naturales, sed miraculosæ, super vniuersam terram. & con-  
tra consuetudinem naturalis cursus, obscuratus est sol, cupiens attestari suo  
creatori, & quasi compatiens, noluit lumen in passionem eius præbere. Dis-  
camus hic quantam nos compassionem ei debemus impendere, quando tan-  
tam irrationabilia ei exhibuerunt.

Matth. 27.  
Marc. 15.

Compassio-  
nem quanti  
exhibere  
Christo o-  
portet.

Hora nona hic incipit, continens in se  
Articulos sex.

IESVS DERELICTVM SE CLA-  
mauit. *Articulus LX.*

**E**t circa horam nonam, crescentibus in Christo semper doloribus, & ipse  
nullam inueniens consolationem, nec locum quo caput spinosum recl-  
clinaret. Cum etiam sensualitas nullam consolationem, aut refrige-  
rium acciperet à diuinitate, & humanitate sic in sua naturali infirmitate re-  
licta, suspensâq; omni gaudiorum redundancia à superiori rationis portio-  
ne in sensualitatem clamauit Iesus ad Patrem voce magna dicens: *Eli, Eli, lama-  
saba ni hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Non est intelligen-  
dum quod diuinitas humanitatem deseruerit, vel ab ea separata fuerit. De-  
um enim, quem inuocabat, semper secum habebat, quia nunquam desinebat  
esse Deus, siue anima coniuncta corpori esset, siue separata. Sed loquitur hic  
humanitas, vt suæ pœnæ ostenderet magnitudinem. Ira enim grauiter dolo-  
ret, ac si non Dei Filius, sed inimicus esset. Et ideo penitus videbatur dereli-  
ctus, nullum iuuamen recipiens ab eo. Multi quippe Martyres, multa & ar-  
dua sustinuerunt: omnibus tamen aliquid consolationis, & refrigerium a-  
liquod ministrabatur, vt possent tolerare. Et in quibusdam adeo abundabat  
diuina consolatio, vt immania tormenta pro nihilo ducerent, & non in pœ-  
nis, sed in delicijs esse viderentur. Christum verò Pater cælestis totaliter  
dolori subiecerat, vt doleret quantum dolere poterat, non leuius sentiens,  
propter hoc, quod Deus erat. Indicauit autem per hunc clamorem, maximâ  
sui doloris acerbicatem, & multitudinem. Patiebatur namque exterius in  
toto corpore, in omnibus membris ex omni parte sensuum, ex omni genere  
tormentorum. Intus verò propter maternam compassionem, quæ omnes  
Christi dolores in se transformauerat, & cuncta, quæ filius patiebatur ab ex-  
trin in carne, ipsa patiebatur in mente. Quæ compassio erat excedens omnium  
Martyrum sustinentiam. Item propter discipulorum lapsum, qui omnes à  
fide exciderant, Propter Iudæorum item execrationem, & obstinationem: pro-  
pter etiam sui preciosissimi sanguinis & passionis frustrationem, siue perditio-  
nem in tam multis & ingratis quod excedebat omnem dolorē. Propter hæc  
omnia Christus ineffabiliter patiebatur. Hæc autem verba Christi prædicta  
non fuerunt querulationis, sed orationis verba. Vnde & hic nos erudimur,  
in tribulationibus derelicti ad Deum confugere, & omni humano solatio  
destitu-

Matth. 27.  
Marc. 15.

Psalm. 22.

Verbum 4.  
Christus hu-  
manam sui  
in cruce mô-  
strauit dereli-  
ctionem in  
pœnis.  
Martyrum  
consolatio  
in pœnis va-  
de fuerit.

Christus in  
quibus patie-  
batur pedens  
in cruce.

Mariæ com-  
passio erga  
Christum quæ  
fuerit.

Constitutis  
in afflictione  
& delatio-

RR delitu-

ne humanæ  
consolatio-  
nis quid a-  
gendum.  
Iuditha 13.

destituti, auxilium diuinum querere, per humilem orationem, & firmam confidentiam. Esti etiam sensibiliter auxilium non percipimus diuinum, longanimitate expectare, & Domini Iesu derelictionem cogitare. Nunquam tamen eos deserit, sperantes in se tametsi dissimulare ad exercitationem nostram, videatur nec aliquando non audit. Nam est, quod petimus, non eo quo petimus, tamen congruentiori modo, vel idem vel aliud melius tribuet.

IESVS SITIENS ACETO POTATUR. *Articulus LXI.*

Matth. 27.  
Marc. 15.

Siris Iesu in  
cruce qualis  
fuerit.

Verbi Christi

in V. in cruce

quanti fuerit

desiderij in-

dicium ho-

minum sal-

uandorum.

Matth. 27.

Marc. 15.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Christum his

potatum in

sua passione.

Matth. 27.

Marc. 15.

Ioan. 19.

Paupertas  
Christi in  
cruce quanta  
fuerit

Aceto & sel-  
le cur Chri-  
stus potatus  
fuerit.

Cenam su-  
am ultimam

**C**VM, vt in precedenti articulo commemoratum est, clamasset Iesus Eli, &c. quidam de circumstantibus illuc, non intelligentes vocem: ducebant. *Ecce Heliam vocat iste.* Putabant enim, quod Heliam pro sui liberatione inuocaret. posse a sciens Iesu, quia iam omnia consummata sunt, dixit, Sitis. Sitiebat Iesus, id est, maximè æstuabat desiderio salutis nostræ. Sitiebat, id est, desiderabat, vt nos fontem viuum cælestis gratiæ sitiiremus. Et quamquam ista sitis spiritualiter intelligatur de ingenti amore & desiderio, quæ habuit ad salutandos nos: verè tamen etiam corporaliter sieiebat Christus maxime. Nam propter sanguinis effluentionem nimij, & humorum exiccationem et precedentibus pœnis, torus aruit. Vnde siti asperissima fatigatus, dixit: Sitis. *Vas ergo positum erat aceto plenum. Et milites accedentes, & spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, acetum obtulerunt ori eius. Et continuo currens vnus eorum, accepit spongiam, impleuit aceto, & imposuit arundini. & dabat ei bibere, dicens: Sinite: Videamus si veniat Helias ad deponendum eum.* Obiter hic notandum venit, quod bis potatus fuit Christus in sua passione. Primo, secundum Mattheum & Marcum, hora sexta, antequam scilicet crucifigeretur, quando dabant ei myrrhatum vinum cum felle mixtum bibere. De quo secundum Mattheum, gustauit, sed bibere noluit. Secundo, iuxta omnes Euangelistas, hora nona, quando pependit in cruce, cum dederunt ei ex vase pleno aceto, in arundinis calamo cum spongia acetum hyssopo circumponentes ad bibendum: quod, secundum Ioannem, accepit: & statim subiunxit: *Consummata sunt.* Hanc duplicem potationem, multi Dominicam passionem tractantes, inadvertenter tangunt quasi vnam, non bene considerantes sacram historiam passionis. Ecce filij charissimi, quomodo potentissimus cæli & terræ creator, cuius sunt omnia, & à quo omnia, tanta paupertate moritur, vt nec guttur aquæ habeat. Ecce misericordissimus pro salute totius mundi patiens, non tantam misericordiam consequitur, vt potum aquæ quis ei porrigat: sed acetum felleum, vt & siti non careat, & tamen gustum illi amaricet. Volebant impijissimi filij diaboli ex vno duplicare tormentum. Sitiebat, audiunt, & refrigerare ipsum nolunt, sed potius amaritudine, quem sumere nequiret, affligere: Ideo acetum & fel propinant. Sciens autem Iesus quid propinaretur sibi, cum vitare omnino potuisset, id est, non gustasse, tamen & ipse nihil nimium sibi existimans, quod pro nostra salute, & nostri amore faceret, amaritudinis poculum ita non recusauit, vt gustaret, quod sufficiebat ad gestum cruciandum, & non acciperet, id est, non traiceret, hoc est, ne sitim extingueret. (Potuisset enim vel amaro poculo sitim extinxisse, sed vitareque voluit, scilicet, & sitim tolerare, & amaritudinem gustui inferre. O fratres filij dei)

Uigilante charissimi, hæc est vltima cena, quam Dominus de hoc mundo transiens, accepit. Simus huius memores, quotiescunque gula nos tentat, quotiescunque abstinentia onerosa videtur, quotiescunque ieiunium gravare videtur. Reuocemus tunc ad mentem fel & acetum, quod Dominus gustauit, & aliud pro siti sua non habuit, & delicatum cibum & potum horrebimus. Quomodo non erubescendum est nobis, quia ori nostro ac lingua nostræ nihil negare volumus? Quærimus aut paramus quicquid sensualitas concupiscit delicatum vel inordinatum, cum Dominus noster in cruce pro nobis moriens ieiunauit & maxime sitiens, fel & acetum pro sua vltima valedictione gustauit. Est ne æquum, vt ipse pro nobis ploret, & nos rideamus? vt ipse in cruce tribus clavis sustentetur vndiq; vulneratus, sine vlla requie alicuius membri, & nos dormire velimus, & delectationes quærere vsque ad satiætem? Ipse fel gustat & acetum, non habens guttam aquæ in siti sua, & nos tam studiosè quærimus, quod bene sapiat, & bibimus ad genarum vsque colorationem? Bibimus, quod alij sobrij nos odore percipiunt antequam vident. Oh non sumus huius regis milites, qui in cruce mortuus est. Ipsi autem, scilicet delicati & bibuli non sunt, de quibus dicit Apostolus: Qui carnem suam cum concupiscencijs crucifixerunt: de quorum paupertate, abstinencia, & patientia, sensuum mortificatione in libris legimus, ocula verò vt videamus, nescio vbi quærere debemus. Et de his satis.

quam sumptuosis Christis amarissimam. Ex cena vltima Christi amarissima quid dicerentur.

Galat. 5.

**IESVS CONSUMMATVM EST, CLA.**  
manit. *Articulus LXII.*

**C**VM omnia in Christo completa essent, quæ de ipso scripta erant in lege, Prophetis & Psalmis, & nihil restaret, nisi mori, cum accepisset a-  
ctum, dixit: *Consummatum est.* Dicendo autem hæc verba, intelligitur Christus omnes præcedentes passiones & poenas, in spiritu quasi ad vnam summam collegisse, & Deo Patri obtulisse pro humani generis salute. Ita etiam nos debemus in fine orationum nostrarum, & operum nostrorum bonorum, omnia simul, scilicet intentionem, studium, laborem, & opus, & omnia Deo offerre. Cui vt magis placeant, in vnione operum & meritorum Christi debemus illi præsentare, vt edocta est sancta Mechthildis à Domino.

Ioan. 19. verbo suo & in cruce quid Christus indicaret. Intentio bonorum operum exercitiorum quomodo spectanda.

**IESVS CLAMORE VALIDO EXPL.**  
rauit. *Articulus LXIII.*

**D**VM Dominus Iesus omnia propter quæ venerat, consummasset, & iniunctam sibi à Patre obedientiam perfecisset, appropinquans morti, & venis iam ex sanguinis effusione exhaustis, viribus corporis vndiq; deficientibus, cepit oculos languescens deprimere, & facie pallescere. Et quia in sua potestate habebat ponendi animam suam, nec quisquam ei tollere poterat, sed quando ipse volebat ponebat: cum adesset hora, quam ab initio præfixerat, caput suum versus matrem modice inclinavit, quasi vltimum aue vel vale ei impendens, & doloribus plenis, in quæ angustijs mortis constitutus, hoc signo matri, ac si corpus suum laceratum, & tam crudeliter vndique per fessum ac dissipatum, commendaret, innuit rursusq; erigens

Iesus quomodo se disposuerit ad mortem. Ioan. 19.

RR 2 erigens

VI  
31

erigens se, Patri quē se commendans, & clamans voce magna, valido clamore, dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hac dicens, rursus inclinat capite emisit spiritum & expirauit.

PATER NOSTER.

**E**cce charissimi filij, totam passionis Dominicę seriem vsque ad hunc articulū audistis, quomodo Dominus noster Iesus Christus post multos labores, multas fatigationes, multas passiones, multas penas, multa opprobria, multa vulnera, multa itinera peracta, post crucem denique & omnem pœnē sanguinis sui effusionem, cum sibi placebat, aduocans mortem, clamore validissimo, tradidit spiritum. Adeo autem validus fuit clamor iste, vt ad infernum vsque auditus cælum & terram tremere fecerit. Vnde non naturalem sed miraculosam, id est, nō omnibus communem, sed Christo propriam constat fuisse vocem, hanc quia homo longa passione afflictus omnibusque viribus destitutus, & morti ex talibus cruciatibus victus, naturaliter anima egrediente, non sic posset clamare, sed id factum est hic sola diuina, quę in Christo erat virtute. Admonemur autem hic primo, vt studeamus commori Christo, id est, mori mundo, vitijs & peccatis, id est, non permittamus ea in nobis viuere, si cum Christo volumus viuere. Secundo dicit hic quisquis Christianus es, mori, dum viuus. Iam enim tibi de morte cogitandum est, dum sanus es. Curandum tibi est, ne inueniatur in te propter quod mori formides. Si enim mori formidas, teipsum interroga. Scrutare, quid in te sit, quare mori formides. Si amor alicuius rei, quę Deus non est, vel aliud in causa est, quare mori metuis, illam abijcias à te, teipsum libera facito à causa huius timoris: & in hunc statum mentis teipsum conuerso, quo non formides mori. Tertio, iam in vita, dum sanus es, sepius præmeditare mortem, ne mors vnquam inopinata tibi aduenire possit, quin semper inueniaris paratus. Nunquam in eo statu perseueres, nunquam dormire præsumas in eo statu quo non audeas mori. Dum sanus es Deum inuoca, pro sana felicitę morte Deum ora, offerens eidem passionem suam pro peccatis tuis, & præcipuē illius preciosissimam, grauissimamque mortem, vt cum ad illam horam, qua exeundum est, veneris, assuetus sis doctusque ad Deum te conuertere, Deum inuocare, teque illi in eius manus offerre.

Clamor Christi expirantis quous validus fuerit.

Mori cum Christo qui debeamus.

Mortis formido vnde veniat.

Parare qui quisque se debeat ad mortem.

Matth. 27. Marc. 15. Luc. 3. Ioan. 19.

IESV MORTEM CREATURÆ IRRATIONABILES PLANGUNT. Articulus LXIV.

**M**ortuo Christo, apparuerunt multa miracula, testantia diuinitatem, & iniustam Christi occisionem. Nam, ecce velum templi scissum est, motum in duas partes à summo vsque deorsum, petra scissa sunt: Terra mota est & monumenta aperta sunt. Et multa sanctorum corpora qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, confiterentur Iesum, viso terra motu, & his quę fiebant, & quia sic clamans, expirasset, timuerunt valde dicentes: Verē hic homo Filius Dei: & iustus erat. Et omnis turba eorum, qui aderant ad spectaculum istud, & videbant quę fiebant, percussentes pectora sua, reuertebantur. Stabant autem noti eius à longē. Et erant ibi multos,

VI  
21

res, quæ sequuntur eum erant à Galilæa ministrantes ei, de longè hæc aspicientes: Inter quas erant Maria Magdalena, & Maria Jacobi minoris, & Ioseph mater, & Salomæ, & mater filiorum Zebedæi, & alia multe mulieres, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. Hæc omnia debent nobis esse ad timorem, compunctionem, & ad compassionem quia nos omnium malorum horum rei, & causa sumus, quia vt S. Bernardus dicit, qui Christo non compatitur, qui ad clamorem eius non mouetur, durior est petra, terra obscurior, sepulchro fetidior.

vti quisque Christo morienti compati & commori debeat.

IESVS LATUS MUCRONE TRANS-  
fixum est. Articulus LXXV.

Quia parasceue erat, id est, sexta feria ante magnum sabbatum, quod solemniissimum festum erat Iudeorum, vt non remaneret in cruce corpora abbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Iudei Pilatum vt eorum scilicet crucifixorum, quia adhuc viuebant aliqui, scilicet latrones crucifragarentur ne euadere possent & de cruce tollerentur, quia prohibitum erat eis in lege, suspensos in ligno permanere vsque mane, scilicet alterius diei, ne pollueretur terra. Et vt hoc seruaretur, conscienciosi erant illi hypocritæ sicut circa alia minima: circa magna verò cæci erant, scilicet quod iustum & Dei Filium occidissent, non considerabant. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregērunt crura, & alterius qui crucifixus erat cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregērunt eius crura, sed vno iustum lancea latus eius aperuit: & continuo exiit sanguis, & aqua. Naturalis hic sanguis & verus, & aqua vera fuerunt: sed effluxio non fuit naturalis quia sanguis congelatur statim post mortem sed miraculosa, licet autem Iesus huius vulneris non sentiret dolorem, pertulit tamen ignominiam & iniuriam. Ipse quidem vulnus in corpore sed beata Maria vulneris dolorem accepit in mente. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleteretur. Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Hoc autem Christi vulnus adeo fuit magnum, vt post Christi resurrectionem Thomas Apostolus manum imposuerit. Quod autem sanguis & aqua effluerunt, significat duo Sacramenta Eucharistiæ, scilicet & baptismatis, per idem vulnus, sicut per ostium vitæ nobis emanasse. Recepit autem Christus hac perfossione atque lateris suis apertione, & grande & profundum vulnus. Et apud deuotissimos quoque pro constanti habet cor Christi lanceam militis tetigisse, ac vulnerasse. Voluit enim Christus in maximæ suæ charitatis indicium suum nobis cor aperire, vt cuncta quæ passus pro nobis fuerat, ex huius cordis amore intelligeremus prodijisse. Visis igitur doloribus Iesu externis, corporalibus & afflictius, postremo voluit, vt misericordissimi, fidelissimi amantissimiq; cordis sui perspiceremus & amorem, qui ad vniuersa se quæcumque pro nobis egit, quæcumque pro nobis passus est, quæcumque denique nobis est largitus, impulerat. Voluit præterea nobis cor suum aperire, vt in tentatione refugium, in mæstitia solatium, in persecutione protectio, in aduersitate securitas, vt ignorantibus instructio, amantibus suauitas atque

Deut. 21.

Exod. 12.  
Zecha. 12.  
Lucæ 14.  
Ioan. 19.  
Sacramenta quæcumque effluerint ex latere Christi.

Cor Christi hæc fossione fuisse transfusum.

Cor suum car Christus transigi voluit.

RR 3 (vt simul

Miles hic  
fuerit, quo  
m. dug; & ec  
cit; e fuerit  
liberatus.

Valeat huius  
fructus  
quis esse  
debeat.

Lancea cha-  
ritatis vt cor-  
da nostra  
transfigat.

(vt simul omnia dicam) quibuscumque introcubitibus in illud saluberrimum cordis vulnus gaudium, salus, aeternaque esset felicitas. Iste autem miles inter longinus fuisse, habuisseque debilem visum seu in oculis dolorem: guram quoque Dominici sanguinis vnam de latere Christi fluentis, ad eius foras peruenisse oculos, qua fuerit sanatus. Hic conuersus postea, fidelium factus est Episcopus. Hoc ergo vulnus porta est paradisi, ianua vitae, fons gratiae. Illic debet esse habitaculum animae nostrae, munitio nostra & salus nostra. In omni tentatione, antequam praeliari incipiamus, illuc fugiamus, & inde pugnemus, quia extra hoc vulnus nullam victoriam sperare debemus, & tentatores & inimici non audent castrum illud inuadere. Item hic monemur vt indefinenter corda nostra rogemus lancea charitatis perfodi amore diuino vulnerari vt poenitentiae & amoris lachrymae nobis iugiter fluant. Quandoquidem iam, quantum diuina gratia adiuuante portui passionem Domini nostri Iesu Christi in sexagintaquinque articulos distinctam, quem admodum in huius tractatus praefatione quoque praefatus sum vtrunque explicauerim: restant tamen aliquot adhuc articuli, qui à deuotis hominibus solent historiae passionis Dominicae annumerari: videlicet tres pro vespere secundis. Item duo pro secundo Completorio, sicut ex integro supputantur Articuli septuaginta, quos in multorum gratiam huic loco adiungere necessarium duxi.

Vesperae secundae hic incipiunt, quae habent Articulos tres.

*IESVS DEPONITUR DE CRUCE*  
Articulus LXVI.

Matth. 17.  
Marc. 15.  
Luc. 23.  
Ioan. 19.

Luc. 23.  
Ioan. 19.

Ioan. 2.  
Ioan. 9.

Marc. 15.

**P**ost haec autem (vt inquit Euangelista) cum iam sero factum esset, quia parasceue erat, quod est ante sabbatum, ecce venit quidam homo diues ab Arimathea cuius nomen Ioseph, nobilis decurio, vir bonus & iustus: qui & ipse discipulus erat Iesu (occultus tamen propter metum Iudaorum) & expectans regnum Dei. Magna commendatio viri huius. Iustum enim & virtutibus decoratum decuit esse, qui omnis boni initium & fontem, manibus suis contrectare deberet. Vnde Beda inquit: Magnae quidem Ioseph iste dignitatis apud saeculum, sed maioris apud Deum meriti fuisse laudatur: vt & per iustitiam meritum sepeliendo corpore Dominico dignus foret, & per nobilitatem potentiae saecularis, idem corpus accipere posset. Hic non conseruat concilio & actibus eorum, & audaciter accessit ad Pilatum, & petijt, vt tolleretur corpus Iesu. Secundum leges Imperiales, non poterant deponi de cruce aut sepeliri corpora damnatorum. Hic Ioseph quamuis esset discipulus Iesu, ante mortem tamen eius non audebat publice confiteri eum, ne extra synagogam eijceretur. Dederant enim Iudaei mandatum vt si quis confiteretur Christum extra synagogam fieret. At contempto nunc illorum mandato, Ioseph morte & sanguine Christi confortatus, nihil timuit, sed palam ad Pilatum accedens, corpus Iesu de cruce deponere petijt: & quod petijt sine aliqua difficultate obtinuit. Pilatus autem mirabatur, si iam obisset tam cito. Ex hoc loco conijcitur multa à militibus in Iesum fuisse tentata, quae non iubente Pilato,

VI  
11

Pilato, sed Indæis procurantibus, & milites pecunia corrumpentibus, Christo inflata sunt. Nam si Pilatus sciuisset quanta sustinisset Christus, nequaquam miraretur, tam cito obiisse Christum: imo potius miraretur quomodo tam diu viuere potuisset. Putant enim quidam, nequaquam voluntati Pilati factum, ut Christus clavis cruci affigeretur, sed funibus pro mitigatione legis voluerit eum ligno alligari. Sequitur. *Et accessit Centurione, interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, permisit Pilato & donauit corpus, & misit reddi Ioseph, cum propter potentis reuerentiam, (quia vir diues & iustus erat) tum propter Christi innocentiam sibi notam, quia plurima in morte eius facta miracula audierat. Huius ergo viri imitemur deuotionem, imitemur fidem, imitemur & reuerentiam, quam sacro corpori Iesu exhibuit, ut sicut ipse dignus inuentus est Christi corpus de cruce deponere, ita & nos dignè Christum de sacro altari deponere, hoc est, suscipere mereamur. Perinde esim, imo & plus est Christi corpus sumere de ara altaris, quàm de ara crucis. Nam ille accepit eum in brachijs & manibus, sed isti accipiunt eum in ore & cordibus. Deinde magno cum timore ac summa reuerentia Christum de cruce deponere debemus cum hoc sancto viro Ioseph, ac sacra & Christi vulnera maximo cum dolore cordis cōtrectare, cogitantes propter nostra scelera & grauissima peccata hæc illi iniuste afflicta, & grauius infligenda, si quod absit, nostram prauam vitã non corrigamus. Nam quamdiu peccator in peccatis perseverat, Christum in cruce distentũ dilaniat & crucifigit, eò quod peccata nostra in causã sunt, quod Christus crucifixus est. At mox ubi per poenitentiam ad Deum conuertimur, ipsum de cruce soluit & deponit, & inter brachia sua recipit, sicut fecit Ioseph, qui in deponendo Iesum de cruce inter brachia sua, eum complexabatur. Huiusmodi nanque peccatori conuerso paratus est Deus omnem indulgere offensam, nec vnquam sua illi improperebit peccata modo non ad vomitum (ut quorundam heu ingratorum moris est) reuertatur. Quod si fecerit, dabitium non est, quin maiorem sibi iniusto Dei iudicio acquirat damnationem. Docemur postremo in hoc Articulo, ne quorundam impiorum sic maleuolorum hominum suasionibus falsis de cruce poenitentiam semet pro laude Dei assumpta, descendamus, sed laborem rigoremq; disciplinæ, ac mortificationem veteris hominis sustinere, donec aut post mortem naturalem à Deo, aut post spiritualem, puta iam emortuo mundo, & nobis ipsis, a sanctorum iudicio & manibus, hoc est, Dei amicorum, deponamur.*

Crucifigi  
quoniam modo  
voluerit  
Pilatus Christi-  
sum.

Corpus Christi  
si quoniam  
de cruce mystice  
deponatur.

Vulnera  
Christi quàm  
mystice tractentur.

Prover. 26.  
1. Pet. 2.

IESVS SYNDONE INVOLVITVR.  
Articulus LXVII.

Concesso autem iam sacro Iesu corpore Ioseph, properauit festinus ad locum crucifixionis, secum portans necessaria, ad deponendum Dominum, instrumenta, & mixtus syndonem, venit, & tulit corpus Iesu. Et deponens eum, accepit corpore, inuoluit deponens illud in syndone munda. Syndonem ista sunt pannus lineus, candens & mundus, & designat Christi innocentiam, & liliosam castitatem, ac puritatem, ut qui rubricatus fuerat sanguine passionis, candidaretur syndone innocentissimæ castitatis. *Veni autem*

Mate. 26.  
Ioan. 19.  
Math. 27.  
Syndon quid  
mystice significet.

RR. 4 & Nicæ.



Ioan. 19.  
Ioan. 9.

*Et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte prima, ferens mixturam myrrhae & aloes, quasi libras centum. Iste Nicodemus sicut & Ioseph oculus erat Domini Iesu ante passionem discipulus, nec audebat se propter metum Iudeorum, manifestare, ne extra synagogam expelleretur. Verum, qui non audebat confiteri viuente, nunc non solum confitetur, sed obsequium etiam praestabat defuncto. Est quidem haec laudabilis viri confessio, & omnibus modis commendanda, sed adhuc magnum quid ipsi defuisse videtur. Quid est hoc? Vera de Christi resurrectione fides. Nam attulit secum myrrham & aloes: quasi corpus eius muniri indigeret a putredine, cum tamen de eo scriptum sit: *Non dabo sanctum tuum videre corruptionem.* Hoc unguento Iudeis mos erat corpora defunctorum sepelire, quia hanc habet virtutem, ut vermes a corporibus arceat, ne ea corrumpi sua amaritudine sinat. Hinc est, quod putabat Christi corpus hac unctioe custodiri oportere, ne in cineres redigeretur. *Acciperunt ergo corpus Iesu,* scilicet de cruce. Ante omnia tamen adorantes Christum, maximamque illi exhibentes reuerentiam ac venerationem, ut vero Deo.*

Psalm. 75.  
Aclor. 2.

Ioan. 19.

Mariae virginis etiam corpus Christi acuoito quoniam. Genes. 4.

Lucas 7.  
Mariae Magdalene erga Christum corpus pietas.

Syndone munda Christus quinam myrrice inuoluitur.

Deinde Mariam ut veram Dei matrem alloquuntur, & ex ordine causam sui aduentus exponunt. Tunc illa cognita quod ad deponendum dilectum Filium suum venissent, quasi ex graui somno euigilans, reuixit spiritus eius, & blandè ac dulciter alloquuta est eos, benedictionem eis dans, & quocumque poterat auxilium, & concilium impendebat eis, donec Christo de cruce deposito, in suum eum gremium reciperat, & pro voto suo omnia ipsius sanguine rubricata vulnera oscularetur Magdalena autem secus pedes Domini sui sedebat, ubi quondam gratiam inuenerat, plorans, ac alta ducens suspiria. Sequitur: *Et ligauerunt illud in linteis cum aromatibus, sicut est mos Iudeis sepelire, ne scilicet (ut dixi) putresceret.* Hoc in loco magno nobis studio agendum est, ne immundi coram oculis Domini appareamus, nec conscientia immunda Christum gloriae recipiamus, nec vacui, hoc est, verarum virtutum expertes a Christo inueniamur, admoniti huius deuotissimi viri Nicodemi exemplo, qui in mundissima syndone, Christi corpus inuoluit, condicens illud cum aromatibus myrrhae & aloes. Vnde si dignè voluerimus Christum recipere, necessarium nobis fuerit praeter omnibus cordis puritatem studere. Felix namque talis est anima, quae se incorruptam ac puram Domino Deo suo seruat.

IESVS A MATRE ET AMICIS suis plangitur. LXVIII.

Zachar. 11.

**H**IC modò considera, quam flebile fuerit videre Christum gloriae de cruce deponi, clauos durissimos ex sacris manibus & pedibus extrahi, syndone more mortalium sacrum corpus suum inuolui. Deinde meditare, quam flebilis mox sit exortus piissimae matris, piarum mulierum, caeterorumque Domini Iesu amicorum ibi praesentium, plangens, intuentium Christi corpus adeo factum indecorum, adeo vulneribus sauciaturum, adeo luidum & cruore oblitum, ut hominis nullam haberet speciem. Quem plangens Propheta longè ante intuens, ait: *In illa die erit plangens magnus in Hierosolymis.* Quis quæso non plangeret, quis a lachrymis se contineret, tam tristem & lugubre contuens spectaculum? Pia namque mater suum natum in gremio tenens

genens consolari super morte eius non poterat, ramque vbertim lachrymas fundebat, vt ipsa quoque sacrata vulnera Filij tui perfundere & rigare videretur. Et credo si coram eam intuitus esses, putassem haud dubie, quod eius caro cum spiritu in lachrymas resoluta fuisset. Et quod magis mirandum, lapis quoque in quo corpus eius positum erat, lachrymis madebat, & in perpetuam rei memoriam, adhuc lachrymae in eo apparere dicuntur, qui lapis in ingressu sancti sepulchri esse memoratur. Et quamuis nulla lingua, lamentationes, planctus, & fletus, quos beatissima Dei genitrix virgo Maria super corpus Filij sui fecerit enarrare sufficiat: hoc tamen certo certius tenendum, nihil eam quicquam inhonestum, indecorum, aut rationabili admisisse, quia dolor eius non ad rationem superiorē pertingebat. Magdalena vero pedes Domini quos alia vice lachrymis cōpunctionis rigauerat, tunc multo amplius vndis lachrymarum compassionis largiter lauit. Aspiciebat ipsa pedes sic vulneratos ac perforatos, deficcatos & sanguinolentos, & flebat amarissimè, ita vt penè prae dolore deficere videretur. Similiter & ceteri, qui ibi aderant vehementer flebant. Sed quid mirum si homines fleuerint, quando nec illi caelestes spiritus suas poterant continere lachrymas. Ait namq; Augustinus: O quis Angelorum, vel Archangelorum, ibi non fuisse? Ibi contra naturam auctor naturae immortalis Deus, mortuus homo iacebat. Videbant Christi corpus sic malè tractatum ab impijs, sic laceratum iacere: Mariam totam cruentatam sic amarissimè flere, & nullo modo suas poterat lachrymas refranare. Sicut enim possibile fuit per assumptum hominem mori, sic possibile fuit Angelos bonos in morte Domini sui dolere. Plange ergo & tu quisquis es, qui Christi vestigia sequi desideras, & clama cum S. Bernardo: O bone Iesu, quam dulciter cum hominibus conuersatus es, quam magna & abundantissima eis largitus es: quam dura & aspera pro eis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima crucis tormenta. Et penitus si in Saluatorem tuum intendere volueris, nullum in toto membrum inuenies, quod non singularem quendam dolorem & afflictionem senserit. Vide quid in quolibet sensu, quid in qualibet parte corporis sustinuerit. In capite spinas, in auribus opprobria, in oculis fletum, in ore fel & acetum, in facie alaphas & spura, in collo colaphos, in naribus fetorem, in manibus & pedibus clauos durissimos, in dorso flagella, in pectore lanceam, iam ad te redi, & cogita quam vicissitudinem amoris dilecto Domino Deo tuo rependas, qui tanta passus est pro te. Et certe si nequeas sanguinem amore ipsius fundere, vel saltem vicia tua in te occide, prauis desiderijs resiste, & membra tua, ne eis abutaris, coarce, & sufficiet illi. Ex hisce paucis plura collige.

Mater Christi  
illi quas lachrymas  
funderit ad ipsius  
corpus depositum  
de cruce.

Planctus B.  
Mariae qualis  
fuerit.

Luce 7.

Angelorum  
fletus ad exequias Christi.  
Augustin.

Bernardus.

Christus in  
quibus passus  
sit.

Compassio  
qualis Christo  
in nobis  
placeat.

Completorium secundum hic incipit, continens in se Articulos duos.

IESVS A VIRIS SANCTIS SEPE  
litur. *Articulus LXIX.*

Quum nox appropinquaret, nec planctus ille propter instans Sabbatum longius durare posset, & quia serotinum tempus erat, quo mulier-

VI

lieribus, potissimum autem verecundiæ virginis congruebat non dimitti extra ciuitatem manere, Dominum Iesum aromatibus conditum, syndone inuoluunt, atque à matris oculis lachrymantis abscondunt. Quod cum pia mater videret, aliter fieri non posse, dulciter eum deosculans, omne obsequium quod ei possibile erat, impendebat corpori filij sui, & summo honore illud viri illi venerabiles, Ioseph, scilicet, & Nicodemus, accipientes, portauerunt ad monumentum: domina tenente caput, Magdalena pedes, & cæteris corpus gestantibus. *Erat autem in loco, vbi crucifixus est Iesus, & in horto monumentum nouum ipsius Ioseph, quod erat excisum de petra, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Non magno caret mysterio, secundum Hieronymum, quod Christus in monumento exciso in petra conditus fuit. Nam si ex multis lapidibus fuisset ædificatum, suffossis tumuli fundamentis, ablati furto diceretur. Si etiam sepulchrum fuisset in terra, inquit D. Augustinus, dicere poterant perfidi Iudæi: Suffoderunt terram, & furati sunt eum. Quod autem in alieno sepulchro ponitur, paupertatem Christi nobis commendat. Vnde S. ait Anselmus: Pauper ita fuit Christus, vt non in sua, sed in aliena domo nasceretur: & viuens in hoc mundo, non haberet vbi caput suum reclinarat: nec moriens, vnde nuditatem suam tegeret: nec mortuus, vnde inuolueretur: nec sepulchrum, aut locum, vbi poneretur. *Ibi ergo propter Parasceuen Iudeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum mille milibus Angelorum sanctorum exequias decantantibus, qui omnes vt sanctus Augustinus ait, ad sepulchrum Domini sui conuenerant. Illi cantabant laudes, Maria autem dabat gemitus & suspiria cordis. Et aduoluit Ioseph lapidem, saxum magnum, ad ostium monumenti, & abiit, ne iste locus bestijs esset peruius, aut aliquis veniens posset occultè rapere corpus CHRISTI, quia per illud ostium, erat sepulchrum ingressus. In quo patet virtus resurgentis, quam non poterat retinere magnus lapis. Et tollitur omnis in resurrectione eius suspicio: quia nemo aliquo potuit fieri violentia, furtum, aut furtio. Et dies erat Parasceues, & Sabbatum illucescebat.* Ideo quantum poterant sepulturam Domini accubabant, quia in Sabbato tale quid facere non licebat. Sequitur: *Erant autem ibi Maria Magdalena, & Maria Ioseph, & altera Maria, & subsequente mulieres, quæcum ipso venerant de Galilæa, sedentes contra sepulchrum, hoc est, non longè à sepulchro, à regione sepulchri, & aspiciabant, & viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius.* Hoc deuotissimæ mulieres, ex ardenti fecerunt amore, præterea, quia breui intendebant reuerti ad vnguentum corpus Domini, ideo obseruabant, qualiter aptius posset introire sepulchrum. Ergo vt & tu, quicumque desiderio flagrans Dominum Deum tuum in corde tuo sepeliendi, digne sepelias, multa tibi necessaria sunt. Primum est, vt ante etiam dixi, munditia & puritas cordis, & corporis, quod signatur per syndonem mundam, in qua inuoluere te eum oportet, quia mysterium eius clauum & occultum est. Secundum, vnges eum cum aromatibus, per feruentem deuotionem, recordando iugiter ipsius amarissimam passionem. Tertium, vt ponas eum in monumento nouo, hoc est, corde tuo, per gratiam Iesu Christi iniquatum, & ab omni vitiis

Ioan. 9.  
Matth. 27.  
Marc. 15.  
Lucæ 24.  
Hieronym.

Augustin.

Anselmus.  
Lucæ 23.

Matth. 9.

Ioan. 19.

Augustin.

Matth. 27.  
Marc. 15.

Lucæ 23.  
Exod. 2.

Matth. 7.  
Marc. 15.  
Lucæ 23.

Sepeliendi  
mysticè  
Christum  
modis quo-  
plex.

VI  
21

hate peccati purgatum, Quartum, vt diligenter monumentum claudas, ne scilicet ingrediatur peccatum. Nam si peccatum ingrediatur, Christus egreditur. Et si Christus te deserat, planè miser & miserabilis es. Et nisi respiceris, ac per penitentiam Christum reuocaueris, salus tua periclitabitur, & tu ipse in magnam deduceris calamitatem.

IESU SEPULTO MULIERES UNA CVM  
matre Iesu in Hierusalem reuertuntur.  
Articulus LXX.

POst Domini Iesu sepulturam, eius mater à Ioanne est monita, iuxta pi-  
am catholicamq; plurimorum sanctorum Patrum sententiam, quate-  
nus propter noctem instantem cum alijs mulieribus in ciuitate reuer-  
teretur. Tunc illa, vt veram nobis obedientie formam monstraret, Ioan-  
ni monenti consensit, & quomodo melius poterat, primo tamen ad monu-  
mentum genua flexit, ipsumq; amplexando benedixit, & cum abeun-  
tibus subat. Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflictà ploratus vix  
quibat stare pedibus. Et reuerteretur, scilicet mulieres in Hierusalem. *parauerit  
omni & vnguentis.* isto adhuc vesperi sexte ferie, quamdiu secundum le-  
gem licuit operari. Vnde elicitur, quod in istis mulieribus fides fuerit, de  
Christi resurrectione per modica. *Et Sabbato quidem siluerunt secundum man-  
datum,* hoc est, ab omni exteriori opere quiescerunt, iuxta legis præceptum.  
Illorum quippe erat quicquam Sabbato manibus operari: Domino dicente:  
*Memento vt diem Sabbati sanctifices. Itemq; Nihil operis facietis in eo.* Intran-  
tibus deinde illis ciuitatem, multi videntes matrem filio orbatam, moti pietate  
super illius dolore ad luctum conuertebantur amarum, & concurrunt vn-  
dique bonæ ac honestæ matronæ & virgines, comitantes cum ea per viam,  
consolantes eam, vt melius poterant. Vndique fit ploratus magnus, & fla-  
tus, quia dolor eius multos faciebat dolere. Inde est, vt quotquot eam plo-  
rantem cernerent, & ipsi plorarent. Cum tali ergo plandupia mater vsque  
ad domum Ioannis deducta est, cui appropinquanti, humiliter se eis pijs  
mulieribus inclinans, gratias egit, & dimisit eas. Ioannes autem memor  
verborum Domini sub cruce: *Ecce mater tua,* &c. eam in sua custodia retinu-  
it, & plus quam propriam matrem dilexit: omnem illi humanitatem & be-  
nivolentiam exhibens, & dubia si qua habebat de Christi incarnatione  
& passione, ei proponens, superque his informari desiderans. Nunc er-  
go, quid restat, nisi vt nos pijsimæ matri ita affectæ ita morrenti, ita gra-  
uiter laboranti (vt veri filij) compatiamur. Si autem quis non compati-  
tur, reuera non est viuens gratiæ filius, sed abortiuum insensibile, ac mortu-  
um, & indignus plane, qui lac gratiæ ex matris eius fugat vberibus. Vti-  
nam & nos verè peccata nostra desereremus, & ab omnibus operibus mortis  
resurgeremus, vt possemus cum Christo resurgere, & in nouitate vitæ am-  
bulare. Attamè cum hæc ipsa Passio, quam Deo donante iam exposuimus  
secundum septem Horas Canonicas distincta sit, pro legentium maiori vti-  
litate ac profectu, placuit super Horis singulis quasdam breues meditatio-  
nis adijcere, ex quibus liquido amorem Domini nostri erga nos cognoscere

Lucæ 23.

Exod. 20.  
Leuit. 14.

Ioan. 19.

Compatien-  
dum quate-  
nus sit Chri-  
sti matri.

Rom 6.  
Passio Domi-  
nica quomo-  
do sub Horis  
Canonicis  
rum inuadã.



Philip. 2.

1. Pet. 2.

valeamus. Cum itaque prima nocte surrexeris, ob reuerentiam illius amoris, qua Christus se vincum tradidit in manus malorum hominum, & hoc obediens factus Patri suo vsque ad mortem, dispone in corde tuo obedire te velle ad omnia, quæ tibi ab eo, aut vicarijs eius iniunguntur. Hora prima, ob reuerentiam humilitatis, qua coram indigno iudice, velut agnus mansuetissimus stetit, subijcias te omni creaturæ propter ipsum, & ad quilibet vilia, & indigna sis opera paratus. Hora tertia, ob amorem, quo contempti conspui, & opprobrijs varijs se affici passus est, te ipsum contemne, vilipende, & opprobria libenter sustine. Hora sexta, crucifiges tibi mundum, teque mundo, cogitans qualiter Dominus Deus tuus omnium creator, pro amore tui crucifixus sit. Hora nona, morere mundo, & omni creaturæ, violenter, vt amara mors Domini Dei tui, adeo in corde tuo dulcescat, quatenus quicquid Deo minus est, tibi inspidum fiat. Hora vespere, Dominus Deus tuus de cruce fuit depositus, & tu recole cum gaudio, qualiter post mortem, & omnes labores tuos felici requie requiesces in sinu eius. Ad Completorium, memor sis vnionis illius, qua spiritus vnus cum ipso effectus, ipse in summa lætitia perfrueris: Quæ vnio hic in via incipit per voluntatem tuam, & ipsius concordiam in omnibus tam aduersis, quam prosperis, & in futuro complebitur, per æternam gloriam in cælis, vbi vnus eris cum ipso Christo, sicut ipse cum Patre & Spiritu sancto vnus, verus, ac indiuisus Deus est, nunc & in æterna secula, Amen.

SERMO DE PRÆCIPVIS EFFECTIBUS, virtutibusque in passione Christi nobis exhibitis.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigijs eius, I. Pet. II. Charissimi fratres, ac filij, licet tota vita innocentissima Domini nostri Iesu Christi, sit purissimum, & lucidissimum speculum bene virtuosæque viuendi, tamen passio eius est, quasi summa, & registrum omnium virtutum. In ipsa enim relucet perfectio omnium virtutum. Nam quicquid Dominus per totam vitam suam docuit, & operatus est, hoc in passione sua summarie, compendiose, & perfectissime monstrauit, & nobis in exemplum reliquit. Nam sicut S. Augustinus testatur, non solum quicquid boni gessit Christus in terris, sed & quicquid mali sustulit, totum disciplina morum fuit. Reliquit ergo nobis exemplum. Sed quibus dicit exemplum? Exemplum humilitatis, pauperatis, patientiæ, mitiæ, obedientiæ, pietatis, largitatis, charitatis & similibus. Videamus ergo nunc primo de paupertate, quam Dominus Iesus in natiuitate sua consecrauit, & per totam vitam suam familiarissimam sibi fecit, quomodo eam in passione seruauit. Non tamen hic loquor de paupertate inuita, vel que et sola necessitate accidit, sed de voluntaria & affectata paupertate, cum effecta penuriam sentiente, quæ vocatur alio nomine paupertas spiritus. Hanc Christus ab infantia tenuit, sicut dicit Apostolus, Egenus factus est propter nos, cum diues esset. Et S. Ambrosius: Recordare omnem vitam Saluatoris, à partu virginis vsque ad patibulum crucis: & non inuenies nisi signata paupertatis. Sed omittamus pro nunc paupertatem, quam elegit in natiuitate. Te-

August.

Paupertas Christi quant.

Matth. 5.  
1. Cor. 1.  
Ambros.

Lucæ 2.

VI

ceamus, quod non habuit locum vbi nasceretur, nisi vile stabulum, & ar-  
 stum praesepium, cum tamen esset Dominus & creator omnium. Praterea-  
 mus denique, quomodo per totam vitam esurijt, & sitiuit, & de eleemosyna  
 fidelium vixit, non habens agrum, nec domum, nec hospitium proprium:  
 sed nec mater eius, nec Apostoli, quia omnia reliquerant. Hanc solum pau-  
 pertatem commemoremus, quam post Dominicam Palmarum, id est, in  
 hebdomada passionis suae, in monumentum reliquit. Ecce in die Palma-  
 rum cum susceptus fuerat cum magno honore, per totum diem praedicavit  
 in templo vsque ad vesperum, de sero circumspectus omnibus, sicut Euange-  
 lista testatur, & glossa supplet, si aliquis veller eum inuitare ad hospitan-  
 dum, cum nemo esset qui eum reciperet, ieiunus & fatigatus redijt in Berha-  
 niam. Videte quod non solum non habuit proprium hospitium, sed nec  
 alienum, nec panem in tanta necessitate. Similiter accidit ei in feria 2. & 3.  
 quod mane veniens in ciuitatem, per totum diem praedicabar, & vespere  
 adhuc ieiunus redijt in Berhaniam. Sed notate vltterius: Dum secundum ritum  
 legalem Pascha volebat celebrare, nouum instituturus Sacramentum,  
 non habuit domum vel agnum, aut caetera necessaria pro tanta solennitate,  
 sed misit duos discipulos ad quendam amicum suum qui praeparauit. Ipse  
 quidem potuisset habere, si voluisset per seipsum. Vnde enim alij habent, ni-  
 si ab illo? Sed qui alijs prouidet, ipse voluit pauper & mendicus esse, ad com-  
 mendandam paupertatem.

Matth. 16.  
 Marc. 14.  
 Luc. 22.

Denique in passione eius, dum erat nudus affixus in cruce, nunquid non  
 paupertatem exhibuit? Nonne paupertas eius reuelat maximè in septem?  
 Primo, in nullius non solum pecuniae, sed cuiuscunque rei possessione, in-  
 tantum pauper, vti minima re se potuisset liberare, & vitam suam redime-  
 re à morte, non habuisset. Secundo, in amicorum amissione, quia non fuit  
 qui pro ipso apud iudicem staret, aut pro eo loqueretur. Tercio, in vestium  
 nudatione, quia non habuit, quo carnem suam operiret. Quarto, in terrae  
 subtractione, quia in cruce fixus, non habuit de ea scilicet terra tantum, v-  
 bi pedem figeret. Quinto, in cibi & potus sublatione, quia praeter acerum &  
 sel, non habuit quod comederet, aut biberet. Imo communissimum quod  
 omnibus superabundat hominibus, non habuit. Quid fuit hoc? Quod in  
 maxima siti sua non habuit vel modicum aquae, vt refrigeraret linguam su-  
 am. Sexto, tam pauper fuit, quod cum penderet in durissimo lecto, scilicet  
 in cruce, non habuit locum quo caput suum reclinaret. Vnde ipsemet dixit:  
*Vulpes foueas habent, & aues nidus, filius autem hominis non habet, vbi caput suum re-  
 clinet.* Septimo, pauper fuit à membrorum libertate, quia nullum mem-  
 brum habuit liberum, quo se posset iuuare, nisi linguam aceto & felle ad-  
 vltimum etiam impeditam. Consideratis nunc, quod penes quem est om-  
 nium rerum affluentia, quantum ad Dominum, quia ipse est Rex regum,  
 & Dominus dominantium, Dominus & creator omnium, apud illum est &  
 omnium rerum extrema penuria; quantum ad possessionem & vsum, & si-  
 cut nudus egressus est de vtero matris in mundum, ita nudus regreditur de  
 mundo, nihil terrenum, aut temporale prorsus retinens, nihil habens. Vn-  
 de in Threnis dicit: *Recordare paupertatis mei.* Sicut autem in vita dilexit pau-  
 pertatem, ita etiam post mortem seruauit. Nam in alterius linteo inuolutus,

Paupertas in  
 Christi pas-  
 sione in sep-  
 tem reuelat.  
 Matth. 26.  
 Ioan. 1.  
 Marc. 15.  
 Matth. 27.

Matth. 8.  
 Luc. 9.

Matth. 27.  
 Marc. 15.  
 Ioan. 19.  
 Luc. 19.  
 Apoc. 19.

Iob 1.

Thren. 1.

Matth. 27.  
 Ioan. 19.

Matth. 7.

Paupertatis  
solum titulo  
quinam peri-  
culose abun-  
dent.

1. Cor. 7.

1. Tim. 4.

Humilitas  
Christi quan-  
ta

Phil. 2.

Humilitatio  
Christi quan-  
ta & in qui-  
bus splendu-  
it.

Luc. 2.

Ibidem.

Matth. 11.  
Humilitate  
in passione,  
sua, quantam  
exhibuit  
Iesus,  
Ioan. 13.

& in alieno fuit reconditus sepulchro. Quare? quia propriū non habuit. Ad-  
uertitis modō (ni fallor) Christum factō, etiam si verbo tacuisset, pauperes  
prædicasse beatos, quando paupertatem præ omnibus mundi diuitijs sele-  
git, sic dilexit, sic vsque in finem in seipso seruauit, quando matrem suam  
Apostolos, & omnes amicos suos sola paupertate dotauit in vita, & post  
mortem nihil hereditatis præter paupertatem reliquit. Quid ad hæc nos  
dicemus, qui sub paupertatis titulo abundamus? Vt nobis, non dico pro di-  
uitijs, sed etiam pro paupertate nostra, qui virtutis nomen querimus & pau-  
peratis nolimus sentire honorem. Delicata est nimis paupertas nostra, qui  
sic esse volumus pauperes, vt nullum sentiamus defectum. Nec solum cupi-  
mus quæ sunt ad vitæ necessitatem, sed etiam quæ ad curiositatem, vtinam  
mentiar, si dixerō, voluptatem. Quicquid videmus, vel audimus, concupi-  
scimus. Ad hoc aspiramus, laboramus, querimus, habere volumus, & pro-  
curamus. Quare hoc? Quia temporalia nondum perfecte reliquimus, eo  
quod amore eorum adhuc in cordibus nostris circumferimus. Affectu  
visibilium ita stringimur & ligamur, quod ad ea bona, quæ supra nos sunt,  
aspirare nequimus. O charissimi, quam tolerabilis est paupertas nostra.  
Quid minus habemus, quam hi, qui viuunt in proprietate, rerumq; abun-  
dantia? Nunquid non tam bene & sufficienter omnia vitæ necessaria habi-  
mus, sicut & ditissimi huius seculi? Nunquid non quietius & sine cura nostra  
vuiuis, quam hi, qui toto tempore vitæ suæ curis & sollicitudinibus anxii-  
antur? Non sumus ergo ingrati, & vtinam non sumus ingrati. Vtiamur neces-  
sarijs tanquam non videntes, id est, pro sola necessitate, non ex desiderio, nec  
pro delectatione. Sustentemur creaturarum vsu, non ligemur affectu, sum-  
per cum gratiarum adione paucis contenti, & sine murmuratione. Secun-  
da virtus quam Christus docuit in passione, fuit humilitas. *Humilitatem  
quis enarrabit? Etenim cum in forma Dei esset, vt inquit Apostolus, ad Philip.  
non rapinam arbitratus est esse se aequalē Deo: sed semetipsum exinanuit formam  
serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humili-  
tati semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Humilia-  
uit & exinanuit semetipsum vsque ad incarnationem, vsque ad mortalita-  
tis humanæ participationem, vsque ad diaboli tentationem, vsque ad populi  
derisionem, vsque ad sputa & vincula, alapas & flagella. Et hoc si paruum  
est, aliquid de genere mortis eius addendum est, non cuiuscunque, sed cru-  
cis, quæ ignominiosior est. Non dicam modo de humilitate eius in natiui-  
tate, quod noluit in palatio, sed in stabulo nasci, quod voluit ante ora iumentorum  
poni, pannis inuolui, vt peccator circumcidi, vt peccator & seruus in  
templo redimi, tantaque fuit eius humilitas, quod ante bouem & asinum in  
natiuitate sua voluit in præsepio reclinari: sed maior fuit, quod in cruce in-  
ter duos latrones voluit eleuari. Nec de humillima eius conuersatione di-  
cam. Quis enim illam satis explicaret? Sufficiat hoc pro humilitatis testi-  
monio, quod hanc virtutem quasi singularem nobis commendauit, & se in  
exemplum posuit, dum diceret: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*  
Modo de humilitate eius duntaxat, quam in passione demonstrauit, dica-  
mus. Quomodo placet vobis illa humilitas? Cū enim sciret (vt dicit Ioan-  
nes) quod Pater ei dedisset omnia in manus, & quod à Deo exiuit, & ad Deum  
vadit,

VI

vadit, id est, cum se sciret, quis & qualis, & quantus esset, non potentiam, sed humilitatem exhibuit. Quam? Deposuit vestimenta sua, linteos se praecinxit, curauit genua sua ante pedes discipulorum, imo etiam & primo ante pedes crudelissimi traditoris sui, volens eum humilitate sua placare, lauit pedes eius & singulorum, extersit & osculatus est. O tremenda maiestas, o stupenda humilitas: Quis poterit satis te admirari? Verè Domine Iesu sic est, ut dixisti: Quia non venisti ministrari, sed ministrare. Et quod in medio es discipulorum, non sicut qui recumbit, sed qui ministrat. Sed procedamus vltèrius. Egreditur in hortum & orat. Videte quam humiliter orat, procidit in faciem, non contentus flexus genibus orare. Ex hinc videte conditiones passionis suae, quas elegit. Accusationes falcissimas contra se audiens, humiliter tacuit, cum in potestate sua foret sic vel sic mori, derisiones, opprobria, subfannationes dissimulauit, locum passionis elegit despectissimum, scilicet in monte Caluariae, vbi cadauera mortuorum iacebant: genus mortis ignominiosissimum, scilicet crucis, quae ita abiecta erat, quod nemo Iudeorum volebant tangere tanquam maledictam. Consortium despectissimum, quia in medio latronum: quia pati inter bonos & honestos haberet aliquid alleuiationis, eo quod solus non pateretur, & innocentia eius testaretur ex consortio bonorum. Christus verò elegit cum latronibus crucifigi, & tanquam princeps in medio eorum. Denique propositus à Pilato Iudaeis cum alio latrone omnibus exoso, ipse voluit illum latronem tanquam iustiore sedimitti. Se verò tanquam iniquum reprobari & damnari: licet enim omnia Iudaei illi opprobria ingerent innocenti, ex inuidia & malicia, tamen nihil potuissent praualere contra eum, nisi ipsemet voluisset suscipere. Ex eo tamen nihil ipsi fuerunt excusati, quia Dominus voluit pati: quia voluntas Domini Iesu non imposuit illis necessitatem crucifigendi. Alia intentio fuit illorum, qua Christum voluerunt occidere, alia intentio Christi, quare voluit occidi. Sed redeamus ad Domini humilitatem. Nihil abiectioris fuit, quod illi impiissimi in Dominum non exercuerunt, nihil contumeliarum & opprobrii, quod non irrogarent, nihil què tam vile & despectum, quod humilitas eius, scilicet Christi Iesu, pati non affectaret. Hanc eius humilitatem plus admirabimini, si consideretis, quis ipse est, qui sic se humiliavit, quanta maiestas, quanta sublimitas, summus, aeternus, infinitus, immensus. Omnipotens & gloriosus Deus. Ratione enim vnionis verbi cum humanitate in vnitate personae, quicquid passionis & vilitatis irrogatum fuit humanitati, dicitur etiam sustinuisse diuinitas, licet secundum se impassibilis sit ipsa diuinitas. Et ideo quod tanta maiestas, tanta sublimitas, cui caeli & terra se inclinant, voluit tam vilis, tot indigna, tantaq; ludibria pati, vilificari, conculcari & tam miserabiliter tradari, ita ut speciem suam etiam amitteret, ineffabilis & stupenda fuit humilitatis. Quod prauiderat Esaias, dicens: Non est ei species neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideramus eum despectum, & non sumus viri, & virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum. Et reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Hanc eius humilitatem considerans deuotus Bernardus exclamat: O humilem & sub-

Matth. 26.  
Luc. 22.

Matth. 27.

Ibidem.

Deut. 21.  
Galat. 2.

Matth. 27.  
Marc. 15.  
Matth. 27.

Humilitas Iesu quomodo consideranda.

Esaias 53.

Bernardus.



Apoc. 19.

Luca 22

Matth. 6.

Marc. 14.

Psalm. 22.

Patientia  
Christi exi-  
mia.

1. Petri 2.

Esai. 53.

Thren. 3.

Esai. 50.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luca 22.

& 23.

Ioan. 19.

riam Angelorum. Nemo sublimior & nemo despektor. Esto vilis quam poteris, nunquam Christo vilior eris. Ipse siquidem Rex regum & Dominus dominantium fuit vilissimo precio venalis expositus, a vilissimo populo vilissima passus, in vilissimo loco crucifixus, & vilissimo crucis supplicio traditus, & inter latrones positus, cum iniquis & vilissimis hominibus deputatus, & modo vilissimo est tractatus. Etenim tanquam malefactor bonus Dominus capitur: tanquam furiosus, mansuetus, vinculis constringitur, tanquam pestifer Saluator accusatur & arguitur, & tanquam factus Dei sapientia irridetur, tanquam homicida vita hominum morti datur, tanquam leprosus & immundus mundator criminum extra moenia eijcitur, tanquam latro crucifigitur, tanquam flagitiosus confutandus ab omnibus, & intuentus ab omnibus nudatur, & confusione indutus ab omnibus sustigatur, & tanquam vermis vilissimus summus Dominus conspuitur, abijcitur, occiditur & conculcatur: Hæc Bernardus. Postremo, accedit ad ipsius humilitatem, quod in illo festo Paschali, quando omnis populus Indæorum gaudebat, & in aspectu tantæ multitudinis collectæ ex omnibus terris & quæ conuenerat ad diem festum, voluit tanquam pessimus latro iudicari, qui erat innocens & agnus sine macula, opprobriofissima quoque morte diffamari, de quo ante tam magna fama fuerat, quod surrexisset novus Propheta in populo, vt verè impleteretur in eo quod dixerat per David in Psal. *Ego autem sum vermis & non hominis, opprobrium hominum & abiectionis plebis. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput.* Tertia virtus est illa eximia patientia, quam per totam passionem suam nobis in exemplum exhibuit, quod inter tot verba dura, duriora verbera, durissimas tormenta cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non contuminiabatur: tradebat autem se iudicanti iniuste. Sed sicut Esaias prædixit, dicens: *Sicut quis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum:* non se defendit, non se vindicauit, non se excusauit. Sed quid fecit? Dicit Hieremias: *Dabit percutienti se maxillam, saturabit opprobrijs.* Dicit & ipse Christus per Esaiam: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Hanc eius patientiam melius caperetis, si dolorem passionis eius cognosceretis, si agnoscere & pensare possitis, quam afflictiuos, penosos, diros, variosque sustinuerit cruciatus. Percurrite passionis eius seriem, quot idus, quot verbera sustinuit in captione, quoties trusus, impulsus, tractus a iudice ad iudicem ductus, cæsus, consputus, colaphizatus. Legitur in reuelationibus sanctorum, quod in captione Christus fuit percussus super os suum XXX. vicibus, & postea sine numero. Item proiecerunt eum in terram spinas, alapas sustinuit C. & II. colaphos C. & XX. conspuiones LXXIII. Item, quantum putatis ipsum dolorem sustinuisse in sui flagellatione, quando totum corpus eius tenerrimum fuit virgis, flagris & scorpionibus sine cathenulis aduncis diuissime cæsum, ita vt nulla pars corporis remaneret illaesa: quando non solum cutis vulnerabatur & patefiebat, sed etiam caro dilacerabatur. Item, in coronæ impressione, quando aculei per verticem vique ad cerebrum pertingebant. Si vos in pede, vel in manu, non possitis modico tempore spinam vnã tolerare, quid fieret, si multas haberetis in capite?

VI  
11

pute? Quid anxietatis putatis ipsum habuisse quando baiulavit crucem suam supra dorsum vulneratum in flagellatione? & ipse ita exhaustus viribus fuit in passionibus per totam noctem, quod mirum fuit ei vnum passum pedis potuisse locare. Legitur in revelationibus deuotorum, Christum quinq; cecidisse sub cruce, & crucem super eum. Item, quando fuit nudatus ad crucifigendum, & vestis lanea fuit ex vulneribus extracta, quibus impasta fuerat, & sic omnis dolor pristinus grauius renouabatur, qua fuerat ante in flagellatione. Item quid putatis eum doloris habuisse, quando præcipitatus fuit super crucem, & perforata vna manu, & cruci affixa clauo grosso & obtuso, trahente secum in foramen carnem, cutem, & neruos, dum alteram ad foramen nimis distans funibus traxerunt, & similiter pedes deorsum? Sicque totum corpus eius in pellis modum distenderunt, membrorum iuncturam dissoluerunt, compages & neruos, ossaque distraxerunt, vt omnia membra eius possent dinumerari, sicut prædixerat David in persona eius: *Volebant manu meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Si ossa, quantum magis membra? Item, quando eum sic extensum erexerunt cum cruce, & ipse sic pependit cum tota mole corporis in tribus duntaxat clauis per tres horas in cruce quid sustinuit? O quomodo mouet vos hoc? Certè si hoc non mouet vos ad compassionem, estis duriores lapide. Si hoc spectaculum flebile non excutit vobis lachrymas, tunc exaruitis. Cum itaque Dominus tales cruciatus ferret, quid fecit? Nunquid vindicauit se? Minime. Sed nonne potuit totam machinam mundi in puluerem redigere? vtique. Sed noluit. Et mirum est, quod non fecit pro tanta contumelia & iniuria sibi creatori omnium à suis perfidissimis, vilissimisq; vermiculis illata. Sed nunquid in tanta pœna murmurauit? Quid dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* O nouam melodiam, o nouum & dulcem inauditum patientiæ sonum, quam noua illa corda super citharam crucis extensa perforauit. Ecce charissimi, videre admirabilem patientiam, quæ tanto maior est, quanto maiora & difficiliora sunt, quæ patitur. Dolor autem quem Christus in passione sua habuit, maximus dolorum omnium fuit in hac vita, si omnia comportarentur, quæ passi sunt martyres sancti (quamquam graui passi sint) non posset tamen omnis dolor eorum comparari dolori Christi. Magnitudo autem huius doloris ex multis causabatur. Primo, quia debuit satisfacere pro omnibus miserijs & defectibus huius vitæ, quos homo per peccatum incidit, & hominem inde liberare ac sanare. Item, debuit satisfacere pro peccatis totius mundi, quia Pater imposuit illi omnia peccata, quæ facta sunt & fiunt, & futura sunt, à primo homine vsque ad nouissimum hominem, & hæc peccata puniuit supra dorsum eius, hoc est, tantam pœnam & dolorem illi imposuit, quantum sciuit deberi pro vnoquoque peccato. Cogitate nunc quot peccata fiunt in vna ciuitate, solum in vna die. Quot fiunt tunc in vno regno? quot fiunt in toto mundo? quot autem fiunt & facta sunt, & fient ab initio mundi, vsque in finem, quis nouit cogitare? & tamen Deus nouit in pondere, numero, & mensura: hæc omnia posuit Pater super Filium, & Filius spontè suscepit super se, & vnumquodque soluit, hoc est, pro vnoquoque peccato tantum dolorem & pœnam sustinuit, quantum Pater siue diuina iustitia taxauit. Quanta autem pœna fuerit infligenda

1 film. 22.

Lucæ 19.

Dolori Christi imaginando ex multis causabatur.

Sapient. 11.

TT pro

pro peccato mortali in hac vita, Deus solus scit. Et post hanc vitam si peccatum remanet mortale, cerum est, quod debetur ei poena aeterna. Pro his igitur peccatis Christus satisfecit, licet non omnes percipiunt illum fructum passionis. Et hoc non est ex defectu passionis Christi, nec ex insufficientia satisfactionis Christi, sed ex propria illorum culpa. Et quamvis Christus potuisset sufficienter satisfacere pro peccatis totius mundi, etiam si in vnam guttam sanguinis effudisset, ratione nobilitatis suae, id est, ratione diuinae naturae humanitati in vnitatem personae vnicae, tamen noluit vniuersae potestate, id est, noluit humanum genus redimere potentia, sed iustitia: nec attendit quantum virtutis & valoris haberet passio sua ex diuinitate fibernata, sed quantum dolor sufficeret, & quae secundum iustitiam commendando pro populi iniquitate. Et haec ratio fuit, quare non solum contentus fuit dolore, qui extrinsecus sibi ab inimicis inferebatur, sed etiam per seipsum auxit, id est, assumpsit, quae auergerent passionem eius, vt quasi in statera ferret sufficientissima per solutio, & aequiparatio passionis suae contra peccata singulorum. Sequitur ergo, quod ex quo Pater imposuit ei peccata totius mundi & singulorum, imposuit ei etiam dolores & poenas debitas, quas singuli pro peccatis suis deberent tolerare. Vnde Esaias bene dicit: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Omnes nos quasi oues errantium, vnusquisque in viam suam declinauit, scilicet per diuersa peccata. Et Dominus posuit in eo omnium iniquitatem nostram.* Pro quanto igitur pluribus peccatis habuit satisfacere, tanto maiores dolores oportebat eum (secundum quod voluit) sustinere. Secundo, dolor Christi fuit maximus ratione complexionis formatum à Spiritu sancto ex nobilioribus & purissimis guttis sanguinis de corde virginis Mariae, & ideo quanto nobiliter fuit corpus, & in actu viuacius ceteris, tanto etiam maiorem accepit dolorem, quoties fuit laesum. Tertium, quod Christi dolorem reddebat maiorem, fuit quod passus fuit generaliter & specialiter in singulis membris, vnde verificatum est in eodemo Esaias: *A planta pedis vsque ad verticem capitis non remansit in eo sanitas.* In toto enim corpore suo fuit ita plagis, liuoribus & vulneribus affectus & obiectus, quod non remansit in eo nec vna portiuncula illaesa, quantum non pungere posset, sed omnia erant vulnerata, percussa, conuulsata, &c. Legitur reuelatum, Christi vulnera fuisse quinque millia, quadringenta, & septuaginta quinque. Vnde qui quotidie XV. Pater noster legeret, post annum completum quodlibet vulnus salutasset vnum Pater noster. De hac passione singulorum membrorum dicit deuotus Bernardus: *Caput angelicus rosmadum spiritibus, densitate spinarum pungitur, facies pulchra pro filij hominum spuris Iudaeorum deturpatur, oculi lucidiores sole caligantur in morte, aures quae in caelo audiunt angelicos cantus, audiunt peccatorum blasphemias, os quod docet Angelos, felle & aceto potatur, pedes quorum scabellum adoratur, cruci clauo affiguntur, manus quae formauerunt caelos, sunt in cruce extensa, & clauis affixae, corpus verberatur, lancea latus eius perforatur. Et quid plura? Non remansit in eo, nisi lingua, vt pro peccatoribus exoraret, & vt matrem discipulo commendaret. Passus itaque fuit Christus in omni*

Esaias 53.

Esaias 1.

Vulnerum Christi numerus.

Bernardus. 1. salm. 44. Eccl. 3.

Isaias 92.

In omni  
fuit in  
quibus  
tunc quo  
um dign  
dixit dix  
fuit ab o  
em con  
vilitate  
bilis, ta  
scire l  
num ad  
scin legi  
exterior  
fuit in C  
dum, qu  
unitatis  
nitate sit  
habuit v  
lapidol  
conforta  
quam fuit  
nom fuit  
meus, L  
qui sibi  
mas non  
ra temp  
horte,  
dangin  
dolor co  
deorum  
& de cor  
cum scel  
to ampli  
gulari fil  
retracta  
tionem  
& super  
toto mu  
rent  
vacuus  
radialis  
bi mas  
plam:  
quand  
gram,

VI

In omnibus membris, præcipuè quoque in membris maximè sensibilibus, sicut in manibus & pedibus, in quibus est magna neruorum abundantia, in quibus maximè viget sensus tactus. Quartum, quod aggrauauit passionem, quod ipsi tam innocenti sine macula, & sine demerito, tamque nobili, & tam digno inferebantur tam vilia, à personis vilissimis, in vilissimo loco, sicut dixi supra de humilitate. Quintum, quod in passione sua fuit derelictus ab omnibus, ab Apostolis, quia fugerant: ab amicis, quia non audebant eum confiteri: imo dubitabant, videntes eum tam opprobriosa pati, & tam viliter mori, quia etiam aliqui compatiiebantur ei, & adstabant vt mater sola solida, tamen non poterant eum iuuare. Fuit etiam derelictus à Patre. Quod deinde legitur, quia in nullo humanitas fuit confortata in passione, nec aduersa ad leuius parandum, nec minorem poenam ratione diuinitatis sensit, sicut legitur de martyribus, qui tantum sæpe fuerunt ab intra consolati, quod exteriores poenas non attenderunt, vel vt delectabiles acceperunt. Sic non fuit in Christo, quia fuit infirmitas humanæ naturæ sibi relicta ad patiendum, quia non habuit alleuiantem consolationem defluentem à torréte diuinitatis, sed habuit aliam confortationem quandam, seu virtutem à diuinitate sibi vnita, quæ non minuebat dolorem, sed potius augebat. Quæ quod habuit virtutem non moriendi, sed perseverandi in tormentis: quod potuit sæpe dolorem mortis sentire, & tamen (quamdiu voluit) viuere. Hæc virtus confortatiua non fecit eum dolorem minus sentire, sed prolixiorum, alioquin fuisset mortuus in tantis poenis, antequam venisset ad crucem. Non enim fuisset possibile puro homini tanta pati, & ideo clamat ad Patrem: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Sextum, quod præter dolores, qui sibi ab extra inferebantur, habuit dolores, tristitias, & anxietates internas non leuiiores. Quantas putatis eum habuisse in mente tristitias & dolores tempore passionis exhibitæ, quando ita anxius fuit ante passionem in horrore, quando adhuc nullus hostium fuit præsens, quod sudorem sudauit sanguineum ex sola imaginatione passionis futuræ? Hæc autem anxietas & dolor cordis eius causabatur ex multis. Primo, propter ingratitude[m] Iudeorum, quos pro populo peculiari elegerat, & multa beneficia concesserat, & de eorum stirpe carnem assumpserat, quod in illis tanta ingratitude, & tantum scelus inueniretur, quod Dominum & creatorem suum occiderunt. Et multo amplius propter ingratitude[m] futurorum Christianorum, pro quibus singularissime patiebatur, quod tam paucos sciuit futuros, qui talia beneficia retractarent, & sibi gratias agerent. Tristabatur maxime propter frustrationem suæ passionis, quia cum esset excellentissimum, sufficientissimum, & superabundantissimum premium pro mille mundis (si essent) tamen ex toto mundo tam paucos sciuit futuros, qui fructum suæ passionis perciperent: sed tantus labor, tantus dolor, tantusque amor fieret inanis, & vacuus ex defectu illorum. Hic dolor considerationis humanæ ingratitude[m], paucitatis saluandorum, & multitudinis damnandorum, fuit sibi maior, quam dolor flagellationis, vel mortis cruciatus. Sumite exemplum: Aliquis emit agrum, & per totum annum colit multo labore. Et quando tempus est, vt metat fructum, præuenit inimicus, & incendit agrum, vel tempestas consumit, & ipse priuatur fructu, maior sic ipsi dolor

Lucæ 22.

Dolores Christi interni ex multis causantur. Deut. 7. 14. & 6.

Ingratitudo humana quantum cor Iesu afflixerit.



de frustratione laboris, quam de labore, id est, plus affligit eum, quod totum laborem expendit frustra & in nihilum, quam labor de se fatigauerat. Sic Christus magis dolebat, quod frustra & sine fructu patiebatur pro multis, quam quod patiebatur. Non enim auro vel argento, aut ceteris corruptibilibus redemit nos, sed suo precioso sanguine inestimabiliter digna. Vnde dicit Bernard. vel secundum alios Philippus Cancellarius Parisiæ in persona Christi: O homo, vide quæ pro te patior. Non est dolor, sine quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide pœnas, quibus afficio, vide clauos, quibus confodior, vide lanceam, qua transfigor. Et cum sitatus dolor exterior, extat interius planctus grauior, cum te tam ingratum superior. Et iterum Bernardus in quodam sermone: O homo, nõne satis pro te vulneratus sum? Nunquid pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflictõ? Magis grauant me vulnera tui peccati, quæ vulnera corporis mei. Denique Dominus maximè doluit propter dispersionem discipulorum, propter scandalum & dubitationem amicorũ. Item propter passionem & tribulationem electorum, & martyrum futurorũ pro nomine suo. Maximũ verò dolorem habuit pro desolatione & mœrore dulcissima matris sibi fidelissima adstantis & compatiens. Maria etenim sola fidelis in charitate, & fide perseverans immobilis atq; perfecta, maiorem dolorem in anima sua habuit post Christũ omnibus hominibus. Nam dolor eius & compassio erga filium ex multis conditionibus augebatur. Primo, quia mulier. Mulieres enim molliores & magis compassiue sunt, quam viri. Quanto magis illa mulier, quæ est mater pietatis & misericordia, clementior & misericordior, etiam erga ingratos peccatores, quam ceteræ erga filios suos. Multo ergo mater compassa est proprio filio. Secundo, quia vnigeniti mater erat. Illum solum habebat filium, & nullum alium, in quo posset consolari. Tertio, augebat compassionem presentia, quia omnia videbatur quæ illa patiebatur: & ideo quicquid Christus patiebatur in corpore, hoc Maria patiebatur in mente. Vnde dicit S. Hieron. Quot lacerationes in corpore Christi, tot vulnera in corde matris. Quot clauis perforantes, quot ictus percutientes & carnem rumpentes, tot sagittæ per oculos intrantes, & totum cor & animam virginis vulnerantes. Quarto, quia immensum amorem habebat erga eum. Secundum enim doctores, ipsa plus dilexit Christum, quam omnes creaturæ simul, tum quia mater eius erat, & ille amor etiam naturalis erga filium suum maior erat, quam ceterarum matrum erga filios suos. Quare quia carerorum parentum amor erga filios vel filium est diuisus in patrem & matrem, eo quod de vtroque nata sit proles. Mariæ verò virginis solius secundum carnem fuit filius Iesus. Ipsa sola vestierat eum carne, & ideo sola habebat amorem patris & matris. Item quia cognouit eum innocentem (quid peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius) summe sanctitatem, bonum, pulchrum, & secundum corporalem ætatem iuuenem: quæ omnia maiorem excitant compassionis dolorem. Quanto enim plus dilexit, tanto magis pro eo doluit, quod deberet ille vnicus suus à se auferri tam vili & contemptibili morte. Item cognouit eum Filium Dei. Sciebat enim illũ ex se sine libidine, & sine viro conceptum, & sine dolore genitum, sciebat quantas gratias ab eo recepit, & ideo dilexit eum plus, quæ omnes alia crea-

Philippus  
Parisienſis.

Bernardus.

Compassio-  
nis dolor in  
Maria ex  
multis auge-  
batur.

Hieron.

Amor Mariæ  
erga filium  
cur maior fu-  
erit quam ce-  
terarum ma-  
trum erga fi-  
lios.  
1. Petri 2.

tur, non solum tanquam suum filium corporalem, sed etiam creatorem. Et compassa est ei, quod tanta maiestas, tam vilia, & tam acerba sustineret. Ioan. 9.  
Cognouit enim plenè passionis eius grauitatem aggrauantes occasiones.

Item augebatur eius dolor, quia non poterat eum in vltimis necessitatibus & anxietatibus iuuare, in nullo poterat eum consolari, vel releuare, vel saltem attingere, ita vt cruciatio maxima fuit, & clamati non potuit haustum aqua porrigere, & hoc fuit immensus cruciatus virginali cordi eius. Hanc compassionem eius sciens Iesus in cruce, æque multum doluit pro matre, sicut pro seipso, vel plus. Sic e contrario mater sciens Iesum sibi compatiuentem, etiam amplius pro eo cor ipsius secabatur. Et sic alterutrum aspiciabant, alterutrum vulnerabant, alterutrum passionibus sibi communitabant, & neuter alterum iuuare poterant: non ex defecto potentia Christi, sed ex voluntate. Voluit enim sibi matrem ad stare, non ad consolationem, sed ad maiorem dolorem, quia (vt prædixi) non erat contentus bonus Iesus his, quæ inimici sibi licet crudelissimè inferebant, sed etiam ipsemet propriam passionem maximè augmentabat ad pleniorum satisfactionem, vt secundum iustitiam solueret singula peccata ab initio mundi vsque ad finem, & pro penis inferni, quæ debentur vnicuique mortali peccato, satisfaceret. Ex quibus omnibus nunc potestis conijcere aliquantulum, quàm magnus fuerit dolor Christi ab intra & extra, quod nulla poena in hac vita potest eius passioni comparari. Dico notanter quod in hac vita, quia non soluitur poena inferni, quæ sunt maiores: & ideo potuit dicere illud Threnorū. Thren. 4.  
*O vos omnes, qui iri iustis per viam, attendite & videte, si est dolor similis dolori meo.* Quanto ergo maior fuit dolor Christi, tanto eximior patientia eius probatur, qui tam equanimiter cuncta sustinuit. Quarta virtus, quam Mansuetudo Christi in sua passione.  
Christus in passione sua nobis in exemplum exhibuit, est illa ineffabilis mansuetudo, siue mititas, quam semper tenuit erga nequissimos & impios persecutores suos. Hæc enim mititas, seu mansuetudo, quæ facit hominem non solum patienter ferre, quæ sibi inferuntur, sed etiam inferentes & odientes se diligere, & æquanimiter portare hæc est virtus, quæ mitigat iram, quæ reddit hominem lenem & dulcem. Hanc Christus maximè ostendit in passione sua, quia nihil asperum, nihil turbulentum, nihil durum inter quascunque iniurias tortoribus suis respondit: sed potius (cum vno nutu pouisset omnes in nihilum redigere) pro illis, sicut scitis, orauit. Hanc maximè demonstrauit in traditore suo, cuius scelus licet bene sciret, tamen non vitauit ipsum, non priuauit Apostolatu, nec dispensatoris officio, sed signa charitatis & beneficia, non solum sicut cæteris, sed plus quam alijs impendit. Vnde ante alios discipulos primo ei pedes lauit, non sine lachrymis dedit ei corpus & sanguinem suum, & in ipso momento signoque iniquæ traditionis eius præbuit illi osculum, dicens: Amice, ad quid venisti? quasi diceret: Charissime fili, licet peccatum tuum sit magnum, tamen si paratus fueris poenitere & redire ad me, libentissime tibi indulgebo, seruabo te amicum vt ante, nihil tibi improberabo, omnis iniuriæ non recordabor amplius. O charissimi fratres, vtinam ipse daret nobis imitari huius virtutis exemplum, & à se discere, sicut monuit, quia mitis est & humilis corde, vt Math. 11.  
non cito inflammareretur ad iram propter leuem etiam auram vnus verbi. O

Obedientia  
Chr. fci.  
Ioan. 4.  
Philip. 2.

ibidem.

Lucz 22.

Lucz 22.

Lucz 22.

Pietas & cõ-  
passio Chri-  
sti.

Marc. 14.

Lucz 12.

Marc. 16.

Marc. 4.

Ibidem.

Lucz 11.

Lucz 23.

Ioan. 19.

Pietatis for-  
ma in dispo-  
sitione cor-  
poris Chri-  
sti.

bi. O quam longè abest nobis vera mansuetudo. Quinta virtus est obedi-  
entia, qua tam spontè ad omnia, quæ sustinenda erant, semetipsum obtulit, ita  
ut alio loco diceret: *Mens tibi est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in celo  
est.* Et ut Apostolus dicit: *Factus est P. triobediens usque ad mortem.* Et nepe-  
rum videretur usque ad mortem, subiunxit, *ad mortem crucis*, id est mortem  
vilissimam, contemptibilissimam & maledictam. Ipsi in super obedientia  
notatur, quòd cum potuisset effugere noluit, quin potius elegit tempus  
& locum opportunum, ubi potuisset capi, scilicet in orto, ubi solus esset  
sine turbis, sicut ipse desiderabant inimici. Item quia processit suis inimi-  
cis obviam, & cum non cognoscerent ipsum, obtulit se. Non ergo inuolun-  
tariè, sed cum summo desiderio sustinuit passionem propter humani gen-  
eris redemptionem. Vnde dixit: *Beatus homo habet eo baptizari, & quomodo conser-*  
*uon, que perficiatur?* Et post cenam in montem Oliueti, cum ex præconside-  
ratione imaginaria instantis passionis & horrore mortis, quam sensuali-  
tas naturaliter timebat, Patrem oraret, & totus sudaret sanguinem, tamen  
sponte se resignauit, dicens: *Non mea Pater, sed tua voluntas fiat.* Sexta vir-  
tus est pietas & compassio. Huius virtutis magnum exemplum præbuit, qui  
plenus est pietate & misericordia. Nunquid non grandis pietatis fuit indicium,  
quòd ipse tristis circa instantem passionem discipulos suos tam longo  
consolatus est sermone? & cum iam auellendus erat ab eis, tam dulciter &  
prolixè prædicauit eis, quasi satiarì non posse videretur cum eis loquendo.  
An non pietas quod in oratione positus seriosissima, & anxietas agone ora-  
tionem discontinuans seu interrompens discipulos mœstos ter dignatus est  
visitare, excitans illos & monens ad orandum, ne malè aliquid tentationis  
in absentia eius corda illorum desereret? & cum tandem videret præ timore  
& tristitia illos non posse vigilare, indulgit illis somnum, & stans & vigi-  
lans super illos, custodiabat eos. Nonne pietas fuit, quòd Malchum, cuius  
auriculam Petrus amputauerat, eò quòd præ cæteris furiosus se ad capien-  
dum Iesum ingesserat, protinus sanauit? quòd proditorem osculatur, ten-  
tans, si posset malitiam cordis eius charitate emollire? Denique quòd Pe-  
trum se negantem respexit, & ad sterum penitentiae amarissimum commo-  
nuit? Quòd item portans crucem, & præ dolore & fatigatione vix spiritum  
trahere sufficiens inter sauentium manus & verbera, plangentes se deuot-  
as mulieres respexit, & consolatus est? Quòd immanissimos in sui super  
crucem extensione dolores, perferens pro crucifixoribus suis non solum o-  
rauit, sed etiam excusauit dicens: quia nescirent, quid facerent? Denique quòd  
lacrioni veniam petenti & regnum promisit? Quòd in super matrem tam pie  
commendauit, & nos matri sub nomine Ioannis, plus sollicitus (ut semper  
solebat) pro nobis, quam pro se. Hanc pietatem voluit etiam nobis demon-  
strare in figura siue in dispositione corporis sui in cruce, ne desereremus ad  
eum accedere, eò quòd mortis eius causa exitimus. Habet enim hæc dispo-  
sitione corporis sui formam pietatis. Vnde Bernardus: Quis non rapiatur ad  
spem vel fiduciam impetranda salutis, dum eius in cruce considerat corpo-  
ris dispositionem, videlicet caput inclinatum ad osculandum, brachia ex-  
tensa ad amplexandum, manus apertas ad largiendum, latus apertum ad dis-  
ligendum, pedes clauis affixos ad nobiscum commanendum, totiusq; cor-  
poris

VI

poris extensionem ad se totum nobis impendendum. Septima virtus est, summa largitas, quia omnia sua, suos & se totum exhibuit nobis, & pro nobis expendit. Dedit enim se nobis in socium, in fratrem, in amicum, in cibum, in precium & in premium. Vnde canitur in hymno: Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in precium, se regnans dat in premium. Vnde Bern. Torus expensus est agnus in usus nostros. Vide nunc quanta in passione sua & cruce de se & de suis fecit xenia largitatis. Etenim corpus dedit crucifixoribus, dorsum flagellatoribus, faciem cadentibus & conspuentibus, genas percutientibus, barbam vellentibus, cor redire volentibus, vestes dedit latoribus, sanguinem reis, sudorem infirmis, fontem lateris immundis, lachrymas perditis, discipulo matrem, Simoni Cyrenæo crucem, paradysum latroni, animam Patri, vitam morti. Et alius quidam deuotus dicit: Verè largus est ille dispensator qui carnem suam dedit in cibum, & sanguinem in potum, animam in precium, vulnera in remedium, brachia in refugium, crucem in clypeum, cor in amoris iudicium, aquam in balneum, sudorem in medicamentum, clauos in falsamentum, spineam coronam in ornamentum, verba in documentum, vitam & mortē vtrumque in exemplum. Hi sunt duodecim fructus ligni vite, & duodecim panes in mensa propositionis. Ecce charissimi, totū se dedit nobis nihil sibi reseruans tantum vt sint qui velint recipere. Quam putatis districte exiget à nobis, si hæc tam preciosa dona, vel neglexerimus, vel contempserimus. Octaua virtus est immensa charitas, quæ mater est & regina omnium virtutum. Hæc ipsum plenè & potestatiue possedit, ex cuius inextimabili fornace procedens zelus ardentissimus animarum, ipsum de cælis eduxit, in hoc exilium mundanum adduxit, tuniculam nostræ carnis & mortalitatis paupertatem extremam induit, cum peccatoribus conuersari fecit, tanquam medicum cū infirmis, pro nobis ieiunare, vigilare, & in orationibus pernoctare, predicando discurrere, fatigari, esurire, sitire, frigora & caumata sustinere, contumelias, blasphemias, opprobria, ludibria, contradictiones in verbis, infidias mortis, & tentationes in factis. Tandem & ipsius mortis supplicium sustinere, & pro nobis animam suam ponere, & à sacratissimo corpore suo separari. Vnde ait Ioannes: *In hoc cognouimus charitatem Dei in nobis, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.* Maiorem autem hæc dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Reuera dulcissime Iesu tu maiorem habuisti, qui tuam beatissimam animam pro inimicis actualiter nequissima voluntate persequentibus posuisti, pro te deridentibus, blasphemantibus, & crucifigentibus exorasti: & plus iniquitatibus eorum, quam tibi ipsi compatiens, longè plus de ipsorum ingratitude & damnatione, quam de passionis tue supplicio doluisti. Charissimi fratres, nunquam legitur Dominum fleuisse super doloribus suis, contempu sui aut super iniuria: sæpius tamen fleuisse inuenitur super nobis, fundens lachrymas compassionis & gemitus charitatis. De hac charitate dicit Bernardus: Nesciui quod tantum me diligeret Deus. Amplius mihi vilis esse non debeo, qui Deum pro me crucifigi & mori conspicio: qui tantum ei placui, vt pro me mori eligeret, ne me perderet.

Largitas Christi.  
Bernard.  
Esaie 53.  
Esaie 50.  
Ioan 19.  
Lucæ 14.  
Marc. 14.  
Ioan. 19.  
Marc. 15.  
Lucæ 23.  
Math. 27.  
Apoc. 22.  
Exod. 25.  
Leuit. 24.  
Charitas Christi immensa.  
Math. 4.  
Lucæ 9.  
Ioan. 4.  
Marc. 4. 21.  
Lucæ 11.  
Lucæ 2.  
Math. 26.  
Marc. 10.  
Ioan. 3.  
Ioan. 15.  
Lucæ 9.  
Ioan. 13.  
Bernard.

Huius autem charitatis magnitudinem si vultis scire, perpendite & considera-

II. 4. sidera-

Charitatis  
Christi mag-  
nitudinem  
quomodo con-  
sideranda.

siderate, quis sit ipse qui diligit: quales sint, quos diligit. Ecce ipse immen-  
sus, infinitus, æternus, omnipotens, summus Deus, qui omnia scit, omnia  
potest, nullius eget, dignatur cogitare, curam habere, & diligere infinitas  
plusquam pater vel mater carnalis filium. Quos pauperes, infirmos, vermi-  
culos terræ, pessimos, ingratisimos, obduratos peccatores, contemneret  
se & sua præcepta. Hi sumus nos & ceteri, quibus quando dicit, faciatis hoc  
sine timore vel eius reuerentia faciunt contrarium, qui non sunt digni, vt  
morsellum panis accipiant ab eo. Hos diligit, non solum pascens & custo-  
diens, sed & mortem sustinens pro peccatis eorum in se commissis, & que  
potius debebat vindicare & punire quam nostri misereri. Et reuera ipse vin-  
dicauit peccata nostra, ipse sufficienter puniuit, sed non in nobis. Vbi tunc  
Super semetipsum, vt nobis parceret. Et hoc charissimum est charitas, quod  
ipse voluit debita nostra exoluere: non solum sufficienter, id est, quantum  
congruebat: sed superabundanter, quantum placebat immensa eius erga nos  
charitati. Suffecisset etenim ad redemptionem nostram vnica gutta sangui-  
nis eius pro nobis fusa. Sed non sufficere sibi videbatur, ad faciendam in se  
& monstrandam nobis suam dilectionem, nisi totum effunderet sanguinem,  
quem habebat, vt non reseruaret sibi vnica guttam. Legitur reuelatum  
& habetur etiam in Alano de rupe, quod si quis quotidie C. Pater noster,  
& tot Aue Maria legeret, & hoc continuaret per XV. annos, tunc saluasset  
vnamquamlibet guttam Dominici sanguinis vno Pater noster & Aue Ma-  
ria. De hac charitate dicit S. Bernardus: Considera Filium Virginis de-  
turpatum sporis, liuidum plagis, confixum clauis. Attende cæli rectorem  
stantem in cruce, pallidum morte, deformem carne. Ne pertransas Do-  
minum Angelorum, virum percussum à Deo & humiliatum, virum quasi  
leprosum, & omnibus detrimentis expositum. Considera apud eum copio-  
sam redemptionem. Et verè copiosam, quia per quinque partes corporis  
eius, vna gutta sanguinis emanauit, cum tamen ad redemptionem totius orbis  
vna gutta sanguinis sufficeret. Sed ideo data est gratis copiosa, vt virtus gra-  
titudinis in beneficio redundante claresceret. Et hoc egit, vt tibi ostenderet,  
quantum te diligeret, qui non aliter, quam sic moriendo à morte te voluit  
liberare. Præterea, sicut idem S. Bernardus dicit: Extensione brachiorum &  
membrorum ostendit, quod tantum nos dilexit, quantum diligere potuit  
(cuius dilectionis formam puer paruulus, dum fari incipit, interrogatus ab  
aliquo quantum eum dum diligit: postquam respondit plura, ad vltimum  
extensis brachijs & manibus, quantum potest, & inclinato capite in modum  
crucifixi, dicit: Tantum vos diligo) quasi diceret: Totum me expono amo-  
ri vestro, & exhibeo vobis quicquid sum, quicquid possum. Tantum vos  
diligo, quod exprimere nequeo verbo, ideo quod indicibile est, exprimo si-  
gno. Postremo, ad suæ charitatis ostensionem voluit sibi latus perforari  
& aperiri cor, vt videamus vnde procederent hæc tam mira indicia chari-  
tatis: & quod ab extra non potuit ostendere tantam charitatem, quam ab  
intra habebat. Fecit enim sicut amicus loqui solet ad amicum. Qui cum af-  
fectum dilectionis & benevolentia, quem habet erga illum, ipsi cupit, inno-  
tescere dicit: O vtinam videretis cor meum, scilicet quantum vos diligam  
& faueam. Sic fecit Christus, ostendendo nobis cor suum.

Sanguinis  
guttas quot  
fuderit Cari-  
stus.

Bernard.

Ioan. 19.

Latus cui  
ibi perforari  
voluerit  
Christus.

Ecce

Ecce charissimi mei, he sunt octo virtutes, quas nobis in passione sua Dominus in exemplum reliquit. Quarum septem etiam per septem verba docuit in cruce viuens: & octauam etiam inuenimus. Nam primo cum oraret pro crucifixoribus, & quos potuisset viuos facere absorberi à terra in infernum, non vindicauit se de eis, sed apud Patrem excusauit, quid aliud quam mansuetudinis, & mititatis præbuit exemplum, vt non indignemur contra iniurantes nos, sed magis oremus pro eis? Item cum latroni in ultimo vitæ poenitenti & petenti sui reminisci, statim regni sui promitteret consortium, nonne largus fuit? Nam quàm cito latro dicebat: *Domine, memineris mei*, Dominus respondit: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiso*. Quanta deinde pietatis exemplum monstrauit, quando in tantis angustijs passionum pressus, tam diligentem habuit suæ matris curam, quam sub cruce videbat sibi tam fideliter assistentem, & vsque ad mortem sibi condolentem? vnde commendauit eam discipulo Ioanni dicens: *Mulier ecce filius tuus*. Deinde discipulum, & nos omnes in persona discipuli commendat matri dicens: *Ecce mater tua*. Sed non debet vos mouere quod nominat eam matrem potius quàm matrem, quia hoc fecit non ex duritia cordis, sed ad parcendum doloribus matris. Si enim blandius fuisset ei locutus nominando eam matrem, crepuisset cor eius præ dolore. Patientiam verò maximam indicauit magnitudo dolorum eius, quos dolores in isto verbo satis patefecit, dum ad Patrem clamauit. *Eli, Eli, &c.* Quod verbum ante etiam exposui, quia non intelligitur, quod diuinitas sit ab humanitate separata, sed quia nullum refrigerium, nullam poenarum alleviationem prestitit patienti. Paupertas nimia & miseranda patuit in hoc verbo, cum diceret: *Vltio*. Quia in tanta siti, quam patiebatur (quia per effusionem sanguinis & humorum exaruerat) acerrimè, non habuit modicum aquæ: sed acetum propinauerunt ei, quod tamen cum gustasset, noluit bibere, vt scilicet linguam gustando amaricaret, & tamen sitim non extingueret, & sic inde poenam sibi sponte duplicauit. Obedientiam testatus est in verbo consequente, cum dixit: *Consummatum est*: id est, ego omnia compleui, quæ scripta sunt de me, & quæ mihi Pater iniunxit, vsque ad mortem. Humilitati verò possumus applicare vltimum verbum, quod opprobrium crucis inter duos latrones sustinens, & patri se humiliter commendans, lachrymabiliter & valde clamauit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*. Et sic ignominiosissima morte expirauit. Postremo charitatem magis signo voluit demonstrare, quàm verbo, quia ineffabilis erat. Signum eius ante dixi, quia permisit sibi cor perfollo latere aperiri, ac si diceret: *Ecce omnem sanguinem in cæteris membris effudi, & nunc fando quod supererat, scilicet sanguinem & aquam, omnia membra pro vobis laceranda dedi, & animam insuper in mortem dedi*. Quid restat, nisi vt cor meum, quo vos dilexi, aperiat, vt non solum ad me accedatis ad crucem, sed etiam per illud vulnus quæsi per ostium in cor meum introeatis.

Cæterum, nolo vt putetis Christum solum has virtutes exhibuisse, quas enumeravi, sed omnes perfectissimè in omnibus & singulis actibus. Quanta ibi fuit iustitia, quanta misericordia? (vt de reliquis omnibus taceam ob temporis breuitatem) quod potius quàm peccatum dimitteret impunitum,

V V tanta

Nota septem  
virtutes in  
septis verbis.  
Lucæ 23.

Ibidem.

Ioan. 19.

Ibidem.

Matth. 27.

Marc. 5.

Lucæ 23.

Matth. 26.

Ioan. 19.

Exemplum  
in misericordia  
& charitate  
Dei erga  
nos.  
Thomas.

tanta voluit pati, quæ audistis: & potius, quàm nos damnaret ipsemet voluit pro nobis pati. Maior etenim fuit misericordia, secundùm S. Thomam, per quam voluit nostri misereri pro nobis satisfaciendo, quàm simpliciter dimittendo. Unde potestis notare misericordiam & charitatis eius exemplum. Si esset rex aliquis magnus vnicum habens filium, inter seruos verò suos haberet vnum, qui committeret crimen, scilicet læsæ maiestatis, scilicet quòd vellet Dominum suum in mortem tradere, vel interficere, vel aliquid tale morte dignum perpetrare: quapropter rex confestim seruum carceri manciparet (sicut iustitiæ lex iubet) interficiendum, licet alius seruum diligeret, & doleret, quòd in tale periculum, mortisq; damnationem cecidisset. Si tunc vnigenitus regis compatiens calamitati serui, rogaret patrem pro seruo, vt parceret vel dimitteret ei peccatum & pœnam mortis, quam meruerat, responderet quæ pater se velle, vt seruari possit seruus in vita: sed hoc sufficere non posse, quia lex iubet tale peccatum morte expiari, filius autem replicaret dicens: Ecce pater ego offero me tibi ad satisfaciendum pro seruo, ego volo ire in carcerem & mori pro seruo, tantum seruus maneat in vita: pater verò diceret: Bene, sic fiat, ego pœnam peccatum serui super te filio nœo, & seruus liberabitur. Ecce qualis charitas, qualis misericordia, tam patris, quàm filij erga seruum, quis sufficit enarrare? Tanta est, quòd non potest quis admirari satis. Et multo maior quàm si seruus gratis esset liberatus, quia iam non solum est seruatus à morte, sed etiam emptus per mortem filij regis. Quando ille seruus potest regratiari regi vel filio? Quicumque audierit talem amorem regis erga seruum, diceret eum factum infantum præ amore, quòd daret filium pro seruo. Et quisquis videret innocentem filium regis mori ex charitate pro seruo, nonne lugeret maxime & fletet super eum? Ecce sic est etiam, & multo amplius in proposito. Deus propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, proprio filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et filius dedit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. Et tamen quasi nemo est qui cum dolore & compunctione talem charitatem retractet: qui Deo deuotè gratias agat, & beneficium eius immensum recognoscat, qui ve patienti pro se filio compatiatur. Quantum putatis ille seruus (de quo prædixi) regem offenderet, & quanta pœna dignus foret, qui postquam sic esset à morte liberatus per vnigenitum regis, si beneficium hoc parui pendat, aut si Domino suo iterum infidelis existat. Nam sic ingratus Dominum & mandata eius contemnit. Ecce hoc nos facimus quotidie post tantam charitatem nobis exhibitam, Dominum Deum nostrum ita ceruicosa præsumptione offendimus & contemnimus, sine quo ad momentum non possumus viuere, & tamen non vlcisitur se de nobis, sed quotidie expectat penitentiam nostram, paratus nos recipere semper, quando cunque desideramus, paratus etiam esset mori (si necesse foret) quotiescunque expediret, iterum pro nobis. O quanta est misericordia Dei super peccatores etiam ingratos & inauratos, & quot nunquam conuertendos nouerit, quòd sustinet, & omnibus benefacit, etiam contemptus & iniuriatus. Nos autem charissimi sumus grati Deo, vel nunc incipiamus. Meditemur quotidie quilibet iuxta suam vocationem & possibilitatem, passionem eius, quia nihil est, quòd facere possumus, quòd

Ephes. 2.

1. 35.

Meditatio  
passionis  
Christi quid.

VI

quod Deo magis placeat & nostrę saluti profectuique plus expediat, quàm passionem Christi meditari, quia tempore etiam passionis eius fuit vnus de maioribus doloribus, quod sciuit passionem suam negligendam, id est, non recogitandam ab his, pro quibus patiebatur. Sed fortę aliqui dicunt se nescire vel non posse meditari. Applicetis voluntatem ad hoc studium & incipiat: Dominus Iesus iuuabit vos, si non statim sentiretis deuotione, nihilominus perseueretis, quia velle esse deuotum & studere ad hoc, sepe maioris est meriti, quàm esse. Si tamen sunt adeo simplices aliqui, offerant Patrem nostrum, quę ex debito legunt vel alia in Articulos scilicet in angustiam, & in captiuitatem, accusationem falsam, conspurationem, &c. & petant virtutes quę in tali Articulo relucunt à Domino Iesu sibi dari. Vel saltem accipiant figura passionis ante se, id est, crucifixum, & pensent quid in quolibet membro passus sit. Huic membro siue illi dolori offerat vnum vel plura Patrem nostrum pro gratiarum actione. Quod si fecerimus, sentiemus quotidianam profectum in gratia Dei & virtutibus, & post finem passionis nostrę, id est, post finem miserę vitę nostrę, perueniemus ad requiem eternę glorię. Quam mihi & vobis omnibus cęcedat Iesus Christus Dominus nostrus, qui cum Patre & Sancto Spiritu viuunt & regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.

PARTIS PRIMÆ HVIVS PRIMI TOMI,  
qua vocatur pars Hyemalis, Finis.

IN SANCTISSIMA SOLENNITATE RESVRECTIONIS

DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,  
Epistola B. Pauli Apost. I. Cor. V.

**E**XPURGATE vetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitię & nequitię, sed in azymis sinceritatis & veritatis.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

**I**nter Corinthios delictum detestabile ab vno magno peccatore fuerat admissum, de quo Paulus Corinthios, quia illum non corripuerunt, obiurgat, existimans hanc peccandi impunitam licentiam alijs fore in scandalum, quo facilius peccarent. Error nanque aut delictum vnius non raro vniuersę nocet communitati. Quę enim est illa bonitas, aut misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Ante hanc itaque lectionem Apostolus Paulus dixerat: Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpat? Sequitur igitur nunc: Expurgate